Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XIII

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
CB
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM
Typis Ad. Maertens-Matthys
MCMVIII

27246

v. 13
1908

Collationes Brugenses

SS. DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X DE SENTENTIIS PONTIFICALIS CONSILII REI BIBLICÆ PROVEHENDÆ PRÆPOSITI AC DE CENSURIS ET PŒNIS IN EOS QUI PRÆSCRIPTA ADVERSUS MODERNISTARUM ERRORES NEGLEXERINT.

MOTU PROPRIO.

I. In memoriam revocatis Leonis XIII Encyclica *Providentissimus*,

Præstantiâ Scripturæ Sacræ enarratâ, ejusque commendato studio, Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus* (1), datis XIV Calendas decembres a. MDCCCLXXXXIII, Leo XIII, Noster immortalis memoriæ Decessor, leges descripsit quibus Sacrorum Bibliorum studia ratione proba regerentur; Librisque divinis contra errores calumniasque Rationalistarum assertis, simul et ab opinionibus vindicavit falsæ doctrinæ, quæ *critica sublimior* audit; quas quidem opiniones nihil esse aliud palam est, nisi *Rationalismi commenta*, quemadmodum sapientissime scribebat Pontifex, *e philologia et finitimis disciplinis detorta*.

et Pontificiæ de re biblica *Commissionis* institutione

Ingravescenti autem in dies periculo prospecturus, quod inconsultarum deviarumque sententiarum propagatione parabatur, Litteris Apostolicis *Vigilantiæ studiique memores* (2), tertio calendas novembres a. MDCCCCII datis, Decessor idem Noster Pontificale Consilium seu *Commissionem* de re Biblica condidit, aliquot doctrina et prudentia claros S. R. E. Cardinales complexam, quibus, Consultorum nomine, complures e sacro ordine adjecti sunt viri, e doctis scientiâ theologiæ Bibliorumque Sacrorum delecti, natione varii, studiorum exegeticorum methodo atque opinamentis dissimiles. Scilicet id commodum Pontifex, aptissimum studiis et ætati, animo spectabat, fieri in Consilio locum sententiis quibusvis libertate omnimoda proponendis, expendendis disceptandisque; neque ante, secundum eas Litteras, certa aliqua in

(1) Ap. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 293.
(2) Ap. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 617.

sententia debere Purpuratos Patres consistere, quam quum cognita prius et in utramque partem examinata rerum argumenta forent, nihilque esset posthabitum, quod posset clarissimo collocare in lumine verum sincerumque propositarum de re Biblica quæstionum statum: hoc demum emenso cursu, debere sententias Pontifici Summo subjici probandas, ac deinde pervulgari.

ac sententiis emissis

Post diuturna rerum judicia consultationesque diligentissimas, quædam feliciter a Pontificio de re Biblica Consilio emissæ sententiæ sunt (1), provehendis germane biblicis studiis, iisdemque certa norma dirigendis perutiles. At vero minime deesse conspicimus qui, plus nimio ad opiniones methodosque proni perniciosis novitatibus affectas, studioque præter modum abrepti falsæ libertatis, quæ sane est licentia intemperans, probatque se in doctrinis sacris equidem insidiosissimam maximorumque malorum contra fidei puritatem fecundam, non eo, quo par est, obsequio sententias ejusmodi, quamquam a Pontifice probatas, exceperint aut excipiant.

præcipit Pius X ut omnes hisce sententiis se subjiciant perinde ac decretis SS. Congregationum ad doctrinam pertinentibus et a Pontifice probatis.

Quapropter declarandum illud præcipiendumque videmus, quemadmodum declaramus in præsens expresseque præcipimus, universos omnes conscientiæ obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de re Biblica, sive quæ adhuc sunt emissæ sive quæ posthac edentur, *perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subjiciendi;* nec posse notam tum detrectatæ obœdientiæ tum temeritatis devitare aut culpâ propterea vacare gravi quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent; idque præter scandalum, quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis, ut plurimum, temere in his errateque pronunciatis.

II. Confirmat decretum *Lamentabili* et encyclicam *Pascendi* et adversus contradictores statuit ex-

Ad hæc, audentiores quotidie spiritus complurium modernistarum repressuri, qui sophismatis artificiisque omne genus vim efficacitatemque nituntur adimere non Decreto solum *Lamentabili sane exitu* (2), quod V nonas Julias anni vertentis S. R. et U. Inquisitio, Nobis jubentibus, edidit, verum etiam Litteris Encyclicis Nostris *Pascendi Dominici gregis* (3), datis die VIII mensis Septembris istius ejusdem anni.

---

(1) Ap. *Collat. Brug.*, t. X, pp. 446; 635; XI, 529; XII, 497.
(2) Ibid., t. XII, 521.
(3) Ibid., t. XII, 597.

communicationem.

Auctoritate Nostra Apostolica iteramus confirmamusque tum *Decretum* illud Congregationis Sacræ Supremæ, tum *Litteras* eas Nostras *Encyclicas,* addita *excommunicationis* pœna adversus contradictores; illudque declaramus ac decernimus, si quis, quod Deus avertat, eo audaciæ progrediatur ut quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro documento, quod supra diximus, improbatis tueatur, censurâ ipso facto plecti Capite *Docentes* Constitutionis *Apostolicæ Sedis* irrogatâ, quæ prima est in excommunicationibus latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatis. Hæc autem excommunicatio salvis pœnis est intelligenda, in quas, qui contra memorata documenta quidpiam commiserint, possint, uti propagatores defensoresque hæresum, incurrere, si quando eorum propositiones, opiniones doctrinæve hæreticæ sint, quod quidem de utriusque illius documenti adversariis plus semel usuvenit, tum vero maxime quum modernistarum errores, id est *omnium hæreseon collectam,* propugnant.

III. Ordinarios adhortatur ad vigilantiam contra modernismum.

His constitutis, Ordinariis diœcesum et Moderatoribus Religiosarum Consociationum denuo vehementerque commendamus, velint pervigiles in magistros esse, Seminariorum in primis; repertosque erroribus modernistarum imbutos, novarum nocentiumque rerum studiosos, aut minus ad præscripta Sedis Apostolicæ, utcumque edita, dociles, magisterio prorsus interdicant: a sacris item ordinibus adolescentes excludant, qui vel minimum dubitationis injiciant doctrinas se consectari damnatas novitatesque maleficas. Simul hortamur, observare studiose ne cessent libros aliaque scripta, nimium quidem percrebrescentia, quæ opiniones proclivitatesque gerant tales, ut improbatis per Encyclicas Litteras Decretumque supra dicta consentiant: ea summovenda curent ex officinis librariis catholicis multoque magis e studiosæ juventutis Clerique manibus. Id si sollerter accuraverint, veræ etiam solidæque faverint institutioni mentium, in qua maxime debet sacrorum Præsulum sollicitudo versari.

Hæc Nos universa rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et jubemus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Novembris a. MDCCCCVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X.

SCHOLIA
de Sacrosancto Missæ Sacrificio

ab Episcopo Brugensi in gratiam Sacerdotum conscripta.

SCHOLION II

De indole propria Sacrificii Missæ, ejusque summa præcellentia.

In præcedente scholio demonstratum est Missam esse verum, proprie dictum sacrificium, idem cum sacrificio crucis, quamquam incruento modo oblatum, hujusque commemorativum ac repræsentativum, atque eo quidem commemorativum cruenti sacrificii, quo vere sacrificium.

Ex quibus illico sequitur in Missa quoque reperiri quatuor significationes sacrificio proprias, seu quatuor fines ad quos sacrificium offertur. Quos quidem fines singulos nunc in Missa inspiciemus ut indoles propria sacrificii Missæ, ejusque præstantia magis eluceat. Cumque præcellentia sacrificii novæ Legis, tum cruenti, tum incruenti in hoc tandem consistat, quod et sacerdos offerens et victima sit ipse Christus, Verbum incarnatum, illud tamen magis introspiciendum est et enucleandum ut eadem excellentia penitus intelligatur.

Primus quidem finis sacrificii cujusvis est ut agnoscatur Deus tamquam supremus rerum omnium, vitæ mortisque dominus.

Istum autem finem quam perfecte attigerit sacrificium crucis in propatulo est: etenim sacerdos ibi fuit ipse Christus, Verbum Dei seu Filius unigenitus Patris homo factus, qui cum una persona sit, nempe secunda persona adorandæ Trinitatis, habens duas naturas,

divinam et humanam, natura Mediator est Deum inter et homines, et in ipsa incarnatione sacerdotali charactere insignitus est ac inunctus Pontifex supremus, *pro hominibus constitutus in iis quæ sunt ad Deum* (1).

Nec tantummodo homo pro hominibus constitutus, siquidem non angelicam, non aliam ac humanam assumpsit naturam, sed etiam vere *ex hominibus assumptus* (2), quoniam ex nostro genere naturam humanam assumpsit, vere natus ex Virgine Maria. Unde vides quam perfecte Christus, novus Adam, genus humanum qua sacerdos repræsentet. Sed et omnem creaturam repræsentat, quasi supremus nexus Deum creatorem inter et universam creationem, tum quia humana natura, quæ quadamtenus microcosmos vocari potest, omnem naturam creatam, spiritualem et corporalem, complectitur; tum quia Christus, Verbum incarnatum, fastigium est totius operis divini ad extra, totius ordinis naturæ atque gratiæ, Ipse tota ratio est cur de facto Deus operatus est quæcumque in præsenti ordine rerum videmus effecta, sicut et finis est ad quem creata sunt de facto universa, ut alio in loco exposuimus (3).

Igitur, sive sacrificium consideres ex parte Dei cui offertur ac placere debet, sive ex parte hominum quorum nomine et pro quibus offertur, nullus sacerdos cogitari potest dignior atque aptior sacrificio perfectissime offerendo quam Christus.

Præterea, Christus sacrificium crucis obtulit modo perfectissimo, ex charitate erga Deum et homines secundum actum internum et externum vere suprema, intensive maxima, extensive universali, ita ut martyrium Christi, quemadmodum exponit Cajetanus, fuerit actus humanus omnium perfectissimus (4). Itaque, si jam

---

(1) Cf. *Ad Hebræos*, V, 1.

(2) Ibid.

(3) V. *Collat. Brugen.*, t. VIII, p. 5, n. 299 et sqq.

(4) Hic lege Orationem nostram prosynodalem anni 1899, apud *Collat. Brugen.*, t. IV, p. 370-371.

victimam attendamus in eodem sacrificio crucis, ea alia non est quam ipsa Christi sacra humanitas, qua inter creata nihil pretiosius esse potest. Unde et dominium Dei in omnes res ut sint vel non sint, in universa creata recognosci perfectius, efficacius, evidentius nequit, quam per immolationem vitæ humanæ, non alicujus personæ humanæ, sed ipsius Filii Dei incarnati, qui fastigium est, ratio et finis totius operis Dei ad extra.

Prima ergo significatio sacrificii quam perfectissime reperitur in sacrificio crucis, seu primus finis sacrificii quam adæquate attingitur, tum ex parte sacerdotis offerentis, tum ex parte victimæ oblatæ modoque offerendi.

Atqui, in sacrificio Missæ idem est sacerdos principaliter offerens, eadem est victima; modo offerendi diverso quidem existente, commemorativo vero sacrificii crucis, idque eo ipso quo Missa verum sacrificium est, ac repræsentativo ejusdem sacrificii crucis; et hæc indolem propriam Missæ sacrificii magis declarabunt.

Idem est sacerdos principaliter offerens. Non enim Christus sicut cæteri sacerdotes qui morte prohibentur permanere, sed *eo quod maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium... semper vivens ad interpellandum pro nobis* (1).

Ex quibus Apostoli verbis constat aperte non solum sacerdotium Christi manere, sed et vi sui sacerdotii interpellare Christum pro nobis in cœlo, seu functionem sacerdotalem exercere. Et aliam quidem sacerdotalem functionem exercet Christus in cœlo, aliam in terris. In cœlo non offert proprie dictum sacrificium, sed meritum sacrificii sui cruenti, plene sufficientis et semel tantum offerendi, exhibet et repræsentat Patri, et sic interpellat pro nobis interpellatione vere sacerdotali. Præterea vere pro nobis intercedit tamquam homo et sacerdos, desideria suæ humanæ voluntatis ad sanctificationem

---

(1) Cf. *Ad Hebræos*, VII, 23 et sqq.

nostram explicite Deo manifestans (1), non quod nova merita acquirat, sed quod formaliter impetret bona liberalitatem et misericordiam Dei movendo, etiamsi non sit dicenda necessaria hæc impetratio, quasi in terris Christus non plene meruerit omnia bona.

In terris vero aliam functionem sacerdotalem exercet Christus, quæ omnino respondet priori illi functioni sacerdotali quam ab eo exerceri diximus in cœlo, exhibendo Patri meritum in crucis sacrificio completum, ita ut recte dici possit Christus meritum sacrificii crucis tum in cœlo, tum in terris exhibere Patri, alio tamen et alio modo. Etenim in cœlo id efficit sine oblatione proprie dicti sacrificii; in terris vero, offerendo verum sacrificium incruentum, commemorativum tamen ac repræsentativum sacrificii crucis, eademque ratione commemorans illud qua in se verum sacrificium est; non ad novum meritum acquirendum, quasi prius sacrificium insufficiens esset et non unicum, sed ad meritum plenum ac completum illius applicandum hominibus, et ideo qua commemorativum et qua applicans merita Christi sacrificium hoc incruentum repetitur et in finem temporum iterabitur.

Quod ut rite intelligatur, attendendum est Christum non solum instituisse Ecclesiam visibilem in terris, quæ missionem suam docendi, sacra ministrandi, regendi animas in finem sæculorum perpetuo continuaret, sed hujus Ecclesiæ, etiam dum sedet ad dexteram Patris, esse caput invisibile, et continuo influere in corpus seu membra sua, idque non solum influxu mere interno, sed, pro natura Ecclesiæ quæ societas est externa et visibilis, etiam mediis externis et sensibilibus; nempe per sacramenta, signa visibilia et efficacia gratiarum interiorum, et per sacrificium sensibile, verum et proprie dictum, incruentum sed commemorati-

(1) Vid. S. Thomam, *Comment. in epist. ad Hebræos*, VII, 25, lect. IV et in 4 *Sent.* d. 15, q. 4, a. 6.

vum cruenti sacrificii quo omne meritum redemptionis et sanctificationis partum fuit, quodque sacrificium incruentum merita sacrificii cruenti applicat et adeo visibili modo exhibet interpellationem Christi in cœlo sua merita Patri offerentis.

Quod autem Christus tamquam sacerdos et minister principalis vere sacrificium Missæ offerat, haud ægre demonstratur. Ad munus enim sacerdotis in offerendo sacrificio duo pertinent, ut nempe immolatio victimæ nutu ejus voluntatis seu dependenter ab ejus voluntate fiat, et ut ipse hanc immolatam victimam immediate Deo offerat.

Jamvero consecratio in Missa soli Deo ut causæ efficienti evidenter tribui debet, sed nonnisi ad nutum voluntatis humanæ Christi Sacerdotis eam Deus operatur, adeoque humanitas Christi Sacerdotis est causa instrumentalis princeps actionis consecrandi, sicuti instrumentum conjunctum et princeps erat in operandis miraculis et sanctificandis hominibus; sacerdos vero per legitimam ordinationem particeps effectus sacerdotii Christi est instrumentum separatum, secundarium ejusdem actionis, faciendo quod Christus faciendum instituit.

Porro victimam seu seipsum in statu victimæ, cibi et potus, positum, immediate Deo offert Christus, sicut in cruce nutu voluntatis suæ libero occisam victimam sese obtulit Patri; simulque cum Christo sese offerente, nos quoque, ut ministri secundarii, facere volentes quod Christus instituit et facit, victimam sacrosanctam Deo offerimus.

Ubi adverte Christum immediatius ad confectionem augustissimi sacramenti seu ad sacrificium Missæ concurrere quam ad reliqua sacramenta, quæ sunt instrumenta separata gratiæ conferendæ: hic enim Christus præsens fit et actuali voluntate concurrit. Unde et sacerdos hic perfectius et immediatius quam in confectione aliorum sacramentorum Christi personam gerit,

et non propriis verbis utitur ut v. g. in baptismo et aliis, sed verbis ipsius Christi.

Obiter notemus quam conveniens fuerit ut perpetuum institueret Christus in nova Lege sacrificium, præter cruentum suum sacrificium, quod necessario unicum et transiens esse oportebat, tum ratione modi offerendi illud, tum ratione plenæ suæ sufficientiæ ad finem redemptionis et sanctificationis hominum. Id enim declarant aperte tum necessitas cultus externi, qui sine sacrificio perfectus esse nequit et perfectus tamen in nova Lege inveniri postulat; tum fines sacrificii, qui in sacrificio commemorativo incruenti sacrificii, hujusque meritum applicante, omnino verificantur et imo iterationem ejus in omni loco et tempore expetere videntur, cum ubique et semper homines egeant merita Christi sibi applicare et suas ad Deum relationes quam perfectissime exprimere.

Porro, non aliud sacrificium convenientissime in nova Lege instituit Christus ac sacrificium commemorativum sui cruenti sacrificii, in quo rursus Ipse sacerdos esset principaliter offerens et Ipse victima incruento modo oblata. Neque enim sacrificium cruento modo iterari poterat, quoniam oportebat Christum ex mortuis resurgere et jam non mori; neque sacrificium minus dignum quam sacrificium Christi jam in nova Lege offerri decebat; neque imo diversum ab illo, quasi illud fuerit insufficiens; unde mirabile illud inventum divinæ omnipotentiæ, sapientiæ ac bonitatis, ut scilicet idem sacerdos eamdem victimam, sicut in cruce, modo tamen convenienti statui Christi glorioso, id est, modo incruento, offerret, et ita quidem ut in ipsa ratione commemorandi sacrificium cruentum consisteret vera ratio sacrificii, seu immolationis mysticæ ponendo realiter, per actionem sacrificam, Christum in statu victimæ mandibilis sub speciebus panis et vini; unde et verum sacrificium incruentum, cum eadem victima ac in cruce eodemque sacerdote offerente, et simul eoque ipso

relatio ad sacrificium crucis salva consistant; et nihil detrahitur sufficientiæ omnimodæ sacrificii crucis, imo vero ea affirmatur, siquidem qua commemorativum Missæ sacrificium applicat merita illius. Sacrificium crucis igitur apparet ut absolutum, ad quod referuntur omnia sacrificia antiqua tamquam vacua umbra præfigurans, ad quod refertur sacrificium Missæ ut commemorativum sed in quo eadem victima Christus ab eodem Sacerdote Christo offertur, adeoque non ut vacua repræsentatio, sed ut verum quoque sacrificium ejusdem dignitatis ejusque meritis plenum ad ea applicanda.

Adverte etiam quam congrue martyrium Christi seu actus ille humanus omnium perfectissimus, qui semel tantum poni poterat in cruento Christi sacrificio, et quem tamen omnino transire et quasi memoria excidere minime decebat, admirando divinæ omnipotentiæ, sapientiæ atque charitatis invento, nempe institutione sacrificii Missæ, æquivalenter iteratur, ita ut a solis ortu usque ad occasum, omni loco et singulis temporis momentis, in finem sæculorum, continuo actus ejusdem dignitatis et excellentiæ summæ illum commemoret atque repræsentet.

Ex disputatis jam merito concludimus, quod primam significationem sacrificii seu primum finem attinet, agnoscendi nempe supremum Dei dominium, eam significationem quam perfectissime reperiri seu finem eumdem perfecte attingi, uti in sacrificio crucis, ita in Missæ sacrificio, ubi idem sacerdos est Christus, eadem victima sacrosancta ejus humanitas, ubi modus etiam offerendi, pro natura hujus incruenti sacrificii, perfecte refert modum cruentæ oblationis, et ita quidem ut eo sacrificium sit Missa quo commemorativa est sacrificii crucis.

Jam transeamus ad alias significationes seu alios fines sacrificii; et hic, post longiorem explicationem datam, quomodo Christus sit, sicut in sacrificio suo cruento, ita in Missa, sacerdos idem et victima, et

quomodo in utroque sacrificio quam perfectissime significetur agnitio supremi Dei dominii seu finis agnoscendi istud dominium attingatur, jam multo brevius rem absolvere poterimus, eo vel magis quod reliquæ tres significationes seu fines sacrificii, cum primo jam exposito intime connectuntur et implicite in eo quasi continentur.

Itaque secundo consideramus sacrificium ut *propitiatorium,* hoc est, quatenus significat confessionem reatus mortis propter peccatum in summum dominum, et ad hoc tendit ut Deus placetur.

Illico intelligitur sacrificium de facto hanc significationem non habere nec ad hujusmodi finem tendere, nisi in hypothesi peccati, seu in statu lapso, qualis reapse est status humani generis. Quod e converso sacrificium omnimodam proportionem habeat ut assumatur ad talem significationem et finem, evidenter quoque apparet; imo aliqui auctores hujusmodi significationem sic essentialem esse affirmant sacrificio, ut sine ea non consistat, unde sacrificium non fuisse oblatum in statu innocentiæ, ne congruum quidem fuisse ut offerretur, autumant. Ad hæc reponimus: utrum fuerit sacrificium in statu innocentiæ, aut saltem, si perseverasset ille status, instituendum fuisset, nos ignorare, et hujusmodi quæstionem esse potius transmittendam; quod autem incongruum statui innocentiæ sacrificium dicatur, forte nimium dici. Nam, quod sacrificalis actio in reali vel symbolica vitæ humanæ immolatione consistit, in statu vero innocentiæ homines reatum peccati adeoque mortis non haberent, sed immortales essent, non videtur nobis obstare quin sacrificium offerrent ad supremum Dei dominium agnoscendum, aliosque ad fines in primario et fundamentali illo fine implicitos, nempe ad gratias agendas supremo Domino, a quo omnia bona descendunt, novaque bona ab eo impetranda; imo vero, cum Deus in statu innocentiæ Adamo mortem minitatus sit, tamquam pœnam peccati, si trans-

gressurus esset præceptum Domini, nihil prohibet hunc quoque finem sacrificii in statu innocentiæ Adamum sibi præfiniisse, agnoscendi nempe se merito morte plectendum fore, si inobediens futurus esset. Ex quibus etiam vides quod, etiamsi dicas significationem hanc confitendi reatum esse essentialem sacrificio, eadem tamen significatio quoque aliquo sensu in statu innocentiæ possit verificari, nempe sub hypothesi peccati committendi, ita ut finis sacrificii tunc fuisset, non quidem reatum mortis de facto confitendi et Deum placandi, sed confitendi reatum mortis, casu quo peccatum committeretur, merito incurri, et Dei justitiam agnoscendi.

Quidquid sit de statu innocentiæ, historice loquendo sacrificium post lapsum oblatum ab antiquo et ubique videmus, semperque ut propitiatorium fuisse habitum.

Quod autem sacrificium crucis propitiatorium fuerit, nimis evidens est quam ut demonstrari egeat. Imo, cum inter diversos sacrificii fines, in diversis sacrificiis nunc unus nunc alius præ cæteris eminere possit et peculiariter intendi, merito asserimus in sacrificio crucis præ fine eucharistico et impetratorio eminuisse finem propitiatorium, et præ cæteris significationibus sacrificii significationem confitendi reatum humani generis illumque expiandi in cruento Christi sacrificio eminuisse.

Quod jam sacrificium Missæ attinet, licet idem sit cum sacrificio crucis, hujusque commemorativum, finemque latreuticum perfectissime, ut vidimus, attingat, aliqua tamen difficultas primo intuitu obstare videri posset quin indoles ejus propitiatoria affirmetur. Etenim, incruentum est sacrificium, cum tamen præprimis sanguinis effusione obtinenda videatur remissio peccatorum; præterea completa fuit redemptio ac peccati expiatio in sacrificio Christi cruento. Atvero, hæc nequaquam obstant quin sacrificium Missæ vere propitiatorium sit, quemadmodum ipsa institutionis verba docent: « Hic est calix novum testamentum in meo

sanguine, qui pro vobis fundetur (1) »; quemadmodum quoque liturgiæ omnes apertissime significant, atque veneranda Patrum traditio universa declarat, ipsaque Tridentina synodus definit. Etenim, aliud est docere sacrificio Missæ novum exhiberi meritum novamque pro peccato satisfactionem, quod erroneum est et impium, cum infinitæ dignitati et efficaciæ sacrificii crucis deroget, aliud vero sacrificium Missæ, quod eo sacrificium est, quo commemorativum sacrificii cruenti, qua tale propitiatorium esse, quatenus merita illius applicat, uti expresse Tridentinum declarat: « ut illius (sacrificii crucis) salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdos (Christus) corpus et sanguinem suum obtulit, et apostolis eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit (2) ». Fructus igitur propitiationis, qui e Missæ sacrificio provenit, in cruce fuit Christi merito acquisitus, sed fidelibus in hoc sacrificio incruento, sacrificii crucis commemorativo, mediante nova immolatione æquivalente, fidelibus applicatur. Et mediate quidem, non vero immediate dimittit peccata Missæ sacrificium, ut idem Tridentinum docet: Deum per hoc sacrificium *dimittere peccata et crimina etiam ingentia, gratiam et donum pœnitentiæ concedendo;* imo, eodem teste, non applicantur merita crucis per Missæ sacrificium, ad effectum remissionis peccati, nisi rite dispositis, qui *vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti et pœnitentes ad Deum accedunt* (3). Effectus nempe immediatus propitiationis in Missa est Dei misericordiam movere, eumque placatum et propitium reddere ut concedat gratiam et donum pœnitentiæ, mediatus tantum est remissio peccatorum rite dispositis, per alia media, potissimum sacramenta, ad id instituta.

---

(1) *Luc.*, XXII, 20, ubi nota ἐκχυνόμενον in præsenti, et vi syntaxeos, ad poculum eucharisticum referri.

(2) Sess. XXII, c. 1.

(3) Sess. XXII, c. 2.

Ex quibus patet propria indoles vere propitiatoria sacrificii incruenti novæ Legis. Sed hic nova videtur exurgere difficultas, hanc nempe rationem propitiationis minime differre ab impretatione gratiæ et signanter doni pœnitentiæ, adeoque fructum propitiatorium in Missa a fructu impetratorio non distingui.

Atvero attendantur quæ modo dicebamus de effectu immediato propitiationis, quæque continentur in ipsis Tridentini verbis : *hujus sacrificii* (Missæ) *oblatione placatus* Dominus *concedit gratiam et donum pœnitentiæ*. Virtus ergo *propitiationis* tendit ad placandam iram Dei ejusque clementiam movendi, ne propter peccata gratias subtrahat, eumque propitium reddit, ut gratiam pœnitendi concedat et pœnas peccati dimittat; virtus vero *impetrationis* movet Dei bonitatem et misericordiam, ut beneficia quævis concedat.

Sic transimus ad alium finem sacrificii, nempe *impetrandi* Dei beneficia.

Nulla hic videtur difficultas. Sacrificio suo cruento Christus non tantum, sicut et in sacrificio Missæ contingit, Deum perfecte adoravit, sed et perfecte peccata expiavit et meruit remissionem peccatorum, quam quidem satisfactionem pro peccatis et meritum applicat sacrificio Missæ, non novo merito nec nova satisfactione, sed exhibendo Patri meritum acquisitum et satisfactionem completam in cruce. Præterea impetravit Christus in cruce quæcumque beneficia Dei, et imo meruit ut deinceps, interpellans pro nobis, exaudiretur a Patre, nec tantum in cœlis interpellat, ut supra vidimus, sed etiam in terris offerens sacrificium suum incruentum; idque duplici modo : exhibens nempe Patri meritum suum, quod sacrificio Missæ commemoratur et applicatur, sed et denuo interpellando et impetrando, dum æquivalenter sese immolat et offert Patri. Licet enim non jam sit in statu merendi, nihil prohibet quin denuo impetret, et oratione hac non verbali sed reali, eaque efficacissima quæ est in sacrificio incruento,

Deum interpellet et nova impetratione beneficia Dei nobis obtineat, scilicet dona spiritualia præprimis, sed et temporalia, quatenus ad salutem nostram et gloriam Dei ordinantur.

Hæc indoles impetratoria sacrificii Missæ a Synodo Tridentina definita, ex omnibus liturgiis et Patrum scriptis luculenter confirmatur.

Finem imponimus huic secundo Scholio, agendo paucis de fine *eucharistico* sacrificii, qui cum fine latreutico proxime cohæret. Fieri enim nequit ut Deus ut omnium principium et dominus agnoscatur, quin simul gratiæ de concessis beneficiis ei rependantur: et has quidem infinitas gratiarum actiones Christus Patri obtulit in cruce, sed et sacrificio suo incruento, sacrificii ejusdem cruenti commemorativo, denuo offert, idque non tantum condignam laudem ac gratiarum actionem olim oblatam exhibendo Patri, sed novo cordis affectu novaque æquivalenti immolatione sui gratias condignas agendo.

Et hic quidem finis eucharisticus in sacrificio Missæ præ cæteris eminet, ut et nomen sacrificii eucharistici indicat. Cum enim in sacrificio cruento crucis, præter finem latreuticum, qui quasi fundamentalis est in omni sacrificio, prævaleret finis satisfactorius seu propitiarius, præ fine eucharistico et impetratorio, contra, in sacrificio incruento novæ Legis prævalet finis impetratorius et potissimum eucharisticus: re quidem vera, cum institutum sit non ad nova merita acquirenda novamque satisfactionem præstandam, sed ad applicanda infinita merita et satisfactiones acquisita crucis sacrificio, cujus est commemorativum, patet potius esse novorum beneficiorum seu applicationis meritorum impetratorium, et præprimis, rursus qua commemorativum, in recordationem tanti beneficii Redemptoris, eucharisticum seu gratiarum actionis pro universis Dei beneficiis, quorum quasi centrum est humani generis redemptio.

Et hæc indoles præprimis eucharistica sacrificii Missæ, ex ipsa sua natura confirmatur, utpote cujus pars integrans est communio seu in quo victima æquivalenter immolata manducatur sacramentaliter. Cum enim in antiqua lege holocaustum et hostia pro peccato, quale fuit præprimis sacrificium crucis propitiatorium, offerebantur quin aliquis, aut saltem ille pro quo hostia pro peccato offerebatur, esset particeps victimæ; contra hostiæ pacificæ comedebantur a sacerdote et a populo, et sic in Missa, quod est vere sacrificium pacificum, victima manducatur in sacra communione; et convenientissime quidem ita fit in sacrificio gratiarum actionis et impetrationis, seu in hostia pacifica, quæ offerentem arguit pace et amicitia cum Deo conjunctum, utpote cujus beneficia exspectat vel accepta gratiarum actione rependit. Cum autem sacrificium sit hujusmodi cultus interni expressio, oportet, ad hoc ut character proprius hostiæ pacificæ servetur, amicitiam illam et unionem cum Deo sensibili modo in hostia pacifica exprimi. Jamvero, nihil aptius ad hoc, quam comestio victimæ. Etenim hæc per immolationem speciali modo jam ad Deum pertinet, et idcirco, qui ex ea manducat fit divini cibi, convivii divini particeps, quo majus signum intimæ necessitudinis inter homines non occurrit. Quam perfecte autem hanc significationem hostiæ pacificæ reperiamus in Missa, ubi sacro convivio ipse Christus sumitur, nemo non videt.

En evidenter demonstrata, ut putamus, summa dignitas et excellentia sacrificii Missæ ex propria sua indole, modoque perfectissimo significandi et attingendi fines sacrificio omni communes, qui integrum cultum Dei, tum internum, tum externum complectuntur.

(Continuabitur).

QUÆSTIONES CONFERENTIARUM. — Ut spatio parcatur, quæstionum textus deinceps ad calcem fasciculi remittetur et in tertia tegumenti pagina typis mandabitur.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. *Interpretare Ps. XXIII:* Domini est terra *etc.*

R. I. **Inscriptio.** *Prima Sabbati. Psalmus David.*

Psalmus David. Psalmus heb. *mizmor* (canticus) indicat hunc psalmum pertinuisse ad collectionem psalmorum ad usum liturgicum concinnatam. *David*, cf. supra, p. 745 s. Hic psalmus, (saltem secunda pars, vv. 6-10), probabiliter a Davide concinnatus fuit: optime (1) quadrat in translationem Arcæ fœderis e domo Obededom in Hierosolymam, postquam « Dominus dedisset ei (Davidi), requiem ab universis inimicis suis » (*II Reg.* VI, 12-VII, 1). Prior pars (vv. 1-6), plurium auctorum judicio (2), supponit Templum fuisse exstructum, et apparet esse ætatis multo recentioris. Illorum tamen argumenta rem non omnino conficiunt. Quodsi certò probaretur, dicendum foret duos psalmos, prius sejunctos, occasione cujusdam solemnitatis in Templo celebratæ, in unum canticum liturgicum fuisse coadunatos.

Prima Sabbati: inscriptio quæ abest in t. hebr., sed reperitur apud LXX: *τῆς μῖας σαββάτου*, i. e. prima die post Sabbatum seu die prima hebdomadæ canendus. In usu liturgico Synagogæ singulis hebdomadæ diebus certi quidam psalmi cantabantur (3): psalmus XXIII

---

(1) Cf. Briggs, *An exegetical and critical Commentary on the Book of Psalms*, Edinburgh, 1906, t. I, p. 213 s.; Davidson apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, t. IV, (Edinburgh, 1902), p. 151.

(2) Briggs, *l. c.;* Ewald et Baethgen apud Baethgen, *Die Psalmen*, Göttingen, 1897, p. 68.

(3) Quemadmodum in Psalterio Breviarii Romani.

pro prima Sabbati electus fuerit, quia initio carminis (vv. 1-2) mentio fit de creatione terræ quæ, juxta *Gen.* I, 1 ss., prima hebdomadæ die locum habuit.

II. **Argumentum.** Est hymnus diei festi, formæ plane dramaticæ, cantatus a duobus choris sibi mutuo respondentibus. *Prior pars:* Tanta est Dei creatoris majestas, ut perfecte sanctus esse debeat qui tabernaculum (templum?) ejus ingredi ejusque benedictionem accipere velit, vv. 1-6. *Secunda pars:* Poeta sacer portas civitatis per prosopopeiam compellit ut Jehovæ, regi gloriosissimo ac triumphanti, dent introitum, vv. 6-10 (1).

III. **Interpretatio.** *1^or^ Pars.* 1. *Domini est terra, et plenitudo ejus: orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.* Terra tota quanta, cum omnibus creaturis quæ eam replent, orbis habitabilis cum universis hominibus qui eum inhabitant, pertinent ad Jehovam tanquam ad dominum, quia ipse est ejus creator (v. 2).

2. *Quia ipse super maria fundavit eum: et super flumina præparavit eum.* Ipse enim (et non alius) terram mari fluminibusque eminentem (2) fundavit atque stabilem conservat.

Dum prior chorus, qui fingitur stare intra sanctuarium, summam Dei majestatem extollit, alter chorus, stans ante tabernaculum (vel templum), quærit quis ad

---

(1) Cf. Van Steenkiste, *Commentarius in librum Psalmorum,* Brugis, 1886, *h. l.* Hic psalmus in *sensu typico* sublimiore applicatur ingressui glorioso Christi in cœlum; in sensu typico minus sublimi applicatur ingressui triumphali Christi in Jerusalem paucis ante passionem diebus, cujus ingressus memoria in die dominica Palmarum celebratur. Juxta processionale olim in usum provinciæ Mechliniensis editum, hac ipsa die cantare licet, ubi viget consuetudo, quæ in 2^a^ parte Psalmi habentur (Cf. *Collat. Brug.,* t. XII, p. 208, n. 1). — Inter *sensus accomodatitios* unus verum habet fundamentum in re ipsa quæ per psalmum significatur, videlicet de læto ingressu Christi in animam fidelem per sacram Communionem. Cf. Van Steenkiste, *l. c.*

(2) Quod dicit Psalmista terram fundatam fuisse super maria, exhibet forsan opinionem veterum, terram undequaque mari magno ad modum insulæ circumdatam esse, *Gen.* I, 9. — Verbum *fundavit* referendum est ad creationem, dum *præparavit* conservationem respicit.

eum in tabernaculo (vel templo) habitantem accedere possit:

3. *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?* Quis dignus est ut ascendat in montem Sion ubi habitat Jehova tam magnus ac potens? aut quis dignus est ut stet in loco illo sancto, sc. in Dei sanctuario (1)?

Respondet prior chorus: in v. 4 exponit morales qualitates in sanctuarii visitatoribus requisitas, dum v. 5 favores ibi a Jehova præstitos exhibet.

4. *Innocens manibus* (2) i. e. in operibus externis *et mundo corde,* sc. in internis actibus; *qui non accepit in vano animam suam:* heb. qui non attollit (desiderio) animam suam ad falsitatem; *nec juravit in dolo proximo suo* i. e. qui fraudulenter non pejerat.

5. *Hic* (purus et insons) *accipiet* (in sanctuario) *benedictionem a Domino* (3): *et misericordiam a Deo salutari suo;* heb. et (accipiet) justitiam seu justificationem a Deo (auctore) suæ salutis.

6. Chorus externus jus ingrediendi sanctuarium sibi vindicat, dicendo illud privilegium jure hæreditatis ad progeniem Jacob pertinere.

Hæc est generatio quærentium eum: hæc est generatio (sc. illa quæ postulat ingressum) quæ pertinet ad Jehovam; *quærentium faciem Dei Jacob:* ita juxta LXX: τὸ πρόσωπον τοῦ Θεοῦ Ἰακώβ; sensus est: (hæc est generatio) quæ quærit faciem Dei Jacob, seu eum fideliter colit (4).

2ª *Pars.* 7. Chorus stans ante portas civitatis canit:

---

(1) Locus parallelus est *Ps.* XIV, 1: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula* etc.

(2) Briggs, *o. c.*, p. 215, suspicatur « manibus » esse glossema, quod ex ipsius membri structura metrica deducit.

(3) Sicut Obededom, *II Reg.* VI, 11.

(4) Ità etiam legunt duo codd. hebræi; Syrus habet: faciem *tuam*, Deus Jacob. Lectio hebr. genuina forsan (cf. Briggs, *o. c.*, p. 216) est: (hæc est generatio) quærentium faciem (Jehovæ), Jacob; sc. generatio quæ quærit faciem Jehovæ est progenies Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit rex gloriæ. Juxta heb. una est apostrophe ad portas, hoc modo: Attollite portæ, capita vestra (summitates), elevamini portæ sæculares, et introibit rex gloriæ (Jehova gloriose sedens in Arca fœderis). Poëta sacer dicit: *attollite, elevamini*, non *aperimini* quia portæ antiquissimæ Hierosolymarum ita constructæ erant, ut in altum elevarentur, quando ingrediendum erat, et demitterentur, quando introitus erat impediendus.

8. Chorus stans intra mœnia, more custodum seu excubitorum, quærit: *Quis est iste rex gloriæ?* Respondet chorus exterior: *Dominus fortis et potens: Dominus potens in prælio.* Alludit sane vates ad facta mirabilia quæ Jehova contra Israelitarum hostes operatus est. Arca fœderis, velut symbolum divinæ præsentiæ, ante Israelitarum agmen in bello gestari solebat. Cf. *Num.* X, 35; *I Reg.* IV, 3, 21 s.

9. Chorus exterior repetit iisdem verbis petitionem: *Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit rex gloriæ.*

10. Chorus excubitorum pariter repetit: *Quis est iste rex gloriæ?* Et chorus exterior cum quadam mutatione respondet: *Dominus virtutum ipse* (et non alius) *est rex gloriæ.* Heb. loco *virtutum* (Sabaoth: God der heirkrachten) legitur *exercituum*, qui titulus antiquior videtur (cf. *I Reg.* XVII, 45) (1).

A. Camerlynck.

---

(1) Post v. 6 et v. 10, in fine ergo utriusque partis, ponitur musicalis notatio: *selah*. Hæc notatio indicat psalmum in usum liturgicum fuisse abbreviatum, locumque notat quo benedictio finalis seu doxologia quædam repeti poterat. *Selah* proprie significat: elevate (sc. vocem ad laudandum). Quæ interpretatio explicat quomodo LXX *selah* verterint: διάψαλμα (interludium), dum traditio Palæstinensis ejus loco posuerit ultimam doxologiæ vocem: ita plerique Targumim: *in sæcula*, Aquila: ἀεί, S. Hier.: *semper* etc. Cf. Briggs, *o. c.*, p. LXXXIV s.

II

Q. *Expone quid intelligatur nomine* hierarchia *in Ecclesia catholica.*

R. 1. Nomine *hierarchia,* (ιερα αρχη vel ιερων αρχη) significatur sacer principatus vel rerum sacrarum principatus. Quum autem ubi est principatus sacer, ibi et multitudo sit sub illo ordinata, inde, ut dicit *S. Thomas* : « in nomine principatus duo intelliguntur, scilicet ipse princeps et multitudo ordinata sub principe » (1). Ubi habetur una multitudo ordinata *eodem modo* sub uno principe, ibi habetur *una hierarchia* (2).

Licet vocabulum hierarchia, etymologice consideratum, nihil aliud importet quam sacrum *principatum* (sive, in concreto sumptum, pro subjecto in quo residet potestas, sive, in abstracto, pro ipsa potestate), tamen *usu* factum est ut hoc nomine præsertim designetur principatus sacer in quo *plures gradus, ad invicem ordinati,* inveniuntur. Et hæc notio, nempe *ordinatio ad invicem diversorum graduum* in auctoritate, nobis prima occurrit menti quando audimus nomen *hierarchia* (3).

Inde, usu ecclesiastico, hierarchia *dupliciter* definitur secundum quod vocabulum sumitur in concreto, vel in abstracto: *in concreto*, est cœtus hominum in ecclesia potentiam habentium, secundum quod in eo cœtu plures diversique sunt gradus alii aliis subordinati; *in*

---

(1) I, Q. CVIII, a. 1.

(2) S. Thomas, l. c., declarat quod quum *unus* sit Deus, princeps omnium angelorum et hominum, ideo, ex parte *principis* supremi, *una* est hierarchia. Ex parte vero *multitudinis* dari possunt *variæ* hierarchiæ, et inter angelos dantur *tres* hierarchiæ.

(3) Cf. Hugon, *La notion de la hierarchie dans l'Église, Revue Thomiste,* t. XIV, 1906, p. 641 ss. — Imo extensus est usus illius vocabuli ad designandam graduum diversorum ordinationem in potestate *non sacra,* sed mere civili : ita, lingua gallica, dicitur *la hiérarchie sociale, la hiérarchie militaire.*

abstracto, est ipsa distinctio et subordinatio graduum in potestate sacra (1).

Et hæc de *formali* nominis significatione.

2. Si nunc quæratur de *materiali* ejusdem significatione, nempe de re in qua verificatur, apud Ecclesiam catholicam, ratio per nomen *hierarchia* significata (2), imprimis sciendum est Ecclesiam esse societatem *essentialiter inæqualem*, h. e. ita institutam ut constet *præpositis* ac *subditis*, qui duplicem personarum ordinem constituunt: non enim toti cœtui, seu multitudini hominum se sequentium, contulit Christus *auctoritatem* ad homines sanctificandos, sed *collegio* apostolorum, e multitudine electo ac separato ab ipsa, et ita prædicto collegio contulit Christus auctoritatem ut hæc per ipsorum *successores* remaneret perpetua : proinde distinctio inter clericos et laicos est juris divini (3).

Porro hæc auctoritas tres complectitur potestates, realiter distinctas, quippe quæ habent *objectum formale* diversum: sunt autem potestas *regendi* seu *jurisdictionis*, quæ ulterius est triplex sc. legislativa, judicialis et coercitiva; potestas *docendi* seu *magisterii;* potestas *conficiendi* sacra seu *ordinis* (4). Tamen « potestas magisterii, si spectetur *in concreto*, prout inseparabiliter

---

(1) In *prima* significatione adhibetur vocabulum in hoc canone Concilii Tridentini: « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse *hierarchiam* divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris; A. S. ». Cf. Denzinger, *Enchiridion*, n. 843. Eodem sensu dicebat Pius X: « Atque hi ordines ita sunt inter se distincti, ut in sola *hierarchia* jus atque auctoritas resideat movendi ac dirigendi consociatos ad propositum societatis finem; multitudinis autem officium sit gubernari se pati et rectorum sequi ductum obedienter » *Encyclica ad episcopos Galliæ*, die 11ª Februarii, 1906: cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 206.

In *secunda* significatione adhibetur vocabulum quando hierarchia distinguitur in hierarchiam ordinis et jurisdictionis.

(2) De nominis significatione *formali* ac *materiali*, cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 386.

(3) Cf. De Brouwer, *De Ecclesia*, n. 58 ss.: De San, *De Ecclesia*, Brugis, 1906, p. 326 ss.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 514 ss.

annexum habet jus *imperandi* subditis obedientiam fidei, ab ipsa potestate jurisdictionis non adæquate distinguitur » (1).

Diversi tandem sunt *gradus* in illa auctoritate; propter rationem statim indicatam, iidem sunt gradus, tum in potestate jurisdictionis, tum in potestate magisterii, ideo non distinguitur nisi duplex hierarchia, *jurisdictionis* nempe et *ordinis:* gradus autem alii jure divino, alii jure tantum ecclesiastico sunt instituti.

Hierarchia *ordinis* tres saltem habet gradus *divina* ordinatione institutos, sc. episcopatum, presbyteratum, diaconatum. Disputatur inter theologos utrum reliqui sint ex jure divino an ex jure ecclesiastico : sunt nempe, in ecclesia latina, subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus et ostiariatus; in ecclesia græca tantum subdiaconatus ac lectoratus.

Hierarchia *jurisdictionis* duos tantum, ex jure divino, habet gradus: sc. primatum S. Petri in ejus successoribus permanentem et episcopatum. Ex jure ecclesiastico alii invecti sunt gradus v. gr. Patriarchatus, Exarchatus, Primatus, Archiepiscopatus (2).

Presbyteratui, licet hic sit, ex jure divino, gradus hierarchiæ ordinis, tamen, ex jure divino, non est annexa jurisdictio; « sed hoc ipso quod immediate a Christo recipiunt in ordine, tamquam in radice, potestatem sacramentaliter solvendi et ligandi, evidenter fuerunt a Christo designati (presbyteri) ad obtinendam fori interni jurisdictionem » (3).

Inde occurrit distinctio jurisdictionis duplicis: unius quæ dicitur *fori externi,* nempe ad publicum ecclesiæ

---

(1) Billot, *De Ecclesia,* Romæ, 1899, t. II, p. 13.

(2) Quando in aliqua regione a Romano Pontifice sedes archiepiscopales ac episcopales constituuntur tunc dicitur ibi *hierarchiam* constitui. Sic Leo XIII in Japonia constituit hierarchiam, die 15ª Junii, 1891. Cf. *Leonis Papæ XIII Acta,* t. IV, Brugis, Desclée, 1894, p. 228.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *Juris canonici compendium,* Ed. 7ª, Brugis, 1903, p. 123.

regimen, et quæ ad Summum Pontificem et ad Episcopos pertinet; alterius quæ dicitur *fori interni* et quæ spectat privatam coram Deo sanctificationem singularum animarum.

Adnotatio. Tum existentiam, tum jura *hierarchiæ* propugnavit Pius X contra legem, a gubernio gallico confectam, de sejungenda civitate ab Ecclesia, qua lege « civilis potestas in eas res invasit, quarum judicium et arbitrium unius est sacræ potestatis » (1). Et sane auctoritate sacra, quæ in hierarchia ecclesiastica residet, omnino independens est Ecclesia ab omni potestate civili et ipsi superior (2).

Iterum Pius X indolem potestatis *magisterii* ac ejus verum munus contra *Modernistas* tuitus est damnando, decreto *Lamentabili*, hanc propositionem 6am : « In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiæ nihil supersit nisi communes discentis opinationes sancire » (3).

Tandem in Encyclica *Pascendi* damnavit Summus Pontifex opinionem Modernistarum de *origine hierarchiæ* seu auctoritatis Ecclesiæ: quam auctoritatem non a Deo datam ac constitutam esse censent, sed vitaliter emanatam ex conscientia collectiva membrorum Ecclesiæ (4).

J. Van der Meersch.

III

Q. Breviter expone systema *positivismi moralis*.

R. Hic directe non quæritur de systemate philosophico, quod exponitur et dijudicatur in *Logica materiali*

(1) Epistola « *Vehementer* » cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 205 ss.

(2) Cf. Van den Berghe, *L'Église et l'État*, Bruges, 1895, p. 6 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. 26; Billot, *o. c.*, p. 122 ss.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 522.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. c., p. 614 s.

seu majori et simpliciter *positivismus* vocatur (1). At cum positivistæ tamquam doctrinam fundamentalem habeant, præter sensibile nihil esse cognoscibile, adeoque naturam rerum ignorari prorsus (agnosticismus) (2), sponte adducuntur ad negandum ordinem moralem in rationali hominis natura fundatum et discrimen intrinsecum inter bonum et malum morale, seu logice deveniunt ad quemdam positivismum moralem adstruendum.

Communi nomine *positivismi moralis* venit doctrina eorum omnium qui, negantes discrimen, quod communi hominum appretiatione inter actiones honestas et inhonestas intercedit, objective in earum *natura* fundari, ejus statuunt aliquam causam *externam* et *positivam* (3). Nihil, aiunt, est *sua natura* bonum aut malum, sed bonitas vel malitia moralis oritur *ex fundamento contingenti et causa mutabili et positiva*. Ex hac descriptione liquet ratio nominis.

Porro pro diverso, quod assignant, fundamento diversæ exortæ sunt species positivismi moralis, quæ tamen convenienter omnes ad duplicem præcipue classem reducuntur.

Prima classis est eorum, « qui rationem moralis discriminis *ab ipso homine* ortam aut saltem a causa humana dependentem, et eatenus non naturalem, sed positivam esse perhibent..... Sed ab homine aliqua institutio originem vel dependentiam habere diversimode potest, nimirum aut *consilio et humanæ auctoritatis definitione* aut *præter consilium, variis cooperantibus causis* sive psychologicis sive socialibus, quibus paulatim certa hominum judicia de moribus morumque præcepta

---

(1) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, De Meester, 1900, p. 77 sqq.; ex professo dijudicatur positivismus apud Card. Mercier, *Critériologie générale*, Louvain, 1899, p. 224 ss.

(2) Cf. Litt. Encycl. Pii X *De modernistarum doctrinis*, initio (Collat. Brug., t. XII, p. 599).

(3) Th. Meyer, S. J., *Institutiones juris naturalis*, t. I (Herder, 1885), n. 142.

plus minusve communia invaluerint, ac demum vel opinione populorum vel educatione sancita sint » (1).

Alii assignant *legem civilem*. Quam doctrinam systematice docuit *Thomas Hobbes*, philosophus anglus (1588-1679), cum tota ejus theoria de societatis origine arcte connexam ; idem fere sæculo sequenti e similibus principiis conclusit *J. J. Rousseau* in opere *Du contrat social*. Ex utroque demum digna progenies orta est moderna *statolatria* per Hegelianam philosophiam invecta, quæ pariter *absolutam* legibus civilibus obedientiam deposcit (2).

Ad hanc theoriam recentius accessit satis prope *J. H. v. Kirchmann* (3), qui contendit unicam et ultimam rationem omnis moralis bonitatis et juris esse *auctoritatem qua talem*.

Alii præcipuam normam moralitatis statuunt *opinionem publicam ac traditionem populorum*. Quos inter nominandus est *Saint-Lambert* (1717-1803) et ante ipsum *Montaigne* (1533-1592), qui præcipue influxum *educationis* adstruere conatus est (4). Huc pertinet illud nostri temporis idolum, quod *opinionem publicam* appellant et practice tamquam norma honesti atque inhonesti a nonnullis habetur.

Demum recenseri debent varia systemata quæ in altera parte sæculi XIX ortum duxerunt sive directe sive indirecte ex schola philosophica, quæ *positivismi* nomine vulgo appellatur (5). Hujus in Gallia fundator et antesignanus exstitit *Auguste Comte* (1798-1857); at partem ethicam positivismi stabilire præcipue conatus

---

(1) TH. MEYER, *l. c.*, n. 143.

(2) TH. MEYER, *l. c.*, n. 144; BOUQUILLON, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 61; VAN DEN BERGHE, *Tractatus de legibus*, ed. 2ª (Brugis, 1904), n. 28.

(3) *Die Grundbegriffe des Rechts und der Moral*, Berlin, 1869. Cf. MEYER, *l. c.* et CATHREIN, S. J., *Moralphilosophie*, 3ª ed. (Herder, 1899), t. I, p. 142.

(4) TH. MEYER, *l. c.*, n. 145.

(5) Cf. Card. MERCIER, *Le bilan philosophique du XIXe Siècle. Revue Néo-Scolastique*, 1900, p. 5 ss., 315 ss.

est *Littré* simul cum *Taine:* vitam np. moralem repræsentat lucta inter duas tendentias homini naturales, egoïsmum scilicet et altruismum; quo magis evolvitur ethica, eo magis vincet egoïsmum altruismus seu cultus humanitatis, qui denique efflorescet in fraternitatem quamdam universalem. Similem doctrinam in Anglia *Stuart-Mill,* post *Bentham* præcipuus *Utilitarismi moderni* dux excoluit lateque propagavit (1).

Prædicti positivismi forma quædam distincta est *Evolutionnismus moralis*, quem propugnavit in Anglia *Herbert Spencer* (2). Ad hunc autem evolutionnismum accedunt in Germania *Ern. Laas*, *Haeckel, Paulsen*, *Wundt* et alii fautores *utilitarismi socialis,* accommodati principiis Darwinismi (3).

Nominari hic etiam debent patroni *socialismi scientifici*, præcipue *Marx, Engels* et *Bebel*, cujus fundamentum est materialismus historicus: ideæ religionis, aiunt, et ethicæ mutantur cum statu œconomico (4).

Positivismus moralis fundatus in interventu humano merito nuncupatur *scepticismus moralis,* ad quem logice devenit; nec mirum, si quidam ex istis pseudophilosophis aperte profiteantur vel, ut *Hartmann* et *Schopenhauer,* pessimismum moralem vel, ut *Stirner* et *Nietzsche*, scepticismum seu potius nihilismum moralem (5).

---

(1) Cf. De Baets, *Les bases de la morale et du droit,* 1892, p. 37 ss. Fundamentum moralitatis et obligationis est *connexio actionis cum felicitate;* unde actiones sunt bonæ in quantum conferunt felicitati, et quidem hujus vitæ. — Ad utilitarios accedit *David Hume, ibid.*, p. 57 ss.

(2) Cf. De Baets, *op. cit.*, p. 67 ss.; J. Halleux, *L'hypothèse évolutionniste en Morale. Revue Néo-Scolastique,* 1900 et 1901.

(3) Cf. Th. Meyer, *l. c.*, n. 146; Cathrein, *l. cit.*, p. 139.

(4) Cf. Cathrein, *l. c.*, p. 142, et fusius apud Collat. Brug., t. V (1900): *Quelques considérations sur la base philosophique du socialisme scientifique contemporain.*

(5) Cf. Cathrein, *l. cit.*, p. 140; Circa Nietzsche *Revue Neo-Scolastique,* 1903, p. 43 ss. — Brevitatis causa, vix indicavimus systemata ex positivismo derivata. « Le positivisme phénoméniste, ait Card. Mercier, *l. cit.*, p. 16, *est un état d'âme plutôt qu'une doctrine* ». Sub hoc respectu legi meretur J. Pacheu, *Du positivisme au mysticisme. Etude sur l'inquiétude religieuse contemporaine.* Paris, Bloud et Cie, 1906.

Altera classis est eorum qui *a libera Dei dispositione* omne morale discrimen actionum humanarum derivandum esse existimant: unica, aiunt, et ultima ratio cur actio est bona vel mala, ~~est~~ libera ac positiva Dei voluntas præcipiens vel prohibens. Hanc sententiam docuerunt, præter nominalistam *Occam* († 1347) et *Gerson* († 1429), præcipue *Descartes* (1596-1650) et *Samuel Pufendorf* (1632-1694) (1).

IV

Q. *Dijudica illud systema.*

R. Contra *universum* positivismum moralem ponimus hanc thesim contradictoriam: *Dantur actiones* intrinsece *bonæ vel malæ.* Hæc thesis:

1°/ **Explicatur.** Ultro concedimus multas actiones esse, quæ ideo tantum moraliter bonæ vel malæ dicantur et sint, *quia* sunt lege quadam præceptæ vel prohibitæ: sic opus servile peractum die dominica est inhonestum, non ex natura sua, sed tantum ex lege positiva prohibente illud. Quæ moralis differentia propterea *positiva* seu *extrinseca* appellatur. Itaque thesis affirmat nihil aliud, nisi esse *præterea* morale discrimen *intrinsecum*, quo, non omnes quidem, sed *aliquæ* actiones honestæ sint vel inhonestæ *naturaliter*, id est, juxta formulam receptam, bonæ vel malæ, non quia præceptæ vel prohibitæ, sed contra, quæ ideo præceptæ vel prohibitæ esse intelliguntur, quia *per se* honestæ vel inhonestæ (2).

Hæc tamen formula rite intelligatur: *completa* enim ratio malitiæ moralis semper advenit ex prohibitione Dei vel libera vel necessaria; at quædam sunt *radicaliter* mala, ita ut *sua natura* postulent a Deo prohiberi. Et sane in signo priori ad prohibitionem, intellectus

(1) Cf. Th. Meyer, *l. cit.*, n. 147; Cathrein, *l. cit.*, p. 149.
(2) Th. Meyer, *l. cit.*, n. 148.

divinus videt ea quæ ex intrinseca sua natura tendentiam creaturæ rationalis in finem ultimum vel destruunt vel impediunt (1), et cum talia habeant in se unde necessario a Deo prohibeantur (i. e. cum sint radicaliter mala), merito dicuntur prohibita quia mala, non autem mala pure et simpliciter quia prohibita (2). Imo S. Thomas, quod directe facit contra positivistas, hoc axioma theologorum intelligit non de lege æterna, sed de lege positiva : « Cum dicitur quod « non omne peccatum ideo est malum quia est prohibitum » *intelligitur de prohibitione facta per jus positivum;* si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo quidem in lege æterna, secundariò vero in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc « omne peccatum est malum, quia prohibitum ». *Ex hoc enim ipso quod est inordinatum, juri naturali repugnat* » (3).

Item adverte, quando dicitur : « quædam sunt bona vel mala, quia præcipiuntur vel prohibentur », ea jam habere quamdam bonitatem vel malitiam, saltem *aptitudinalem*, quatenus apta sunt præcipi vel prohiberi, tamquam utilia vel nociva ordini (4).

2°/ **Probatur.** A/ *Ex communi et perpetua hominum persuasione.* Omnes omnino homines rationis usu præditi distinguunt inter bonum et malum, et consequenter homines appellant alios bonos, alios malos. Utique discrepant eorum judicia de qualitate morali alicujus actionis in concreto sumptæ, imo interdum circa applicationem principiorum generalium ; at apud populos etiam vix cultos existit et semper exstitit persuasio communis actiones humanas nequaquam omnes moraliter indifferentes esse, sed existere aliquod discrimen

(1) Et sic sunt mala mortaliter vel venialiter.

(2) Cf. Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, 2ª ed. Romæ 1902, p. 28; Tepe, S. J., *Institutiones theologiæ moralis generalis*, Paris, Lethielleux [1898], t. I, n. 55 sq.

(3) S. Th. 1-2, q. 71, a. 6 ad 4.

(4) Cf. Bouquillon, *l. c.*, n. 344 (3ª ed., n. 350), nota in fine.

certissimum, quo aliæ censeantur et sint honestæ, aliæ autem inhonestæ. Hujusmodi consensus non est tantum circa abstractam differentiam boni et mali, sed etiam circa non adeo pauca principia satis particularia. Ita sentiunt omnes mentiri necessario turpe esse, patriæ proditionem, parricidium odio digna. Omnes præterea discrimen illud, conscientiæ sive monentis sive exprobrantis voce jugiter confirmatum, multis actionibus ita *essentiale et intrinsecum* judicant, quod nullis umquam adjunctis, nullo respectu commodi vel incommodi, nulla temporis, locorum aut personarum variatione, nulla umquam, ne divina quidem, voluntate immutari possit.

Sed hæc persuasio, tam universalis et constans, tam invincibilis, aliter explicari *sufficienter* non potest, nisi admittatur fundari in ipso *vocis naturæ* dictamine, in quo falsitas esse non potest (1). Quod revera fundetur in ipsa natura rationali probatur

B/ *Ex ratione*. S. Thomas in *Summa contra Gentiles*, l. III, c. 129 ostendit « *quod in humanis actibus sunt aliqua recta secundum naturam et non solum quasi lege posita* ».

Ex ejus demonstratione hæc excerpimus: « Unicuique, ait, naturaliter conveniunt ea quibus tendit in suum finem naturalem (2); quæ autem e contrario se habent, sunt naturaliter inconvenientia. Ostensum est autem supra (c. 115) quod homo naturaliter ordinatur in finem. Ea igitur quibus homo inducitur in cognitionem et amorem Dei sunt naturaliter recta; quæ autem e contrario, sunt naturaliter homini mala ». Et

---

(1) Reinstadler, *Elementa philosophiæ scolasticæ*, t. II (Herder, 1904), p. 324; Th. Meyer, *l. cit.*, n. 150; Cathrein, *l. cit.*, p. 143 ss., qui præterea assertum consensum ex professo demonstrat in Appendice ad t. I, p. 508 sqq.

(2) Bonum est quod perficit subjectum. Jamvero « unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio ». S. Th. 2-2, q. 184, a. 1.

paulo supra : « Est homini naturale quod sit animal sociale... Ea igitur sine quibus societas humana conservari non potest, sunt homini naturaliter convenientia, » id est, sunt intrinsece bona sicut e contrario ea quæ sociali fœderi sunt contraria, sunt intrinsece mala.

Non immorabimur in refellendo directe varias species positivismi moralis (1); sufficiat, ad complementum utriusque responsi, hæc breviter notare.

Hypothesis liberæ institutionis divinæ jamdudum est derelicta penitus, et sic referenda est ad historiam philosophiæ moralis.

Idem dicendum de *antiquioribus* systematibus, quæ nituntur *hypothesi institutionis humanæ*, nisi quod, uti notavimus in resp. præced., vivere pergant in practica nonnullorum æstimatione.

Quod attinet theorias *recentiores,* derivatas ex philosophia positivistica, ex ipsa earum historia probaretur, si fieri posset, axioma apud modernos receptum : veritatem esse essentialiter relativam et mutabilem. Memoratu præterea dignum est hoc factum : a tribus vel quatuor annis ubique, in libris et periodicis quæ de re morali tractant, conclamatur ruina ethices, *la crise de la morale* (2), et intelligitur ethica pseudo-scientifica, independens, *la morale laïque.* Exortum np. est novum systema, cujus fautores novam methodum, np. *sociologicam*, necessariam prætendunt ad construendum systema morale : examinanda sunt, aiunt, facta moralia per

---

(1) Cf. Meyer et Cathrein, *ll. cit.*

(2) Cf. v. g. Cl. Besse, *L'agonie de la morale* (*Revue Néo-Scolastique*, 1906, p. 265 ss.); G. Michelet, *La crise actuelle de la morale* (*Revue pratique d'Apologétique,* mai 1906); S. Deploige, *Le conflit de la morale et de la sociologie* (*Revue Néo-Scolastique,* 1905, 1906, 1907); E. Van Roey, *Over christene Zedenleer.* (*La vie diocésaine* (Malines), novembre 1907, p. 351); Chollet, *La morale est-elle une science?* Bloud et Cie, Paris, 1907 (Collection : Science et Religion). — Inanitatem præterea illius « morale scientifique » luculenter probat experientia, præsertim in Gallia, ubi maxime fuit propagata. Cf. v. g. P. Bureau, *La crise morale des temps nouveaux,* 2e éd., Paris, Bloud, 1907.

decursum sæculorum apud varios populos usque ad præsens tempus, np. mores hominum, et præcipue « conscientia communis », quam exprimit communis modus judicandi populorum. Post factam crisim completam et comparationem accuratam, tunc demum statuendæ erunt leges morales, quæ respondeant naturæ hominis et progressum societatis procurare valeant, et sic construetur scientia moralis (1). Donec formetur *La morale scientifique,* hoc factum retinere juvat: isti hodie comburunt, quod heri adorabant.

H. Mahieu.

V

Q. *Utrum peregrini possint a superiore loci ubi accidentaliter degunt dispensari in legibus communibus, pro quibus relaxandis ille habet potestatem.*

R. Quæstio hæc, acriter disputata, inde præprimis difficultatibus intricata videtur, quia auctores permixtim egerunt de dispensatione a jure communi, de dispensatione in votis et juramentis et de absolutione a censuris, et insuper, quia ratio unde aliquis subditus censetur superiori loci non adeo determinata in jure et doctrina existebat; nempe notio quasi-domicilii perspicua non erat et vix a simplici habitatione distinguebatur.

---

(1) « Le rôle de la science dans le domaine moral ne consiste pas à trouver les formules des règles directrices de l'activité. Il consiste à étudier la réalité morale, c'est-à-dire les faits moraux et leurs lois. Les sentiments, les idées, les coutumes, les mœurs doivent être considérés comme des « choses » et étudiés comme telles ». Ainsi parle M. Albert Bayet, dans l'avant-propos de son livre *La morale scientifique* (Paris, 1905, p. 5). Et avant lui avaient affirmé la même chose, MM. Durckheim, *Le Suicide* (Paris, 1898) et Lévy-Bruhl dont le livre *La morale et la science des mœurs* (Paris, 1904) a pris immédiatement les allures et obtenu le succès d'un manifeste de l'école historique et sociologique. Ita Chollet, *op. cit.*, p. 19. *L'école sociologique* a comme organe *L'Année sociologique,* dirigée par Durckheim. Cf. etiam Deploige, *l. cit.*

Legenti, inter multos alios, Barbosa (1) et S. Alphonsum (2) hæc clare patebunt.

I. Attenta genuina notione dispensationis (3) et praxi Ecclesiæ, dicendum videtur quod *per se* superior loci, seu concrete Episcopus, nequeat dispensare in legibus generalibus, pro quibus relaxandis facultatem habet, cum peregrinis stricte dictis, scilicet cum illis qui in loco seu diœcesi accidentaliter versantur, ubi nec domicilium nec quasi-domicilium habent, retento alibi uno aut altero.

Ratio in promptu est: facultas enim dispensandi in jure communi, sive obveniat Episcopo per concessionem juris scripti aut non scripti, sive per expressam aut tacitam delegationem principis nequit exerceri nisi relate ad subditos, cum dispensatio sit actus jurisdictionalis, cujus per se capax est omnis et solus subditus (4). Jam vero peregrini non sunt subjecti Episcopo loci in quo accidentaliter versantur. Inde sequitur quod si illi valide dispensentur, id solum ex delegatione proprii peregrinorum Episcopi aut Romani Pontificis, aut ex consuetudine fieri potest.

Quod confirmatur praxi Ecclesiæ nempe in materia dispensationum matrimonialium (5), in delegatione facultatum quinquennalium (6) et ita porro. Allata est in hunc sensum declaratio S. C. C. a Gregorio XIII approbata, de cujus authenticitate nullum positivum

---

(1) *De Offic. et potest. episcopi*, Pars II, alleg. 36, nº 17 s.; alleg. 39, nº 6. Erronee citantur alleg. 26 et 29 a Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, ed. 3, nº 184, p. 408; nota 4.

(2) *Opera moralia Sancti Alphonsi Mariæ De Ligorio*. I. *Theologiæ moralis editio nova* ed. L. Gaudé. T. I, nº 158, p. 138 s., Romæ, 1905; coll. Bouquillon, *o. et l. c.*, nota 2.

(3) *Collat. Brugen.*, t. XII, p. 760 s.

(4) Barbosa, *l. c.*; Feye, *Tractatus autogr. de legibus*, nº 206; Noldin, *De principiis theologiæ moralis*, ed. 6, nº 166, p. 194 s., Œniponte, 1906.

(5) *Collat. Brug.*, t. V, p. 476 s.

(6) Cf. tamen Konings-Putzer, *Commentarium in facultates Apostolicas*, ed. 5, nº 49, p. 68, Neo Eboraci, 1898; qui auctor nititur in auctoritatem S. Alphonsi, sicuti multi moderni.

dubium movetur (1), in qua dictum fuit Episcopum posse absolvere in sacramento Pœnitentiæ (2) exteros commorantes in sua diœcesi, sed non dispensare in casibus cap. 6, sess. 24 de ref. Conc. Trid. contentis (3); etiam si præfati exteri extra suam diœcesim delictum commiserint.

Denique tandem Auctores veteres revera hanc sententiam plerique admiserunt, uti videre est perlustranti sæpe citatum locum S. Alphonsi (4). Doctorum modernorum communis non est sententia (5).

Neque dicatur (6) quod superior loci constituatur legum communium vindex etiam respectu peregrinorum et quod inde videatur similiter posse eis, data causa, earumdem legum relaxationem concedere. Etenim facultas dispensandi tota quanta originem ducit ex delegatione quæ actu positivo probanda est. Unde potestas judicialis a potestate dispensativa separabilis est, etiam relate ad proprie dictos subditos.

Nec valet ratio quod secus cogeretur peregrinus ad obtinendam dispensationem proprium adire superiorem, quod plerumque absque magno incommodo fieri non posset, cum hæc necessitas potius inter causas excusantes a lege sit connumeranda.

II. Attamen ex testimonio modernorum scriptorum, et ex praxi vigente videtur quod *de facto* peregrini dispensentur *a certis* legibus, puta jejunii, abstinentiæ ab

---

(1) Ap. S. ALPHONSUM, l. c., cum animadversionibus Gaudé nota d/ p. 138. Hæc declaratio invenitur apud PALOTTINI, *collectio omnium conclusionum et resolutionum* etc., t. IX, v° Episcopus § 14, n° 51 et 52.

(2) *Collat. Brugen.*, t. XI, p. 585 s.

(3) Famosum caput *Liceat* qua Episcopis datur facultas circa irregularitatem, et suspensionum dispensationes, et criminum absolutiones.

(4) Cum annotationibus et correctionibus a Gaudé adjectis.

(5) Cf. FEYE, *l. c.*; BOUQUILLON, *o. et l. c.*; VAN DEN BERGHE, *de Legibus*, ed. 2, n° 148, p. 134 s ; D'ANNIBALE, *Summula theologiæ moralis*, ed. 4, n° 232, p. 202; WERNZ, *Jus Decretalium*. T. I. *Introductio*, n° 123, nota (166): LEHMKUHL, *Theologia moralis*, ed. 9, t. I, n° 164, p. 114; NOLDIN, *o. et l. c.* etc.

(6) BOUQUILLON, *l. c.*; VAN DEN BERGHE, *o. et l. c.*

opere servili, immediate vel mediate, ab Ordinariis loci ubi accidentaliter commorantur, saltem si tempus eis non suppetit recurrendi ad proprium superiorem. Cujus praxis fundamentum est vel proprii peregrinorum episcopi tacita delegatio (1), cujus tamen conditiones ægre tantum verificari possunt, vel potius consuetudo generalis cum tacito consensu Romani Pontificis (2).

III. Demum quoad praxim adduci possunt verba Rev^mi Domini Waffelaert (3): Si « dubitetur an potestas dispensantis eo se extendat, tunc si sit dubium juris ob diversas opiniones, potest dispensare superior, adeoque tutus est cum quo dispensatur; et idem valet de potestate delegata, quia potestas dispensandi est favorabilis et late interpretanda ».

A. De Meester.

VI

Q. *Quænam signa crucis sunt facienda a celebrante ab initio missæ usque ad* Introitum? *Eorum significationem expone.*

R. I. Præscribunt Rubricæ Missalis ut celebrans signo crucis « seipsum benedicat vertens ad se palmam dexteræ et omnibus illius digitis junctis et extensis a fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dextrum (4) », dum dicit intelligibili voce, in initio missæ:

1° *In nomine Patris...* ante ps. *Judica me;*

2° *Adjutorium nostrum...* ante *Confiteor;*

3° *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum...;*

4° Prima verba *Introitus.*

II. Quænam sit signi hujus significatio et quam ob

---

(1) Ill^mus ac Rev^mus Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali*, n° 339, p. 275 Lovanii, 1880; Suarez, *de legibus*, lib. VI, c. XII, n° 6 ss.

(2) S. Alphonsum, *o. c.*, lib. VI, n° 588; Lehmkuhl, *o. et l. c.*

(3) *o. c.*, n° 336, p. 273.

(4) Ritus celebrandi, III, 5.

causam toties et sub his præcise verbis et adjunctis repetendum sit, adæquate tantum intelligitur ex doctrina sacrificii crucis et cæremoniarum historia.

Sacrificium a Christo in cruce oblatum est causa meritoria redemptionis nostræ. A cruce Jesu dimanant in nos dona gratiæ omnia, ita ut crux calvariæ merito dicenda sit fundamentum totius supernaturalis dignitatis, spei et salutis hominis christiani (1).

Gratia requiritur ad quemvis actum supernaturalem. Quum autem debeamus vitam nostram reddere supernaturalem totam, ideo solebant primi christiani reapse perficere quod in catechismo omnibus commendatur: ad *initium* nempe cujusque actionis signabant se signo crucis, quasi externa sed tacita gratiæ impetratione et actionis relatione in finem supernaturalem (2).

Ad signum illud parvæ crucis quod fronti vel cordi, quasi intellectus et voluntatis sedi, pollice imprimebant, specialem orationis formulam non videntur adhibuisse. In protestationem autem contra errores arianos, invaluit paulatim usus perficiendi signum crucis sicut hodie solemus, ad confitendam divinitatem Verbi Incarnati, exprimendo simultanee Incarnationem et SS. Trinitatem cujus Filius Incarnatus est secunda persona (3).

Speciali titulo convenit signo externo agnoscere præfatam necessitatem gratiæ et auxilium supernaturale efflagitare pro actibus cultus. Et exemplo præivit Ecclesia docens nos: si vis bene orare, prius pete gratiam

---

(1) Cf. S. Cyprianus. *Testimonia*, II, 22. Ideo crucis signum seu symbolum a primis temporibus merito habitum est ut signum proprium religionis christianæ et discipulorum Dei crucifixi, quos ethnici hac de causa deridebant et insectabantur ut « crucis religiosos ». Tertull., *Apolog.*, 16.

(2) Notissimus est textus Tertulliani, *De corona militis*, c. V (anno 211): « Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calciatum, ad lavacra, ad mensam, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem signaculo terimus ».

(3) Cf. Cabrol, *Le livre de la prière antique*, p. 131.

bene orandi. Et ideo solet cæremonias, horas canonicas, benedictionum formulas, aliasve orationes inchoare signo crucis, jubens generatim ut addatur oratio quæ signi finem dilucide explicet: *Adjutorium nostrum in nomine Domini* (1), vel: *Deus in adjutorium meum intende* (2).

Et sane mirabitur nemo Ecclesiam etiam præfato signo inchoare sacrificium missæ, actum nempe cultus perfectissimum, qui est sacrificii crucis commemoratio et renovatio. Hæc applicemus principio missæ:

1/ Ab **Introitu** cæremonias missæ per plura sæcula incepisse notissimum est: quare sacerdos prima verba antiphonæ Introitus recitans olim et hodiedum signat seipsum vel saltem signat librum signo salutari crucis (3).

2/ **Ante antiph.** *Introibo.* — Medio ævo, Introitui præmissæ sunt preces præparatoriæ ad altaris pedem recitandæ, quæ duplicem complectuntur partem: a/ psalmum *Judica me* cum sua antiphona, b/ confessionem generalem cum precibus adjectis (4).

Priori parti præmissum est crucis signum, eo modo faciendum quo tunc usus obtinebat, sub invocatione nempe SS. Trinitatis cui sacrificium missæ offertur (5).

3/ **Ante** *Confiteor*. Quoad alteram partem, probe

---

(1) V. g. ante benedictionem quam elargitur Episcopus, puta in fine missæ, vesperarum aut laudum; item in benedictione quam olim impertiebatur episcopus aut abbas in fine Primæ et cujus formulam nunc omnes recitare debemus. De benedictionibus in genere statuit Rituale, tit. VIII, c. I, 3: « In principio cujusque benedictionis dicat: *Adjutorium...* ».

(2) Hæc formula adhibetur in initio singularum horarum Breviarii; in Prima dicitur in principio horæ quæ recitabatur in choro, et repetitur in initio illius partis quæ post orationem et lectionem martyrologii dicebatur in oratorio ad petendam benedictionem divinam super opera diei.

(3) Sicut in primitiva Ecclesia, nulla formula specialis hic præscribitur. In nonnullis tamen ecclesiis antiquitus dicebatur « *Adjutorium nostrum...* » vel « *In nomine Patris...* ».

(4) Non ubique olim utraque pars addi solebat, sicut et hodiedum omittitur ps. *Judica me* in missis pro defunctis et in quibusdam de tempore.

(5) Liturgia valde ægre supprimi sinit quæ semel merito fuerunt inducta. Ideo servavit signum crucis ad *Introitum,* sicut ad horas canonicas servat illud ad verba « *Deus in adjutorium,* licet illis verbis jam præmittatur hodie *Pater* et *Ave* et signum crucis initiale.

notandum est formulam confessionis generalis jam a pluribus sæculis fuisse in usu ut cæremoniam per se stantem, quæ in pluribus horis canonicis (1) inserta fuit antequam missæ cæremoniis adnecteretur. Hæc autem oratio, juxta principia præfata, inchoabatur signo crucis et generatim inserta fuit cum præcedenti versu: *Adjutorium nostrum in nomine Domini* (2). Hæc tria igitur signa crucis facienda sunt *ratione inchoationis*.

Non ita de cruce facienda

4/ Ad verba *Indulgentiam*. Gratiam quam Christus meruit sacrificio crucis sæpe nobiscum communicatur ministerio sacerdotis. Quam ob causam solet sacerdos ministrare sacramenta et sacramentalia sub crucis signatione (3). Quare etiam quoties sacerdos apprecatur vel impertitur benedictionem aut peccatorum pœnarumve remissionem, solet producere signum crucis super personam (aut rem) benedicendam aut absolvendam, quæ et ipsa vicissim cruce se signat ut manifestet se desiderare et expetere benedictionem per merita crucis Domini (4).

---

(1) V. g. in precibus ad Primam et in principio Completorii.

(2) Ita in Breviario; in principio benedictionis apostolicæ in articulo mortis. Ex quibus apparet verba *Adjutorium* in principio Missæ et alibi non referri ad præcedentia, ut innuit R. D. E. Van Deur, *La Sainte Messe*, p. 42, sed ad sequentia.

(3) Tertull., *De resurr. carnis*, c. 8: « caro signatur ut et anima muniatur ». S. August., *Tract. 118 in Johan.*, n. 5: « Quid est, quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil horum rite perficitur ». Recole singula sacramenta: in ritu substantiali administrationis semper occurrit signum crucis.

(4) V. g. in fine missæ; post administrationem S. Communionem; in benedictione cum SS. Sacramento; in benedicendis candelis, cineribus, palmis, incenso, aqua, sale, rebus quibuscumque; in ordinationibus sacris. Item in absolutione sacramentali, in absolutione a censuris, in benedictione cum indulgentia plenaria seu absolutione generali concessa Tertiariis.

In missa solemni diaconus ante evangelium et subdiaconus post epistolam non se signant quia librum tenentes impediuntur.

Et ita est ad verba *Indulgentiam* etc. Quod ut melius intelligatur, advertere velis quæso, ad alios fideles generatim a sacerdote dirigi verba: *Indulgentiam... peccatorum* VESTRORUM *concedat* VOBIS. Quo in casu sacerdos facit signum crucis super fideles qui et ipsi signo salutari se muniunt (1). Verum missam celebrat ipse sacerdos eamque aliquatenus concelebrat populus præsens, ita ut uterque ad omnimodam conscientiæ puritatem se disponere debeat. Quare dicuntur hic verba pro utroque in prima persona plurali: *Indulgentiam... concedat* NOBIS. Et ideo sacerdos non signat alios sed seipsum, sicut ceteroquin convenit ut cruce se muniant et ministri assistentes et fideles præsentes.

C. CALLEWAERT.

(1) Puta ante S. Communionem, in benedictione in articulo mortis, ante Extremam Unctionem, in absolutione generali.

Quid est Apologetica

1. Considerantî varia objecta circa quæ versatur humana cognitio, apparet dari aliquam scientiam cujus objectum proprium sit demonstratio necessitatis, cui homo subjicitur, adhærendi alicui religioni et existentiæ veræ religionis cui est adhærendum: hæc scientia communiter vocatur *apologetica* (1).

Hæc porro recte definitur: *scientia de præambulis adhæsionis ad veram religionem.* — Dicitur: *scientia*, hîc objective spectata: est enim complexus conclusionum quæ circa aliquod determinatum subjectum versantur et quæ ad ordinem et unitatem rediguntur sub principiis a quibus procedunt (2). Dicitur: de *præambulis adhæsionis:* conclusiones enim quas statuit Apologetica sunt illæ veritates quarum cognitio prærequiritur, tamquam conditio sine qua non, ut possit homo rationabiliter adhærere alicui religioni, h. e. credere veritates et consequenter agere secundum fidem conceptam (3). Ultima enim conclusio Apologeticæ est: homo debet adhærere tali religioni, sc. christiano-catholicæ. Dicitur: *ad veram religionem.* Hoc nomen sumitur hîc objective ad designandum complexum veritatum credendarum et præceptorum observandorum ut homo recte se habeat erga Deum, h. e. recte agnoscat suam a Deo dependentiam, eique debito modo serviat: sic

---

(1) In lingua gallica, vocabulo substantivo *apologétique*, præter significationem quam suprà indicavimus, aliæ quoque minus apte tribuuntur, quas distincte percipere necesse est: v. gr. hoc vocabulo designatur efficacia medii quo homines adduci possunt ad veram religionem: *l'apologétique de l'exemple;* designatur etiam specialis series argumentorum, sive valida, sive invalida, quæ proponitur ut adducatur homo ad veram religionem: *l'apologétique psychologico-morale, l'apologétique de l'immanence.*

(2) Cognitio, ut sic dicam, disparata de variis conclusionibus non est scientia: hæc consistit in cognitione acquisita per ratiocinium et (si agitur de scientia totali), vere ordinata in aliquod totum logicum, in aliquod systema. Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 182 ss.

(3) Melius, ut videtur, dicitur scientia de *præambulis* quam de *fundamentis:* nam illæ veritates quarum cognitio prærequiritur, pertinent ad cognitionem mere naturalem et ideo non sunt in eodem ordine ac ipsa fides seu adhæsio.

sumpta religio complectitur tria elementa, nempe partem *dogmaticam*, partem *moralem* et etiam partem *ritualem*, quæ scilicet spectat exercitium cultus, stricte dicti. Attamen apologetica non inquirit de singulis veritatibus credendis, seu præceptis observandis, seu ritibus adimplendis, sed considerat ea generatim in quantum constituunt veram religionem. Inde in definitione dicitur : ad *veram* religionem : nam hujus scientiæ munus est determinare quænam sit, in concreto, in præsenti Providentiæ ordine, religio cui debet adhærere homo ut attingat finem suum ultimum.

Ex dictis concludere licet, ut videtur, minus esse aptam Apologeticæ definitionem quæ sic exhibetur : « *Scientia fundamentorum veræ religionis* » (1). Nam non liquet utrum, in data definitione, vocabulum *religio* sumendum sit *objective*, vel *subjective*; et non æque recte adhibetur in alterutra significatione. Nam si sumitur *objective* (ut sumere videtur auctor citatus), conclusiones, quas statuit apologetica, non sunt, proprie loquendo, fundamenta ipsarum veritatum credendarum vel præceptorum observandorum, sed sunt præambula *fidei*, vel generice loquendo, *adhæsionis* hominis ad veram religionem (objective spectatam). Et sane, conclusiones, quas demonstrat apologetica, puta necessitatem alicujus religionis, possibilitatem revelationis, ipsum factum revelationis, etc., non sunt, in ordine logico, fundamenta veritatum credendarum vel præceptorum observandorum, puta existentiæ SS. Trinitatis, Incarnationis, obligationis recipiendi baptisma, etc. Ultima conclusio apologeticæ est hæc : *hic complexus* veritatum, puta doctrina a Christo proposita, est credibilis et credendus. Apologetica igitur est scientia de veritatibus quæ sunt præambula ad rationabilem fidem seu adhæsionem veræ religioni. — Si, in prædicta definitione, vocabulum, *religio* sumeretur *subjective* et sensu *latissimo*, pro adhæsione ad veritates et adimpletione præceptorum, quæ a Deo revelatione fuerunt proposita, tunc apologetica dici posset scientia de *fundamentis* veræ religionis, dummodo intelligeretur per *fundamenta* veritates cognoscendas ut quis rationabiliter crederet; sed, uti suprà notavimus, melius dicitur *præambula* quam fundamenta. Tandem si sumeretur

(1) De Groot, *Summa apologetica*, Ratisbonæ, 1906, p. 2.

religio subjective; et in sensu *stricto*, pro ipsa *virtute morali* hominem inclinante ad cultum debitum Deo exhibendum, sic nimis coarctaretur objectum apologeticæ, quippe quæ agit de præambulis ad omnem virtutem qua homo ordinatur ad Deum.

Apologeticæ est non solum demonstrare et explicare veritates quæ sunt præambula fidei, sed etiam illas defendere ab objectionibus, et judicium ferre de valore, sive absoluto sive relativo, argumentorum quæ quandoque proponuntur in ordine ad adducendos homines ad veram religionem. Quum *methodus* definiatur: recta ordinatio viæ in operando sequendæ ad determinatum terminum, ordinatio nempe rationis qua operatio apta fiat ad finem attingendum, apologeticæ methodus erit electio argumentorum aptorum et ordinis recti illorum argumentorum ac veritatum ut rationabilis ostendatur adhæsio ad veram religionem. Potest autem methodus considerari relate ad partem aliquam apologeticæ: v. gr. methodus demonstrandi existentiam Dei, demonstrandi factum revelationis, etc. Inde nostris diebus sermo fit de novis methodis apologeticæ, quia a quibusdam proponuntur argumenta diversa ab argumentis olim propositis, vel quia potiorem locum tribuunt argumentis quæ antea nonnisi secundario loco ponebantur: illæ tamen, quæ dicuntur, novæ methodi sæpissime vere methodi non sunt, quia argumenta proposita sunt inepta ad finem obtinendum.

2. Apologetica, prout supra fuit definita, est aliqua *specialis* scientia, quippe quæ habet *proprium* suum objectum, quod est: præambula adhæsionis ad veram religionem (1). Licet apologetica exponat quasdam veritates quæ etiam ad philosophiam pertinent, ut est existentia Dei, tamen in illa ordinantur ad specialem finem. Differt igitur apologetica a philosophia; differt etiam a theologia, stricte dicta: hæc enim est scientia de Deo ac de rebus ad Deum pertinentibus *e revelatione derivata*. Inde theologia sacra supponit factum

---

(1) Cf. GUTBERLET, *Lehrbuch der Apologetik*, Munster i. W. 1888, p. 2 ss.; ZIGLIARA, *Propædeutica in S. Theologiam*, Proœmium, n. III. — Apologetica est media inter philosophiam ac theologiam est « quasi pons oppositas ripas conjungens, per quem de una ad aliam commode fiat transitus » ZIGLIARA, l. c.

revelationis, saltem generice sumptum, et supponit fidem in illo qui de singulis veritatibus revelatis inquirit; apologetica, e contrario, minime supponit fidem, sed in hoc tendit ut fides ostendatur rationabilis, et nominatim demonstrare debet *factum revelationis* (1).

Inde non admittenda notis videtur sententia propugnata a cl. *Maisonneuve* et quæ exponitur in hac definitione : « L'apologétique est cette *partie de la théologie* qui traite scientifiquement de la justification et de la défense de la foi chrétienne (2). Ad propugnandum non distingui apologeticam et theologiam dicitur : « *La raison*, bien loin d'établir une divergence et une séparation entre l'apologétique et la dogmatique, est la faculté qui les unit; car si elle est indispensable à l'*apologiste* pour construire ses arguments, elle n'est pas moins essentielle au *théologien* pour tirer des majeures ou des mineures révélées des conclusions qui enrichissent le trésor de la foi. Et non seulement, la science de l'un et de l'autre est raisonnante et discursive, non seulement ils emploient le même instrument dans la recherche de la vérité : la dialectique; mais ils envisagent souvent des objets identiques : le surnaturel, Jésus-Christ, l'Église » (3). Ad hæc respondeo : a/ si apologetica pertineret ad theologiam *quia* ratio est facultas qua utraque cognoscitur, tunc nulla esset diversitas inter scientias humanas quaslibet : nam eadem ratio in homine est facultas unica qua omnis omnino cognitio intellectualis acquiritur ; et ad omnem acquirendam scientiam requiritur dialectica ; b/ præterea principium subjectivum theologiæ est ratio fide illustrata ; principium autem subjectivum apologeticæ est ratio solis naturæ viribus instructa ; c/ quoad objecta : licet in apologetica et in theologia considerentur supernaturale, Jesus, Ecclesia, tamen *ratione formaliter diversa* considerantur illa in utraque scientia : sufficit in memoriam revocare qua ratione Christus sit objectum tum in apologetica, tum in tractatu de Verbo Incarnato.

---

(1) Cf. Zigliara, *Propædeutica ad S. Theologiam*, Procemium, n. III ; De Groot, *o. c.*, p. 4.

(2) Maisonneuve, apud Vacant, *Dictionnaire de théologie catholique*, T. I, col. 1515.

(3) Id., *o. c.*, col. 1512 s.

Apologetica, in quantum est *specialis* scientia, est tum positiva, tum polemica: etenim conclusiones positive demonstrat, et illas etiam defendit contra objectiones quæ *illis conclusionibus* opponuntur. Inde confusioni ansam præbet divisio, quam ponit *Maisonneuve* (1), inter apologeticam *positivam*, et apologeticam *negativam* seu *polemicam:* prioris objectum esset demonstrare præambula fidei; alterius objectum foret refutatio omnium objectionum quæ e quibuslibet cognitionibus proponuntur contra quaslibet veritates revelatas, et illa apologetica polemica divideretur, secundum indolem objectionum quas refutaret, in apologeticam scientificam (circa scientias naturales), historicam... etc. Sed patet apologeticam polemicam, sic intellectam, non esse *unam* scientiam; sed esse mere complexum refutationum quæ desumuntur e variis tractatibus; præterea, uti diximus, apologetica, prout est *specialis* scientia, est etiam polemica quatenus refutat objectiones quæ contra *suas* conclusiones ponuntur.

Minime confundenda est *apologia* cum apologetica (2): quælibet defensio christianæ religionis est aliqua ejus apologia: inde apologetica, sumendo hoc vocabulum *adjective,* dici possunt omnia scripta quæ vel unam accusationem refellunt, vel unam objectionem refutant, sed non ideo pertinent ad illam *specialem* scientiam quæ dicitur apologetica, sumendo *substantive* hoc vocabulum.

3. In libro recenti, cæteroquin valde laudabili, leguntur quæ sequuntur circa notionem apologeticæ: « L'apologétique tient à la fois de la *science* et de l'*art:* de la science, par son objet, de l'art, par sa méthode. Son objet la rattache à l'ensemble des sciences, et sa méthode paraît être pour une bonne part une question de tactique » (3). Subest aliquid veri sub illo modo loquendi obscuro. Imprimis bene notandum est realiter distingui *scientiam* et *artem,* sive eæ sumantur

---

(1) *o. c.*, col. 1514 et 1531.

(2) Cf. HURTER, *Theologiæ dogmaticæ compendium,* Œniponte, 1896, T. I, p. 9; STUMMER, *Manuale theologiæ fundamentalis,* Œniponte, 1907, p. 6. Hîc notari potest quod ille tractatus melius vocaretur *propædeutica ad theologiam:* quia ad theologiam, stricte dictam, non pertinet.

(3) VALLET, *Les fondements de la connaissance et de la croyance,* Paris, 1905, p. 384.

objective, sive subjective. Scientia, subjective spectata, sumitur sensu strictissimo vel minus stricto: sensu strictissimo est *cognitio certa veri evidentis, necessarii, ex causis ejus propriis et immediatis* (1); sensu minus stricto, est *cognitio certa veri evidentis per demonstrationem deducta* (2).

Inde apparet scientiam esse *cognitionem,* posse esse mere speculativam et esse de *conclusionibus,* sc. de veritatibus quatenus *illatis* ex aliis veritatibus. Ars vero est rationis habitus practicus directivus operationum ut eæ per determinata media ad debitum finem proximum perveniant: hæc est ars *utens;* cognitio vero mere theoretica præceptorum secundum quæ dirigenda est operatio ut ad debitum finem proximum perveniat, est ars *docens.* Apparet autem esse cognitionem alterius generis ac est cognitio scientifica: hæc enim terminatur ad *conclusionem* sc. ad veritatem cognitam per demonstrationem; illa vero terminatur ad præceptum secundum quod est dirigenda operatio, nec requirit demonstrationem. Licet haberi possit scientia de artibus vel de arte, tamen diversi actus et habitus sunt scientia et ars. Inde etiam scientia, objective spectata, est diversa ab arte, objective spectata, et facile discernuntur, generatim loquendo, scripta mere scientifica et scripta quæ proprie sunt opera artis, licet detur aliqua ars exponendi scientiam.

Inde apologetica, quâ est scientia, non est ars, nec posset definiri: *ars* adducendi homines ad credendum; aliquis possidere posset perfectam scientiam apologeticam quin calleret artem eam docendi, aut persuadendi animos de veritatibus quarum ipse bene percipit demonstrationem. Sed artes ornate dicendi, recte docendi, efficaciter persuadendi possunt etiam versari in materiam apologeticæ: ille porro qui finem sibi præstituit convincere tales vel tales homines de necessitate adhærendi veræ religioni, arte indigebit ut eligat argumenta convenientia dispositionibus subjectivis auditorum vel lecto-

---

(1) Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 183.

(2) Cf. Zigliara, *Summa philosophica,* T. I, *Dialectica,* § 41. — Differentia scientiæ, strictissime sumptæ a scientia minus stricte sumpta est, in hoc quod ad priorem requiritur demonstratio *propter quid;* ad alteram sufficit demonstratio *quia.* Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 180; Zigliara, *o. c.*, l. c.

rum, ut illa expiimat sermone accommodato. Hæc autem ars quæ solvet illam « *question de tactique* » de qua loquebatur prælaudatus auctor, licet præsupponat scientiam, saltem partialem, apologeticæ, tamen est distincta ab illa; nec ad apologeticam, in quantum est specialis scientia, pertinet tradere præcepta secundum quæ edocendi sunt homines de conclusionibus quas ipsa statuit; ipsius munus est demonstrare conclusiones, inter quas utique sunt etiam quæ respiciunt *valorem objectivum* argumentorum quæ proponuntur ad unam vel alteram veritatem exponendam : valorem dico objectivum, sive absolute, sive relate ad aliquam determinatam hominum classem.

Uno verbo, apologetica, non *simul* est scientia et ars; datur autem scientia apologeticæ, datur etiam ars, realiter omnino distincta ab illa scientia, quæ versatur circa apologeticam, quatenus ejus conclusiones assumit ut, modo debito ad aliquem specialem finem, illas exponat hominibus; hæc autem non est ars *specialis*, propria apologeticæ, sed est ars dicendi, quæ ulterius in tres dividitur, secundum quod specialis finis sit vel *docere,* vel *delectare,* vel *persuadere* (1).

J. Van der Meersch.

(1) Cf. Kleutgen, *Ars dicendi*, Augustæ Taurinorum, 1897, p. 1 s.

COMMENTARIUS

IN DECRETUM DE

Sponsalibus et Matrimonio.

Die 2 mensis Augusti 1907, SS. D. N. Pius X, per organon S. Congregationis Concilii, decretum edidit, inde a Dominica Paschatis anni 1908 vigorem habiturum, in quo novæ conduntur leges quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regatur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fiat (1).

---

(1) Est decretum *Pontificium* potius quam decretum S. Congregationis Concilii, et ex hoc capite majorem nanciscitur auctoritatem præ mero decreto S. Congregationis, quamvis etiam per hoc lex formaliter generalis in universum orbem induci possit.

Quod reipsa sit decretum pontificium, id eruitur ex proœmio Decreti, et signanter ex approbatione S. Pontificis *in forma specifica:* quæ approbatio continetur in *speciali omnino mandato* a S. Pontifice motu proprio S. Congreg. Concilii commisso, cum onere ut de toto negotio ad S. S. referret Ipsique vota proponeret, ac decretum ederet quo leges *ab ipso S. Pontifice ex certa scientia et matura deliberatione probatæ* continerentur. Cf. CHOUPIN, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège*, Paris, 1907, p. 48 s.

Et sane, uti docet laudatus CHOUPIN, o. c., p. 45 « si le décret est simplement approuvé *in forma communi* (putà si inseritur: *S. S. resolutionem approbavit et confirmavit,* aut *facto verbo cum SS*mo), le décret *est et reste un décret de la S. Congrégation,* ni plus ni moins. Une semblable approbation... offre plus de garantie, mais ne la *transforme pas* en un acte *strictement papal:* c'est un acte du Saint-Siége, mais non rigoureusement un acte de Souverain Pontife lui-même ». Contrà, uti arguit p. 49 s., l'approbation *in forma specifica* transforme la décision de la Congrégation en un acte proprement et strictement *papal,* émanant directement de l'autorité suprème du Souverain Pontife. Le suffrage des Cardinaux qui a précédé n'a plus qu'une valeur *consultative.* Le Pape fait cette décision *sienne,* et elle vaut, elle oblige par son autorité immédiate. Le décret cesse d'être un décret de la Sacrée Congrégation, et devient une loi portée, une sentence prononcée par le Souuerain Pontife lui-même, qui en est ainsi l'auteur *juridiquement responsable.* Et même si l'acte, pour une raison quelconque, de lui-même était sans force légale, invalide, la confirmation in forma specifica, mis à part certains cas prévus par le droit, qu'il faut nécessairement excepter, lui donne toute sa valeur au point de vue juridique, crée un nouveau droit, bref, en fait un acte du Souverain Pontife ».

Juvat autem varia hujus legis statuta, pro rei gravitate, commentario illustrare, ac simul ejusdem legis extensionis limites determinare: in quo commentario, ut clarius appareat in quibusnam potissimum mutatio sit peracta, præ oculis habebimus Tridentini juris dispositiones, eo vel magis quod nova lex non habet vim retroactivam, quodque adeo anterioris œconomiæ ratio erit habenda, etiam post Pascha proximum, pro dijudicandis matrimoniis ante illam diem contractis.

Distincto articulo agemus 1°/ de statutis novæ legis circa sponsalia et matrimonio; 2°/ de extensione ac promulgatione legis.

ARTICULUS PRIMUS.

Statuta Novæ Legis.

§ 1. CIRCA SPONSALIA.

Hucusque nulla forma vel solemnitas *jure positivo communi* præscribebatur pro valore aut liceitate sponsalitii contractus, adeo ut, coram dicto jure communi, plenè valerent ac canonicos haberent effectus sponsalia, quantumvis clandestinè inita, dummodò elementa adfuerint a jure naturæ requisita (1).

Quinimo, usque ad recentiora tempora, S. Sedes semper rejecerat preces repetitis vicibus oblatas a variis Episcopis, quos movebant incommoda haud levia ex clandestinis sponsalibus orientia, ac severè reprobaverat statuta diœcesana, solemnitatis formam pro sponsalium valore præscribentia (2).

Recentius tamen huic constanti disciplinæ derogaverat S. Sedes, declarando, die 31 Januarii 1881, sponsalia in *Hispania* non esse valida, *si absque publica*

---

(1) Elementa constitutiva contractus describuntur apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 631 ss.

(2) Cf. Auctoritates et documenta citata apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 654, in nota.

scriptura (coram notario) celebrantur, quin publicæ scripturæ defectui suppleri queat « per instrumentum in curia (episcopali) conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento » : quæ moderatio est inducta, attenta juris civilis dispositione in Hispania vigente, et dictam formalitatem exigente, inde a Pragmatica Sanctione a Carolo III, anno 1803, promulgata (1).

Tandem nuperrimè, die nempe 1ª Januarii 1900, Leo XIII, precibus annuens Patrum Concilii Americæ Latinæ anni 1899, disciplinam, pro Hispania valentem, extenderat ad Americam Latinam (2).

Porro per **novum Decretum** statuitur *jure communi* determinata forma *pro valore sponsalium* observanda, quatenus deinceps debeant contrahi « per scripturam subsignatam partibus, et vel a parocho aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus ».

Explicatio.

1°/ *Motivum* moderationis introductæ est ad occurrendum, id flagitantibus Episcopis pluribus, incommodis variis quæ ex sponsalibus privatim initis nata sunt derivare. « Docuit enim experientia satis, quæ secum pericula ferant ejusmodi sponsalia : primùm quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertæ puellæ decipiantur ; postea dissidia ac lites inextricabiles ».

Et sanè non rarò contingit puellas consentire in peccatum, ad hoc fallaciter adductas promissione matrimonii ipsis facta a viro, postea ab illa promissione impunè recedente, quin contra ipsum data fides urgeri queat ; fit etiam ut ab inexpertis puellis absque matura deliberatione et neglecto parentum consilio, sub æstuantis passionis motu, promissio extorqueatur, utque deinceps infausto omine matrimonium ineant, ad quod putant sese, ex fide sponsalitia, gravi lege adstringi.

Hæc etiam disciplina privatæ ac clandestinæ cele-

(1) *Ibidem*, p. 635, in nota.
(2) *Ibidem*, p. 635, in nota.

brationis sponsalium ansam præbet inextricabilibus litibus ac dissidiis, una parte contractus existentiam affirmante, et altera illam denegante, quin certa sæpe probatio invocari possit; inde scandala provocantur ex oppositione facta instanti matrimonio; item dubia oriuntur necessariò, in foro externo et interno, circa impedimentum impediens sponsalium, ac signanter dirimens publicæ honestatis; horum etiam impedimentorum existentia non rarò penitus ignoratur, et postea innotescit matrimonium illicitè, et imo invalidè fuisse celebratum.

2°/ Forma determinatur observanda *pro valore,* adeo ut sola valida habeantur ac canonicos sortiantur effectus illa sponsalia quæ juxta eam celebrantur. *Effectus* sponsalium sunt *primò* obligatio, urgens donec valida consistant sponsalia, ineundi matrimonium cum persona desponsata, ac prohibens impedimentum exinde consequens non nubendi tertiæ personæ; *secundò* impedimentum dirimens publicæ honestatis, irritans matrimonium contrahendum ab una parte cum persona alterius partis in primo gradu consanguinea: quod alterum impedimentum manet etiam dissolutis sponsalibus.

Prior effectus est juris naturalis, sed simul juris ecclesiastici, quatenus illum agnoscit in suo foro et sancit Ecclesia, et sub hoc respectu est effectus canonicus; alter effectus est solius juris ecclesiastici; adeoque effectus mere canonicus.

Porro duplici ratione invalidari possunt sponsalia, extra describendam formam ineunda: vel ita ut ab Ecclesia *non agnoscantur* qua valida, illisque effectus denegentur in quantum juris sunt ecclesiastici, relicto ipsis valore, relictaque efficacia quæ eis competit ex jure naturali; vel ita ut penitus irritentur ac inexistentia reddantur, omni ipsis adempto valore, ac qualicumque ipsis subtracta efficacia.

Si *primum*, sponsalia extra formam celebrata, jure naturali et in conscientia, sunt valida, sed qua talia

non agnoscuntur ab Ecclesia, nec proinde ipsis adnectuntur effectus, *in quantum pendent a jure ecclesiastico*: nimirum publicam honestatem, utpote quæ solius est juris ecclesiastici, nullatenus inducunt, ita ut ejusdem nulla sit ratio habenda neque in foro externo neque in foro interno; obligationem vero matrimonium ineundi et consequentem prohibitionem alii personæ nubendi inducunt coram foro conscientiæ, sed non coram foro externo ecclesiastico, adeo ut a judice ecclesiastico non possent hujusmodi sponsalia invocari ad dictam obligationem urgendam.

Si *alterum,* sponsalia non modò non agnoscuntur uti valida, sed *in se sunt invalida et inexistentia,* et per se omni prorsus destituuntur effectu in utroque foro, perinde ac si nulla promissio esset facta (1); formalitas scilicet exigitur tanquam *forma substantialis ipsius actus*, ita ut absque illa contractus non existat. Hoc altero modo præscribitur forma Tridentina, sicut et nova forma de qua infrà, pro matrimonio, adeo ut nuptiæ, absque illius formæ observatione celebratæ prorsus irritæ ac nullæ sint ac omni quacumque efficacia in utroque foro carentes.

Jamvero huic alteri hypothesi favent invocata analogia cum matrimonio, necnon declaratio S. C. Neg. extraord. 1 Jan. 1900, circa sponsalia in Hispania et America Latina celebranda (2); accedit etiam quod hac ratione, potius quam in priori hypothesi, efficacius occurritur incommodis quæ S. Sedes vitare intendit, quodque signanter e medio tollitur nociva antinomia quæ secus frequenter exsurget inter forum internum et externum (3).

---

(1) *Per accidens* variæ possunt oriri obligationes, putà reparandi damna illata ratione fraudis adhibitæ, vel ratione copulæ prætextu hujusmodi promissionis extortæ: quo titulo potest adesse obligatio etiam matrimonium ineundi.

(2) Cf. *Ned. Kath. Stemmen,* 1907, p. 330.

(3) Ita censent *N. R. th.*, 1907, p. 613; *Ned. Kath. Stemmen*, l. c., GENNARI, *Breve commento della nuove Legge sugli sponsali e sul matrimonio*, 2ª ed., p. 19 s.

Non immeritò tamen dubium movetur ex diversa forma loquendi adhibita in nostro Decreto pro sponsalibus et pro matrimonio, quatenus, dum sponsalia, per scripturam ineunda, dicuntur sola *haberi* valida, de matrimoniis dicetur: « ea tantum matrimonia valida *sunt* » (1); ulterius sponsalibus non scriptis denegantur tantum effectus *canonici*, quales, stricte sumpti, soli censentur effectus qui et in quantum dependent a foro ecclesiastico; cæterùm si sponsalia sunt inexistentia, non est opus insistere in ipsorum inefficacia, utpote sponte consequens, nec reipsa id additur pro matrimonio informi, nec olim addebatur pro sponsalibus invalidis Hispaniæ vel Americæ Latinæ.

Aliunde non est nimis urgenda analogia cum matrimonio, ac valde magis instat necessitas clandestinas nuptias irritandi in utroque foro quam sponsalia, ac multò nocivior esset conflictus inter utrumque forum in causa matrimonii quam in causa sponsalium (2).

Quibus ex utraque parte attentis, nolumus quæstionem dirimere, eamque a S. Sede solvendam relinquimus, optando ut in sensum absolutæ inexistentiæ solvatur.

3°/ Formalitas præscripta est in hoc quod de contractu fidem faciat *scriptura quæ sit subsignata tum a partibus, tum a parocho seu loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus* (3).

« Quodsi utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur

---

(1) Etiam sponsalia, in Hispania et America Latina informiter contracta, dicebantur invalida *esse*. Cf. tenorem apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 635.

(2) Cf. Boudinhon, *Le Mariage et les Fiançailles*. — Nouvelle Législation, canonique, Paris, 1907, n. 36.

(3) Similem celebrationis modum suggerebat jam suo tempore Bened. XIV, *Inst. eccl.* 46, n. 15, consulens scripturam desuper sponsalibus conficere, « ut probari possint, si fortè altera pars negaret contracta sponsalia »: hanc scripturam partium manu tribusque testimoniis obsignatam volebat.

qui, cum parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus de quibus suprà, scripturam subsignet » (1).

Non valent igitur sponsalia *verbis*, etiam coram parocho vel testibus inita, sicuti nec scripta, si scriptura non subsignatur a determinatis personis. Ex alia parte non requiritur ut *mutuò præsentes* sint sponsandi, nec ut præsentes sint ac subsignent coram parocho vel testibus : possunt sponsalia validè contrahi ita ut subsignentur a partibus in uno loco, et curentur subsignanda a parocho in alio loco ; possunt etiam contrahi inter absentes, et absque procuratore, utroque sponso ex sua parte subsignante formulam sponsalitiam, quæ deinceps a parocho vel a duobus testibus pariter subsignetur ; oportet tamen ut parochus vel testes, inspectis signaturis, testari valeant de identitate partium contrahentium.

Porro scriptura referat mutuò præstitum esse consensum, inter sponsos, in futurum matrimonium, addendo diem, mensem et annum confecti instrumenti, licet hæc ad valorem non exigantur (2).

In ipsis terminis articuli 1[i], innuitur præferendam esse signaturam parochi seu Ordinarii signaturæ duorum testium, nec ad eos esse recurrendum nisi defectu parochi, aut posita rationabili causa parochi ministerium non adhibendi. Cæterùm facultas adhibendi testes loco parochi ratio est cur non fiat mentio delegationis dandæ a parocho vel ab Ordinario, quemadmodum pro assistentia matrimonii, ad hoc ut alius sacerdos ejus vices suppleat.

Ordinarii appellatione veniunt, juxta declarationem C. S. O., 20 Febr. 1888 (3), Episcopi, administratores

---

(1) « On remarquera que le texte n'exige pas que les parties qui ne savent pas signer, apposent au bas de l'acte une croix en guise de signature, suivant l'usage : mais cette pratique n'en sera pas moins utilement maintenue ». Boudinhon, o. c., n. 43.

(2) « De même on n'exige pas que lecture soit donnée aux contractants de leur contrat écrit ; mais rien n'est plus raisonnable, et sans doute les curés ou autres témoins se feront un devoir d'agir ainsi ». Boudinhon, l. c.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 125.

seu Vicarii Apostolici, Prælati seu Præfecti habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarii in spiritualibus generales, et, sede vacante, Vicarius Capitularis vel legitimus administrator.

Parochi nomine hîc (1) venit « non solùm qui legitimè præest paræciæ canonicè erectæ (adeoque propriè dictus parochus, licet succursalista, necnon deservitor, seu parochiæ vacantis administrator); sed in regionibus, ubi paræciæ canonicè erectæ non sunt, etiam sacerdos cui, in aliquo definito territorio, cura animarum legitimè commissa est, et parocho æquiparatur ; et in missionibus, ubi territoria necdum perfectè divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus » (2).

Quæritur nunc *quænam apud testes vel apud parochum seu Ordinarium requiratur qualitas specialis*, ut validè possint adhiberi in sponsalium celebratione :

a/ apud *testes* nulla specialis requiritur qualitas vel

---

(1) Hæc nempe notio non est indiscriminatim extendenda ad aliam materiam.

(2) Circa *tertiam speciem* personarum, quæ hic veniunt nomine parochi, notat Besson, *N. R. th.*, l. c., p. 616 s.: a/ « Dans une mission où plusieurs prêtres auraient reçu *chacun* cette délégation universelle pour *toute* la mission, chacun serait ainsi curé, au sens du décret dans toute l'étendue de la mission ; si, au contraire, la mission a été partagée en divers districts ou stations plus au moins étendus, et des prêtres placés respectivement à la tête de chaque district ou de chaque station, chacun de ces prêtres sera curé dans le district ou la station dans lesquels il a charge d'âmes.

b/ Il faut toutefois se garder de confondre la *charge d'âme*, qui donne qualité pour signer aux fiançailles et assister au mariage, avec tout autre mandat ecclésiastique ou religieux. Il arrive souvent, dans les missions, que plusieurs postes, ayant chacun un missionnaire à sa tête, sont réunis en district sous l'autorité d'un supérieur. Il ne s'en suit pas que ce supérieur puisse être témoin qualifié des fiançailles et du mariage dans tout le territoire du district. Parfois en effet il n'aura pas reçu la charge spirituelle immédiate des fidèles, mais sa congrégation lui aura seulement donné autorité pour diriger la vie religieuse de ces confrères ».

aptitudo præter illas quæ a jure naturæ exiguntur ad hoc ut testari possint, addita utique scribendi capacitate; et ita ex rigore juris non refert cujusnam sexus sint, vel quod sint impuberes, aut extranei, vel etiam excommunicati ac hæretici (1); licet non conveniat tales adhiberi.

b/ quod spectat *parochum seu Ordinarium,* in tenore non determinatur quisnam parochus seu Ordinarius requiratur.

Profectò non facilè dicetur *qualemcumque* parochum seu Ordinarium *quocumque* in loco ad hoc officium posse adhiberi, quin ullam cum contrahendis sponsalibus connexionem habeat, sive qua parochus proprius contrahentium, sive qua parochus seu Ordinarius loci in quo contractus initur (2).

Etiam ægre sustineretur ad valorem contractus requiri signaturam Ordinarii seu parochi *proprii* alterutrius contrahentium: eo namque ipso valor sponsalium dependeret a qualitate parochi proprii, et eidem exponeretur contractus periculo quod voluit S. Sedes vitare in matrimonio, juxta monitum Proœmii: « verum quia nonnunquam difficile est judicare certò ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt objecta periculo ne nulla essent ». Cæterùm dicitur simpliciter in tenore: « a parocho aut a loci Ordinario », quin addatur: « proprius ».

Censemus igitur intendi parochum seu Ordinarium *loci infra cujus limites contractus celebratur,* vel saltem instrumentum parocho seu Ordinario subsignandum offertur (3), adeo ut sponsalium valori cautum sit quo-

---

(1) Idem tuetur SCHMALZGRUEBER, *In l. IV Decr.,* tit. III, n. 225 ss., pro testibus matrimonii; consentiunt BOUDINHON, o. c., n. 41; *Collat. Namurc.,* t. VII, p. 211; *N. R. th.,* 1907, p. 615.

(2) Id etiam difficultates provocaret ac dubia, si quicumque parochus posset ubicumque illud munus obire, quia nonnunquam ægre constaret de ejusdem identitate, putà in exteris regionibus ad quas peregrinus accesserit.

(3) Hoc additur attenta hypothesi, de qua suprà, quatenus contingere

tiescumque schedula sponsalitia a parocho, quicumque sit, subsignetur *infra terminos territorii,* ipsius curæ commissi.

Hæc disciplina conformis est Decreti œconomiæ infrà exponendæ pro assistentia matrimonii (1), necnon juris dispositioni, qua, juxta vulgatum axioma, *locus regit actum;* favet etiam quod dicatur Ordinarius *loci,* quæ determinatio non immeritò extenditur ad parochum, Ordinarii in eodem munere consortem (2).

Quæ argumenta eò tendunt ut dicamus parochum seu Ordinarium loci, in quo contractus initur, *solum* designari pro valida instrumenti sponsalitii subsignatione, adeo ut parochus seu Ordinarius proprius ne posset quidem illo munere validè fungi *extra limites territorii sui,* quemadmodùm dicetur pro celebratione matrimonii.

Aliunde *consulendum* est, licet non injungendum, ut, conformiter ad disciplinam matrimonialem infrà describendam, sponsalia celebrentur ac scripto consignentur coram parocho *loci,* ipso subsignante, qui *simul* sit parochus *proprius* alterutrius sponsi, potius autem sponsæ, vel saltem parochus menstruæ commorationis.

In hunc finem passim hortandi sunt desponsandi ut ambo simul accedant ad parochum sponsæ, sponsalia contracturi; utque, consensu sponsalitio præviè verbis præstito, cum parocho et ante illum schedulam subsignent memoratas indicationes referentem: bonum autem erit ut parochi hujusmodi schedulas, juxta formulam ab Ordinario probatam, præ manibus habeant, ut, casu occurrente, negotium expeditè ordinare queant. Porro nihil impedit quominus nupturientes, hac occa-

---

potest sponsalitia pacta iniri et a partibus subsignari in uno loco, et in alio loco parocho subsignanda tradi.

(1) Iidem cæteroquin termini usurpantur sub art. III, ubi generalis norma pro matrimonio sequenda exprimitur, ac sub art. I, ubi sponsalitia forma determinatur, quatenus utrimque adhibendus sit « parochus vel loci Ordinarius ».

(2) Ita etiam *N. R. th.*, 1907, p. 618; *Ned. Kath. Stemmen,* 1907, p. 329.

sione, a parocho, in quantum ad ipsum hoc spectat, interrogentur et examinentur.

4°/ Per introductam hanc formam celebrandi sponsalitium contractum, abrogata censentur sponsalia *præsumpta,* quæ scilicet juris interpretatione talia reputantur juxta § 1, cap. unic., in VI°, IV, 2, (1) et c. 14, X, IV; et ideo amplius non subsistit antiqui juris dispositio, juxta quam matrimonium ab *impuberibus*, non proximis pubertati et in quibus ætatem malitia non supplebat, per verba de præsenti invalidè initum, importabat sponsalia de futuro, et ex hoc capite publicam honestatem intra primum gradum, modò nuptiale fœdus non fuerit irritum ex defectu consensus (2), nec ex capite clandestinitatis (3).

Nota. Per præsens Decretum determinatur quidem forma in sponsalibus observanda, pro casu quo ea celebrari contingat, nulla vero inducitur obligatio juris communis matrimonio præmittendi sponsalitium contractum: servatur quoad hoc disciplina vigens, quatenus *conveniat* quidem sed *non oporteat* ante nuptias sponsalia inire.

*
* *

§ 2. CIRCA MATRIMONIUM.

I. Forma celebrandi matrimonium.

A/ Regula generalis.

1° Formalitates pro valore observandæ.

Matrimonium, pro valore, *debet celebrari coram duobus testibus et coram parocho seu Ordinario loci in quo con-*

---

(1) « Idem quoque si pubes vel impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, et in quibus ætatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de præsenti: *sponsalia enim illa, quæ juris interpretatione tantùm fuerunt sponsalia de futuro,...* per adventum pubertatis in matrimonium non transeunt de præsenti...: per dictum tamen contractum, qui valuit ut potuit, non sicuti agebatur, publicæ honestatis justitia est inducta ».

(2) Cap. unic., in VI°, IV, 1.

(3) Werns. *Jus Decretalium*, IV, n. 161, nota (113).

tractus nuptialis initur, vel sacerdote ab alterutro delegato, ea lege ut parochus seu Ordinarius ejusve delegatus, invitatus ac rogatus, nec vi vel metu gravi constrictus, requirat excipiatque contrahentium consensum.

Explicatio.

a) *Parochus* et *Ordinarius* intelliguntur juxta notionem datam sub paragr. 1ª, hac addita, in ipsius Decreti tenore, determinatione quod validè assistant matrimonio (1), « a die tantummodò adeptæ possessionis beneficii vel initi officii ». quodque oporteat ut « publico decreto nominatim non fuerint excommunicati vel ab officio suspensi ».

Non sufficit igitur quod Episcopus sit electus vel quod parochus sit ab Episcopo renuntiatus; oportet ut possessionem suæ sedis sumpserit Episcopus, vel ut parochus paræciæ seu quasi-paræciæ administrationem seu officii sui curam in se susceperit: quod solet fieri, pro nostra diœcesi Brugensi, in primo accessu ad novam parochiam (2).

Porro ab illa die suscepti muneris habilis existit Ordinarius seu parochus ad validè matrimonio assistendum, et habilis manet, modò non fuerit publicè et nominatim excommunicatus, (qua talis scilicet denuntiatus sub proprio nomine ac pronomine, aut saltem sub ea descriptione qua evidenter individua persona designatur), vel ab officio (3) publicè suspensus, interdicto nempe omni usu ordinis et jurisdictionis (4).

---

(1) Dubium est utrum, ex paritate, idem valeat pro munere a parocho obeundo in subsignatione scripturæ sponsalitiæ.

(2) Cf. *N. R. th.*, IV, p. 559 ss., ubi notatur in variis locis ita statui ut parochus tunc tantùm parochiæ suæ possessionem sumat, quando solemniter introducitur.

(3) Dicitur: « ab *officio* suspensi »; et ideo ad inhabilitatem non requiritur suspensio a *beneficio*, quo parochus privatur jure fructus percipiendi; nec etiam hæc sola suspensio a beneficio sufficit.

(4) Sub disciplina Tridentina passim admittebatur validè assistere parochum excommunicatum, etiam vitandum, ac suspensum; esse autem excludendum publicè hæreticum, idque etiam, juxta plures, ante senten-

Neque nunc, sicut nec olim, oportet ut parochus sit sacerdos, cum id explicitè non requiratur, nec natura muneris obeundi id postulet, siquidem assistentia matrimonio non importat exercitium ordinis nec jurisdictionis (1); non apparet etiam in hoc moderatam esse doctrinam communem, quæ docet validè assistere, Ecclesia supplente, parochum putativum, modò præsto sit titulus coloratus cum errore communi (2).

b/ Parochus vel Ordinarius, cujus præsentia ad nuptiarum valorem requiritur, sub nova disciplina, non jam est, quemadmodum hucusque fuit (3), parochus seu Ordinarins proprius, in cujus nempe parochia respective vel diœceseos paræcia (4) alteruter contrahentium domicilium habet vel quasi-domicilium, sed est parochus seu Ordinarius *loci, infra cujus limites matrimonium celebratur* : adeo ut coram ipso, (vel ejusdem delegato sacerdote, de quo infrà), eoque solo, validè contrahatur connubium tam non subditorum quam subditorum.

In hoc habetur cardo mutationis factæ in lege clandestinitatis, eum in finem introductæ ut vitentur in-

---

tiam declaratoriam : de quibus Cf. WERNZ, n. 617, o. c., nota 184 ; ROSSET, *De Sacramento Matrimonii*, n. 2208. Nova autem disciplina partim strictior est, rejiciendo parochum ab officio notoriè suspensum, ac nominatim excommunicatum publicè; partim benignior, cum admittat hæreticos, nisi ex hoc capite fuerint, ex sententia judicis, notorie et nominatim excommunicati vel publicè suspensi.

(1) Cf. HARING, *Das neue Ehedekret « Ne Temere »*, Graz, 1907, p. 13 ; coll. WERNZ, o. c., n. 176, et FEYE, *De Imped. Matrimonii*, quo loco occurritur difficultati eruendæ ex tenore Concilii Tridentini, quatenus dicitur « præsente parocho, vel *alio* sacerdote », qui idem tenor inseritur in nostro Decreto.

(2) HARING, l. c., p. 12.

(3) BOUDINHON, o. c., n. 10 ss., conatur ostendere necessitatem qualitatis parochi *proprii* non esse introductam per ipsum decretum *Tametsi*, sed per posteriorem jurisprudentiam.

(4) Juxta decr. C. S. O. 9 Nov. 1900, ad hoc ut Ordinarius esset Ordinarius proprius in ordine ad matrimonium, erat attendendum factum habitationis non in diœcesi, sed in parochia determinata diœceseos. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 244 ss.

tricatæ difficultates quæ, sub anteriori disciplina, frequenter exsurgebant. « Sæpe namque, uti monetur in Prœmio, gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo præsente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina proprium parochum eum intelligi debere, cujus in paræcia domicilium sit aut quasi-domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est judicare, certò ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt objecta periculo ne nulla essent: multa quoque sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt. Hæc dudum deplorata, eo crebrius accidere nostra ætate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disjunctissimis, perficiuntur » (1).

Sedulò igitur notetur parochum vel Ordinarium deinceps, secus ac sub disciplina Tridentina, *non posse,* salva licentia de qua mox, validè matrimonio assistere *sui subditi, extra limites paræciæ suæ vel respectivè diœceseos; posse* verò, secus ac antea, validè suam assistentiam præbere matrimonio extranei *non subditi,* modò celebretur *infra fines sui territorii*, seu dummodò ipse sit parochus seu Ordinarius loci in quo contractum iniri contingit.

c/ Parochus vel Ordinarius non assistunt validè nisi « invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum ». Nimirum

1/ *Hucusque* sub disciplina Tridentina, sufficiebat, juxta communem doctrinam, mera *passiva* assistentia parochi, qua testis auctorizabilis, quatenus intelligeret, ac testari valeret consensum coram ipso præstitum, ac

(1) « Quamobrem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire ut mutatio aliqua induceretur in jure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam Sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, præsertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicæ Sedi admoverunt ».

imo valida reputabatur assistentia quando parochus non intellexerat, sed ideo non intellexerat quia affectaverat non intelligere (1).

Deinceps requiritur *positivus actus* a parte parochi, ac opus est ut exquirat consensum, eumque rite percipiat (2).

2 *Hucusque* debebat quidem parochus a nupturientibus adhiberi tanquam testis, sed non debebat in hunc finem advocari seu invitari, ac satis erat ut, in modo agendi nupturientium, implicitè appareret ipsos velle coram illo qua teste matrimonium inire, licet parochus casu præsens fuerit vel sub alio prætextu accersitus (3).

Deinceps debet parochus formaliter ad assistendum matrimonio *rogari et invitari*, ac eo ipso aditus præcluditur matrimoniis sic dictis « par surprise, à la Gaulmine » (4).

3/ *Hucusque* non officiebat valori assistentiæ quod parochus metu vel vi ad assistendum fuerit coactus; hæc autem hypothesis *deinceps* excluditur, hypothesis scil. metus incussi, intellige, gravis.

Nota. Hæc spectant assistentiam *parochi*, non *testium,* pro quibus valent principia juris Tridentini, quæ videsis apud *Collat. Brug.,* t. XII, p. 468 ss.

d/ Parochus vel Ordinarius qui, juxta modò dicta, habilis est ad validè assistendum matrimonio, potest *sacerdoti licentiam concedere,* qua munitus validè assistat,

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 468 ss.

(2) Hujus moderationis ratio erit habenda a parocho in assistentia quam præstat matrimoniis mixtis; et cum grano salis est interpretanda præsentia, quæ sola permittitur, *passiva;* cæteroquin, uti notavimus apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 333, nota 2ª, sacerdos assistens poterat jam sub disciplina Tridentina, consensum exquirere, sed neque ad valorem neque ad liceitatem ad id tenebatur.

(3) *Collat. Brug.*, l. c., p. 471 ss.

(4) *Ibidem*, p. 470. Id etiam jam habetur ex *primo*. Exceptio esset facienda pro casu extraordinario, quo, juxta infrà dicenda, valeret matrimonium celebratum coram duobus dumtaxat testibus; horum namque assistentiam non afficit præsens juris moderatio.

infra limites pro valida assistentia ipsius parochi vel Ordinarii delegantis assignatos, adeoque *infra fines territorii delegantis*.

Porro ad hoc ut, supposita territorii determinationis observatione, delegatio sit valida, delegatusque validè assistat, postulatur

1/ ut delegatio fuerit *vere concessa*, et non merè præsumpta, utque fuerit expressè vel tacitè *acceptata* (1).

2/ ut delegatio concedatur sacerdoti (2) *certo ac determinato*. Unde invalida foret delegatio data indeterminato modo, delegando sacerdotem quem sponsi sint electuri, idque in casu quo uterque nupturiens fuerit nominatim designatus (3); non refert tamen, uti sponte liquet, quod delegatio concedatur sponsis immediatè, vel mediantibus sponsis, ipsis permittendo ut coram tali determinato sacerdote contrahant (4).

---

(1) Practicè jam non est curandum de acceptatione, cum deinceps necessariò contineatur in ipsa assistentia, siquidem importat, uti vidimus, positivum actum. Antea, sub jure Tridentino, quæstio non erat otiosa, quemadmodùm scite monet Wernz, o. c., n. 218. Circa *tacitam* acceptationem, cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 609 s.

(2) Non opus est ut jurisdictione gaudeat.

(3) Sub priori disciplina, a pluribus AA. habebatur uti invalida delegatio facta sacerdoti eligendo ab una tantùm parte designata. Cf. Wernz, o. c., n. 180, nota 217, contra Gasparri, o. c., n. 949.

(4) Determinatio illa non exigit ut nominatim designetur delegatus, sed potest designari ratione officii, vel alio modo. Neque per hoc excluditur hypothesis delegationis pluribus sacerdotibus simul factæ, vel etiam, positis ponendis, mutuò datæ, vel concessæ, ad modum quo concessa existit in diœcesi Brugensi, quatenus Episcopus, ad tramites decreti 9 Nov. 1898, ac 18 Martii 1893, concessit « parochis cujusvis loci diœcesis, in quo duæ pluresve paræciæ sedem habent, ut ipsi (vel sacerdos ab eis commissus) assistere valeant matrimonio eorum, quos, prævia instructione facta ad proclamationes admiserunt, etsi postea hi parochiam suam dereliquerint, nisi fortè in diœcesim alienam abiverint » (*Collat. Brug.*, t. IV, p. 244 ss., p. 377 s. et V, 303): huic vero dispositioni deinceps non erit jam locus, cum, sub nova disciplina, ex una parte, valitura sit assistentia a quocumque parocho præstita matrimonio cujuscumque nupturientis infra territorii respectivi limites celebrando, et ex alia parte descripta disciplina spectet solum valorem delegationis, uti constat ex dictis apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 309.

3/ ut sacerdos delegatus non sit « publico decreto nominatim excommunicatus, vel ab officio suspensus: sub art. enim VI, dicitur delegatum, ut valide et licite assistat, servare debere regulas pro parocho et loci Ordinario articulis IV et V statutas.

4/ ut sacerdos assistens immediatè, vel mediante delegante, ad assistendum nuptiis, sepositis vi et gravi metu, fuerit invitatus et rogatus, ac qua talis exquirat excipiatque consensum.

5/ ut non excedat limites licentiæ seu mandati accepti: et sic delegatio ad unum matrimonium determinata non potest extendi ad aliud.

De cætero immutatum manet jus hucusque vigens quoad facultatem delegandi sive *specialiter* pro casu particulari, sive *generaliter*, ad universalitatem causarum, vel causarum matrimonialium; pariter delegatus non potest subdelegare nisi delegatus fuerit a S. Pontifice, vel ad universalitatem causarum, aut facultatem subdelegandi acceperit; valent etiam principia vigentia circa delegationis revocationem vel ejusdem cessationem, in casu mortis delegantis. Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 264 ss.

(Sequetur).

A. De Smet.

Ex S. Rituum Congregatione

Ex Decreto *Urbis et Orbis*, diei 13 Novembris 1907.

« Festum Apparitionis B. M. V. Immaculatæ, quod a plurimis Diœcesibus et Regularibus Familiis jamdiu celebratur, inde ab anno insequenti, qui a Deiparæ Virginis ad Gavi Fluminis oram apparitionibus quinquagesimus erit, vel a nongentesimonono supra millesimum, in universali Ecclesia sub ritu duplici majori, cum Officio et Missa jamdiu approbatis, undecima die Februarii quotannis recolendum jussit: servatis Rubricis et Decretis ».

Die 27 Novembris 1907 approbavit SS. Dominus Pius X sequentem additionem inserendam ad calcem VI^æ lectionis officii a S. R. C. die 11 Julli 1890 approbati:

« Tandem Pius X Pontifex Maximus, pro sua erga Dei-
« param pietate, ac plurimorum votis annuens sacrorum An-
« tistitum, idem festum ad Ecclesiam universam extendit ».

Sur la Communion quotidienne

D. Bastien, O. S. B. *De frequenti quotidianaque communione ad normam decreti « Sacra Tridentina Synodus »*. Romæ, Desclée, Lefebvre et Socii, 1907. In-8, XIII-240 pag. — 2,50 fr.

Rapports au Congrès eucharistique de Metz :

R. P. Lintelo, S. J. *Le décret sur la Communion quotidienne et les devoirs des Prédicateurs et des Confesseurs*. Tournai, Casterman, 1907. In-8, 40 p. Prix : 30 cent.

R. P. Eug. Couet, Congr. SS. Sacr. *Ligue sacerdotale eucharistique. Son opportunité, ses moyens, ses premiers résultats*. 1907, Bruxelles, Chaussée de Wavre, 205. In-8, 16 p.

Frassinetti. *Le Banquet de l'Amour divin*. Trad. de l'italien par le P. Eug. Couet, de la Congr. du T. S. Sacrement. Bruxelles (Chaussée de Wavre, 205), 1907. In-16, XV-252 p. Prix : 1,25 fr.

R. P. Cros, S. J. *Enfants, à la Sainte Table!* Difficultés d'écoliers. Première série. Bruxelles, Dewit, 1907. In-16, 426 p.

Le secret des communions ferventes. Namur, Picard-Balon, s. d. [1906]. Petit vol. de 64 — 224 p. L'ex. broché 1,25 fr.

La dissertation de Dom Bastien est un commentaire du décret *Sacra Tridentina Synodus*. Il comprend deux parties : d'abord l'historique du sujet, où l'auteur expose à grands traits la tradition de l'Eglise depuis les premiers siècles sur la question de la communion quotidienne ; ensuite, une partie doctrinale ou morale, dans laquelle est analysé le dispositif du décret. Nous avons nous-même publié un commentaire du décret, nous avons été amené à insister dans cette revue tout spécialement sur le rôle du confesseur : nous le constatons avec plaisir, l'exposé de l'auteur confirme de tout point notre manière de voir. On trouvera en appendice les principaux documents, qui se rapportent à la question présente. Nous savons, pour en avoir fait l'expérience, combien cet appendice est utile.

L'événement capital de l'année qui vient de finir a été, au point de vue de la communion quotidienne, le Congrès eucharistique tenu à Metz (6-11 août 1907). Comme on

pouvait s'y attendre, à la section sacerdotale, se sont manifestés deux courants : « Le courant des timides, des lâches qui veulent continuer les errements du passé, prolongements directs du jansénisme ; le courant des obéissants et des ardents qui veulent prendre au pied de la lettre les volontés et les ordres du Pape » (1).

C'est évidemment dans le parti des « ardents », qu'il faut ranger les PP. Lintelo et Couet, et nous sommes heureux de signaler à nos lecteurs les rapports, présentés par eux au Congrès de Metz. Le P. Lintelo traite des *devoirs des Prédicateurs et des Confesseurs* par rapport au décret sur la communion quotidienne. Ce fut ce rapport, qui, dans la section sacerdotale, provoqua un certain émoi chez les « timides » ; aussi bien le Cardinal Vannutelli lui-même se chargea de les rassurer. En effet, dans la séance du jour suivant, Mgr Dubois, évêque de Verdun, déclara qu'il avait reçu de son Eminence le Cardinal-Légat mission de déclarer « que le R. P. Lintelo était celui dont les écrits reflétaient le mieux la pensée et les désirs du Saint-Père ». Nous croyons inutile de souligner l'importance de cette déclaration, faite publiquement par une voix si autorisée. — Le rapport du R. P. Couet s'adresse aussi aux prêtres : c'est une étude très intéressante sur la *Ligue sacerdotale eucharistique*. Nous voudrions la voir, avec le rapport du R. P. Lintelo, aux mains de tous les prêtres (2).

On a dit du *Banquet de l'Amour divin*, par Frassinetti, que c'est « un commentaire avant la lettre » du décret sur la communion quotidienne ; c'est le plus bel éloge qu'on en puisse faire. Il rendra surtout de précieux services comme livre de lecture spirituelle.

Le R. P. Cros, S. J., se dévoue depuis trente ans à l'apostolat de la communion fréquente des enfants. D'après l'*Instruction* aux membres de la Ligue sacerdotale eucharistique, les prêtres « auront un soin tout spécial de faire

---

(1) Paroles de S. G. Mgr Dubois, évêque de Verdun, rapportées dans la revue *Le Très Saint Sacrement*, août-sept. 1907, p. 81. Ce n° contient le compte-rendu du Congrès.

(2) Ajoutons que le rapport du R. P. Lintelo a été traduit en flamand par le R. P. De Temmerman, S. J. (Brugge, drukk. Houdmont-Carbonez, Buiten-Guldenvlieslaan).

naître un vif désir de la communion quotidienne dans les cœurs purs et dépourvus de *vaines craintes* des enfants » (n. XIII). Il n'est cependant pas rare de rencontrer même chez les enfants des craintes, des difficultés: le livre du P. Cros aidera à les dissiper. Il suppose, il est vrai, des situations un peu différentes, mais que d'observations s'appliquent à la situation dans laquelle se trouvent nos écoliers; on peut dire aussi que nos prêtres y trouveront rarement une instruction toute faite pour leurs élèves, toutefois ils rencontreront presqu'à chaque page des aperçus, des idées, des remarques, qui dissiperont leurs préjugés et leur serviront à vaincre les résistances des enfants.

Nous le regrettons, mais nous ne pouvons louer sans réserves le manuel des communiants: *Le secret des communions ferventes*. Le titre est sans doute alléchant; sans doute aussi ce petit livre renferme des choses excellentes, mais son esprit général nous déplaît. La lecture nous a laissé cette impression que l'auteur est un apôtre de la communion fréquente, dès avant le décret, mais qui ne s'est pas suffisamment pénétré de l'enseignement large et décisif du décret. Si par exemple, l'auteur avait bien compris la distinction, essentielle dans le décret, entre les dispositions absolument nécessaires et les dispositions de convenance, il se serait gardé de s'écrier: « Hélas! que de communions peu fructueuses! » (p. 22). Il aurait évité bien des phrases fort équivoques, qui sont de nature à donner le change aux fidèles: ainsi peut-on dire que les motifs d'intérêt, de vanité, de légèreté, d'entraînement, de routine, dont on peut se *purifier* (donc ces motifs ne sont pas déterminants, mais seulement concomitants), *profanent* hélas! trop souvent une action si sainte (p. 29)?

Nous recommandons enfin aux directeurs d'œuvres ouvrières (patronages et cercles) l'opuscule de l'Abbé Henri Hello: *Le décret sur la Communion quotidienne appliqué aux œuvres ouvrières*. Tournai, Casterman. Prix: par unité: 0,15; les 25: 3,00; le 100: 10,00.

H. Mahieu.

Notæ Bibliographicæ

P. Bernard Kuhn, O. Præd. *Vers la vie divine.* Bruxelles, Albert De Wit, 1908. In-8°, 139 p.

Sermons prêchés à Bruxelles, durant le carême de 1906. Sujet : apologie de l'état religieux.

De eerste gebeden. Proeven van behandeling. Uit het Duitsch vertaald door M. N. Tilburg, Stoomdrukkerij van het R. K. Jongensweeshuis. Gr. in-8°, 107 bl. — 70 cent.

Inhoud : I. Gesprekken over God. Kruisteeken. II. Het Onze Vader. III. Het Wees-gegroet. IV. De apostolische Geloofsbelijdenis.

D. Lescouhier. *Uitleg der gebeden* voorgeschreven door Z. H. den Bisschop van Brugge aan alle geloovigen van zijn bisdom. Brugge. Beyaert, 1908. 48 bl.

Eenvoudig en grondig.

A. Largent. *Les devoirs du prêtre.* Paris, Bloud et Cie, 1907. In-16 de 233 p. — 3 fr.

Conférences prêchées dans les retraites ecclésiastiques sur les devoirs essentiels du sacerdoce et les vérités dont ces devoirs s'inspirent.

L. Baille. *Qu'est ce que la science ?* Collection « Science et Religion » Paris, Bloud et Cie, 1906. — 0.60 fr.

Intéressant opuscule qui expose bien la définition scolastique de la science : *cognitio rei per causas* et qui défend la valeur objective de la connaissance intellectuelle.

N. Paulesco. *Définition de la physiologie,* etc. Collection « Science et Religion » Paris, Bloud et Cie, 1907. — 0.60 fr.

Cet opuscule expose avec clarté la notion de la physiologie, la méthode à y employer ; démontre que la génération spontanée n'est pas admissible et que le darwinisme ne repose sur aucun argument sérieux.

Idem. *Finalité. Matérialisme. Ame et Dieu.* Collection « Science et Religion » Paris, Bloud et Cie, 1907. — 1.20 fr.

Bon exposé de la finalité immanente chez l'être vivant ; réfutation du matérialisme.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii

—

I

Interpretare Is. VIII, 1-4. — Quænam in mente prophetæ viget relatio inter hanc pericopam et signum Emmanuelis e Virgine nascituri (Is. VII, 14-16)?

II

Explica et falsam esse demonstra hanc propositionem: *In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiæ nihil supersit nisi communes discentis opinationes sancire*: quæ est sexta inter damnatas decreto *Lamentabili sane exitu*.

III

Quinam obligantur Lege Nova seu Evangelica et quare?

IV

Ostendatur qua ratione virtutes infusæ distinguantur aliæ theologicæ, aliæ morales.

V

Utrum, spectata tum dignitate, tum participatione, sive in eodem, sive in diversis subjectis, omnes virtutes infusæ dicendæ sint æquales.

VI

Quotuplex distinguitur species *Orationum* in principio Missæ dicendarum? Quot et quænam in genere dicendæ sunt *Orationes* in missis ritus duplicis, semiduplicis et simplicis?

ANNALES DE LA SOCIÉTÉ D'ÉMULATION DE BRUGES.

Revue trimestrielle — 6 francs.

SOMMAIRE DU 4e FASC. NOVEMBRE 1907:

Bon A. de Maere d'Aertrycke. Emplacements et itinéraires de chevalerie française lors des mouvements offensifs du 11 juillet 1302, p. 373. — Bon A. van Zuylen van Nyevelt. Joyeuse entrée de Charles le Téméraire à Bruges (1468). 380. — A. Van de Velde. De oudste inventaris van het St Sebastiaangild te Brugge. 393. — L. Ghys. De Willemijnen te Brugge. 402. — C. Van den Haute. La Tapisserie à Bruges. 409.

Comptes rendus. — J. Finot. Étude historique sur les relations commerciales entre la Flandre et la République de Gênes au moyen âge. (E. Van Cappel). 411. — H. Pirenne. Histoire de Belgique. T. III. De la mort de Charles le Téméraire à l'arrivée du duc d'Albe dans les Pays-Bas. (R. De Schepper). 414. — J. Braun, S. J. Die belgischen Jesuitenkirchen. Ein Beitrag zur Geschichte des Kampfes zwischen Gotik und Renaissance. (A. De Meester). 417. — Paul Fauchille. Une chouannerie Flamande au temps de l'Empire. (Paul van de Walle). 420. — W. H. James Weale. Hubert and John van Eyck, their live and work. (H. Rommel). 424.

Chronique. 437. — Société d'Émulation. — Sociétés savantes et Congrès. — Notes bibliographiques. — Nos objets d'art. — Nouvelles d'histoire locale. — Reliques. — Question. — Réponse.

Bibliographie analytique de l'histoire de Flandre (nn. 464 à 632). p. 448.

Monitum

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Tomorum I (1896), III (1898), V (1900) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.

N. B. *Versus finem mensis via postali percipietur pretium anni currentis.*

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

—

I

Q. *Quæritur quænam sit* virgo *et quis* Emmanuel *in prophetia Is. VII, 14-16. Proba responsum.*

R. Virgo absque dubio intelligenda est Beata Maria Virgo, Emmanuel certò intelligendus est Jesus Christus, Deus-nobiscum, quem Maria virgo concepit et virgo peperit. Prophetia ergo est messianica, uti probatur ex textu et contextu, ex locis parallelis Isaiæ, ex prophetia *Mich.* V, 1 ss., ex *Mt* I, 22 s. et ex sententia communi catholicorum.

Probatur responsum. *Prænotamen circa adjuncta historica.* Initio regni Achaz (a. 735), regis Judæ, hujus regnum Phacee rex Israel et Rasin rex Syriæ penitus evertere moliuntur. Hinc, cum maximum immineat periculum, terror ingens Achaz ejusque populo exoritur (*Is.* VII, 2). Achaz spem suam ultimam reponit in rege Assyriæ Theglatphalasar, cujus paulo ante magnis muneribus opem imploraverat (*IV Reg.* XVI, 7 s.) — Tunc missus ad eum Isaias, monet cavendum esse a modo illo agendi antitheocratico, et consilium hostium fore irritum, ex parte Domini denunciat. Incredulum regem, velut missionis suæ et prophetiæ pignus, jubet signum a Deo expetere, quod cum rex facere recuset, Isaias domui David (v. 13) signum a Domino sponte datum proponit, quod in hoc vaticinio (vv. 14-16) exhibetur (1).

---

(1) Cf. Corluy, *Spicilegium dogmatico-biblicum,* Gandavi 1884, t. I, p. 394 ss.; Knabenbauer, *Commentarius in Isaiam,* t. I (Parisiis, 1887),

Probatur sensus messianicus literalis prophetiæ.

1° *Ex ipso textu.* 14 *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* 15 *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* 16 *Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum* (1).

Textus hebr. habet: Ecce virgo *(ha àlma:* la *vierge)* gravida et pariens filium, et vocat nomen ejus Emmanuel. His verbis Emmanuel prædicitur nasciturus e virgine in sensu composito: verba Isaiæ sonant virginem et permanentem talem esse gravidam et parere. Hunc sensum suadet usus vocis *ha àlma.* Etenim ex usu S. Scripturæ (2) ea vox nunquam designat mulierem matrimonio junctam; in pluribus locis significat adolescentulam innuptam (3), imo etiam virginem formaliter qua talem (4).

2° *Dictus sensus e contextu confirmatur.* Uti rite observat VAN HOONACKER (5): « Dans ces conditions on ne conçoit point que la mère d'Immanu-El, le futur sauveur dont la vision remplit Isaïe d'enthousiasme et auquel il attribue des prérogatives surhumaines, ait été appelée *ha àlma* dans le passage que nous étudions, sinon

---

p. 159 ss.; LAGRANGE, *Revue Bibl.*, 1892, p. 481 ss.; 1905, p. 277 ss.; VAN HOONACKER, *ib.* 1904. 213 ss.; HUYGHE, *La Science cathol.*, 1895; DURAND, *L'Université cathol.*, juin 1899; CONDAMIN, *Le livre d'Isaïe*, Paris 1905, p. 60 ss.; BEAUQUIER, *Revue Augustinienne*, 1907, p. 529 ss.; DAVIDSON, apud HASTINGS, *Dictionary of the Bible*, t. II (Edinburgh, 1903), p. 454 ss.; MANGENOT, apud VIGOUROUX, *Dictionnaire de la Bible*, Paris, ad v. Emmanuel, etc.

(1) Commentarium v. apud CORLUY, KNABENBAUER, VAN HOONACKER, *ll. cc.*, coll. BAUQUIER, *o. c.*, p. 532, et LAGRANGE, *Rev. Bibl.*, 1905, p. 278 s.

(2) Quidquid sit de vocis etimologia.

(3) *Gen.* XXIV, 43; *Cant.* I, 3; VI, 8; *Ps.* LXVIII, 26. Cf. CORLUY et VAN HOONACKER, *ll. cc.*

(4) *Prov.* XXX, 19; cf. VAN HOONACKER, *o. c.*, p. 221. Ità vocem intellexit versio LXX, Peschitto etc.

(5) *o. c.*, p. 221 s.

précisément à raison de la circonstance extraordinaire marquée par le nom; à la qualité de non-mariée signifiée chez la mère; à raison par conséquent, vu le sujet en cause, du caractère merveilleux, virginal de sa maternité. Les anciennes versions n'avaient pas tort d'interpréter: ἡ παρθένος, *virgo* concipiet » (1).

Ipse igitur contextus probat intendi a propheta *virgineum* conceptum ac partum, adeoque sensum prophetiæ messianicum *suadet*.

Nota. Ad nomen *Emmanuel* (Deus nobiscum) quod spectat, ex *sola* nominis hujus impositione vel appellatione ad munus pueri messianicum concludere non licet. Sunt enim, uti notum est, plurima nomina apud Hebræos cum nomine Dei *(El)* vel Jahve composita, quæ ex ratione etimologica explicantur. Ad sensum igitur messianicum fundandum alia argumenta accedant oportet, deducta sc. ex contextu, locis parallelis aliisque S. Scripturæ textibus. Ad hæc ultima argumenta statim transimus.

3° *Probatur e locis parallelis apud Isaiam*. Vaticinia enim cc. VI-XII Isaiæ ità cohærent ut merito « liber Emmanuelis » (2) vocata fuerint. Quod innuitur in c. VII, præclare explicatur in sequentibus: hæc vaticinia se mutuo complent, et sensum messianicum nostri textus faciunt indubium.

---

(1) Condamin, *o. c.*, p. 69 merito observat: « S'il était question d'une jeune fille vivant alors et connue de tous, le prophète en la désignant pourrait dire *in sensu diviso*: Cette vierge enfantera, c. à d.: cette jeune fille, vierge jusqu'à présent, *et connue de tous comme telle*, deviendra mère comme toutes les mères. Mais il s'agit d'une femme qui n'apparaît qu'aux regards du prophète, *et dont il n'est question que pour le moment où elle enfante le Messie*. Si elle devait devenir mère selon les lois ordinaires, toute sa grandeur consisterait à être *mère* du Messie; dès lors pourquoi la désigner d'après l'état de virginité *qui a précédé, auquel personne ne pense, et qui n'a point d'importance* ».

(2) Ideo in liturgia Adventus, Nativitatis Domini et plurium festorum B. M. Virginis tam copiose usuveniunt textus ex hoc « libro » desumpti, tùm in lectionibus de scriptura occurrente, in responsóriis et antiphonis Officii, tùm in Missa.

a/ C. VIII, 1 ss. iterum prænunciatur incursio exercitus Assyriorum (1), ità ut velut torrens terram Judææ vastatura sit. Terra Juda quæ aliàs audit terra Domini, hæreditas Dei (2), dicitur « *terra tua, o Emmanuel* » Hac autem compellatione non alius salutatur quam solus ille, cujus est terra Juda, cujus est theocratia, ipse Jahve vel Messias. Hoc adeo verum est ut statim *Emmanuel* tanquam populi Dei Salvator et de omnibus populis gloriosus triumphator appareat (vv. 9-10).

b/ C. IX, 1 ss. Isaias liberationem prædicit futuram per *parvulum natum*, cui decernit attributa divinitatis et regiæ dignitatis in æternum mansuræ (3), et qui *super solium David* (4) *et super regnum ejus sedebit* (v. 7). *Parvulus natus* jam notus supponitur, sc. e prophetia c. VII, 14. Præterea apte hic textus refertur ad c. VIII 8 ubi jam Emmanuel proponitur tanquam terræ Judææ dominium jure tenens.

c/ C. XI, 1 ss. redit sermo propheticus de *virga egressura e radice Jesse*, e filio scil. Davidis inclyto, judice populi, cujus cingulum justitia, cujus regnum inauditam afferet pacem, in cujus diebus possidebit Deus residuum populi sui. Hic alius esse nequit quam idem ille parvulus, de quo c. IX, qui et ipse *super solium David et super regnum ejus sedebit in æternum*, qui regnum David *confirmet... in judicio et justitia*, qui est *princeps pacis*, et sub quo *pacis non erit finis*, qui et ipse liberabit residuum populi Dei (cf. IX, 2, 4; X, 20-22).

4° *Probatur e vaticinio Michæa V, 1-5*, ubi pariter

---

(1) Cf. Van Hoonacker, *l. c.*

(2) Videsis loca apud Knabenbauer, *o. c.*, p. 205.

(3) *Is.* VIII 6: Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis (hebr. *El gibbor*), pater futuri sæculi, princeps pacis.

(4) « N'oublions pas, ait Condamin, *o. c.*, p. 63, qu'Isaïe, pour donner le signe de l'Emmanuel, s'est adressé solennellement à la maison de David » (Is. VII, 13).

quæstio est de Assyriorum incursione, atque dicitur Dominus derelicturus Israel donec *parturiens pariet: et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel... Et erit iste pax... Dominator* ille *in Israel egredietur* ex *Bethlehem* civitate David. Michæas alludit ad vaticinium Isaïæ (1): *parturiens* illa est mater Emmanuelis, principis pacis seu Messiæ.

5° *Probatur ex Matth. I, 18-25,* ubi evangelista, postquam narravit virgineam conceptionem B. Mariæ Virginis, addit (vv. 22 s.): *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus* ». Ergo, teste evangelista (2), Isaias vaticinio suo c. VII, 14-16 prædixit Jesum nasciturum ex virgine, intacta permanente matris integritate. Ergo *ha àlma* seu *virgo* apud Isaiam est Maria et *Emmanuel* est Jesus-Christus, Messias (3).

---

(1) Cf. Van Hoonacker, *l. c.*

(2) Teste etiam, uti patet, communi traditione Judæorum illius temporis.

(3) Plures Auctores moderni uti Mc Curdy (*History, Prophecy and the monuments,* New York, 1894-1901, t. III, p. 417) et Maspero (*Hist. ancienne des peuples de l'Orient classique*, Paris, 1895-1899, t. III, p. 184) contendunt Emmanuelem intelligendum esse filium Achab, *Ezechiam.* Alii, uti Gesenius, Hitzig, Meinhold, etc. tenent Emmanuelem esse *filium Isaïæ,* typum Messiæ (Riehm, Le Hir apud Condamin, *o. c.*, p. 65). Verum contra utramque interpretationem pugnant omnia argumenta in probatione allata. Liceat præterea advertere in specie:

a/ priorem interpretationem nullum omnino habere fundamentum in textu. Contrà, uxorem Achab nomine *ha-àlma* non appellasset Isaïas. Cur enim non dixisset, quod quilibet alius in tali casu diceret: *conjux tua?* Vel si de regina locutus esset, cur eam non potius appellasset *reginam* aut *dominam, augustam,* quæ appellationes usu erant receptæ.

b/ Dum prior interpretatio principiis catholicis aperte contradicit, altera explicatio cum dictis principiis conciliari potest, dummodo in vaticinio duplicem sensum distinguat, alterum literalem, non messianicum, alterum typicum de Christi conceptu virgineo. Verùm, etiam sub data distinctione repugnat. Etenim, cur Isaias uxorem suam vocaret « *ha àlma* », dum infra VIII, 3 eam « *prophetissam* » nominat. Dein quo jure terra Judææ vocari potest terra filii Isaiæ VIII, 8? Demum et

C° *Confirmatur sensus messianicus ex communi interpretatione catholicorum* quibus plures auctores protestantes suffragantur (1).

Nota. In responsione ad quæstionem I propositam in conferentiis mensis Martii, ostendemus sensum vaticinii messianicum non pugnare cum contexta oratione. Quæstio « quæ intelligenda sit Virgo, quis intelligendus sit Emmanuel » seorsim solvi potest, neque necessario pendet a solutione alterius quæstionis: « quale signum proponit Isaïas et quo spectat »? (2).

A. Camerlynck.

II

Q. *Quisnam assensus a catholico tribuendus est decreto sacræ romanæ et universalis Inquisitionis* « Lamentabili sane exitu ».

R. Tribuendus est, *per se* loquendo, assensus *internus intellectus*, quo *erroneæ* judicantur singulæ propositiones damnatæ; hæc mentis adhæsio est assensus *religiosus*.

A. **Prænotanda.** 1. Quum Romanus Pontifex, legitimus S. Petri successor, auctoritatis in Ecclesia plenitudinem in se gerat, potest suam potestatem partialiter communicare et *delegare* aliis, qui, *dependenter* a Summo Pontifice, potestatem sibi commissam exerceant et sic coadjuvent supremum Pastorem in munere pascendi gregis Christi. Porro de facto variis Congregationibus romanis jus tributum est certa negotia ecclesiastica discutiendi et per vota majora ordinarie etiam decisiva, non tantum consultativa, definiendi (3). Ex his Congre-

---

præsertim, quomodo sensus typicus verificatur, dum juxta *Mt* 1, 22 s., prophetia Isaiæ præprimis *virginitatem* matris Emmanuelis doceat? Cf. Condamin, *o. c.*, p. 65 s. Cf. præterea responsum ad quæstionem pro conferentiis mensis Februarii propositam.

(1) Cf. Condamin, *o. c.*, p. 62.

(2) Cf. Van Hoonacker, *l. c.*

(3) Cf. Wernz, *Jus decretalium*, Romæ, 1899, T. II, p. 733, n. 652; De Brabandere-Van Coillie, *Juris canonici compendium*, Brugis, 1903, t. I, p. 202, n. 209.

gationibus omnium prima est *Sacra Congregatio Inquisitionis*, seu *Sancti Officii*, quæ instituta est a Paulo III, anno 1542, et cujus munus imprimis est tueri *fidem*, illamque ab erroribus præservare (1). Inde hæc S. Congregatio « generatim *competens* est in omnibus causis *doctrinæ* catholicæ circa fidem et mores et quæ cum his propter periculum fidei connexæ sunt. Quare... ad ipsam imprimis spectant *qualificationes* propositionum falsarum... » (2).

2. Decretum « Lamentabili sane exitu » datum die 3ª Julii, 1907, a Congregatione S. Officii, est decretum *doctrinale*, datum nempe « ne errores qui quotidie inter fideles sparguntur, in eorum animis radices figant ac fidei sinceritatem corrumpant » (3).

In prælaudato decreto, notantur ac reprobantur præcipui *errores*, *gravissimi*, qui nostris diebus propugnantur, de disciplinis sacris, de Sacra Scriptura interpretanda, de fidei præcipuis mysteriis. Singulis damnatis propositionibus non adnectitur determinata *nota*, sed quum dicantur præcipui *errores*, sequitur illas saltem ut *erroneas* haberi. — Dico *saltem* ut erroneas: quia in decreto « Lamentabili » haberi possunt propositiones *hæreticæ*, vel *hæresi proximæ:* quæ etiam sunt errores et dici possunt erroneæ, abstractione facta ab ulteriori qualificatione (4).

---

(1) Cf. Wernz, *o. c.*, n. 658; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n. 214; Choupin, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siége*, Paris, 1907, p. 32 ss.

(2) Wernz, *o. c.*, l. c. — Potest prædicta Congregatio propositiones proscribere eis annectendo *censuras* vel *notas* diversas v. gr. *hæreticam, erroneam, scandalosam*, etc.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 521.

(4) Si tres notæ: *hæretica, hæresi proxima, erronea* sumuntur *sensu stricto* et prout inter se opponuntur, tunc *hæretica* est propositio quæ contradicit veritati certo *revelatæ; hæresi proxima* est propositio quæ contradicit veritati quæ certissime quidem cohæret cum principiis fidei, certissimeque ex iis colligitur, sed insuper judicatur a plerisque etiam revelata et ut talis ab Ecclesia definibilis, quanquam hactenus de facta definita non sit; tandem *erronea* est propositio quæ contradicit conclusioni theologicæ

Ex tenore verborum, quibus incipit decretum, patet illud vim habere legis *universalis*, quæ nempe omnes Ecclesiæ fideles spectat.

3. De *valore autem juridico* prædicti decreti dicendum est illud ferri vi potestatis quæ ipsi Congregationi propria est, vi nempe illius potestatis magisterii quæ a Romano Pontifice delegata est illi Congregationi, et vi cujus potestatis *authentice* decernere et declarare potest tales vel tales doctrinas esse rejiciendas et tali vel tali censura theologica esse plectendas. Congregationi romanæ nunquam communicari potest privilegium *infallibilitatis*, quo solus gaudet Romanus Pontifex quando *ex cathedra loquitur* h. e., quando « omnium Christianorum Pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam *definit* » (1). Congregatio, licet non sit infallibilis in docendo, tamen vera fruitur *potestate docendi :* etiam ipse Pontifex sæpe ut Supremus Ecclesiæ Pastor docet et suam magisterii potestatem exercet, quin tamen aliquid proprie definiat et consequenter quin suo infallibilitatis privilegio utatur.

Decretum « Lamentabili » fuit a Pio X approbatum (2): hæc tamen approbatio est, uti dicitur, *in forma communi* (3). Etenim : « a/ specialis clausula post ipsam confirmationem accedit, estque hæc data in forma solita, communi. b/ Nulla verba vel speciale istud examen significant quod solet S. Pontifex confirmationi in forma specifica præmittere et exprimere his vel similibus, *ex*

---

quæ ex dogmate fidei et principio naturaliter certo deducitur. Cf. BILLOT, *de Ecclesia*, Romæ, 1899, T. II, p. 85 s.

(1) *Concilii Vaticani Constitutio de Ecclesia Christi:* cf. DENZINGER, *Enchiridion*, n. 1682.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. c., p. 527.

(3) Cf. CHOUPIN, *Etudes*, 1907, p. 413 s.; BRICOUT, *Revue du Clergé français*, 1907, t. LII p. 227 s.; LECLER, *Collationes Namurcenses*, 1907, t. VII, p. 131 s.; VERMEERSCH, S. J., *Periodica*, 1907, t. III, p. 148; MANQUOI, *Revue Augustinienne*, 1907, t. VI, p. 239; *Nederlandsche katholieke stemmen*, 1907, t. VII, p. 312; *Revue ecclesiastique de Metz*, 1907, t. XVIII, p. 569.

certa scientia, vel intentionem Pontificis statuendi *de apostolicæ auctoritatis plenitudine.* Contra verbis omnino consuetis indicatur accurata quæ facta est relatio. Denique donec confirmatio probetur esse *specifica*, judicanda est *communis* » (1).

Porro approbatione *in forma communi* nihil aliud agit Romanus Pontifex quam ratum habere ipsum decretum *prout latum est ab ipsa Congregatione:* post illam approbationem, decretum remanet actus *Congregationis* (quæ est ac remanet causa ejus efficiens), nec elevatur ad hoc ut sit actus *ipsius Pontificis* (2).

Etiam nova confirmatione data decreto « Lamentabili » per *Motu proprio,* diei 18[a] Novembris, 1907 (3), non adjunctus est valor diversus a valore quem antea habebat illud decretum, nec ideo elevatum est ad ordinem actus *pontificii* seu *papalis,* sed remanet decretum Congregationis S. Officii (4).

B. **Demonstratur assertum.** 1. Quum decretum « Lamentabili » sit actus veræ et legitimæ auctoritatis, vere jubentis aliquid omnibus Ecclesiæ membris, sequitur in illis vera *obligatio*, in conscientia, *obediendi:* et sane juri jubendi correspondeat oportet obligatio obediendi.

Quum autem, in casu, agatur de exercitio potestatis *magisterii* (licet delegatæ) in Ecclesia, sequitur in fidelibus obligatio *adhærendi doctrinæ* authentice propositæ, et, in casu, tamquam errores habendi singulas damnatas propositiones et consequenter, saltem implicite te-

---

(1) VERMEERSCH, *o. c.*, l. c.

(2) Cf. CHOUPIN, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège,* p. 44.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 6.

(4) Cf. CHOUPIN, *Etudes,* 1908, t. 114. p. 119 s. — Notemus etiam *censuras* statutas in prælaudato *Motu proprio* ferri in *contradictores,* nempe in illos qui *tueantur* quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro documento. nempe decreto « Lamentabili » et encyclica « Pascendi » improbatis; illæ pœnæ non feruntur in illos qui actu mere *interno* peccarent contra prædicta documenta.

nendi ut veras propositiones contradictorias propositionibus proscriptis (1). Sane inutile foret exercitium potestatis magisterii nisi sequeretur in fidelibus obligatio sincere admittendi id quod ab auctoritate præscribitur tenendum. Præterea jam Pius IX declaravit adesse obligationem *internæ* adhæsionis doctrinalibus decretis Romanarum Congregationum: in litteris scriptis die 21 Decembris 1863 ad Archiepiscopum Monacensem legitur: « Sed cum agatur de illa *subjectione*, qua *ex conscientia ii omnes Catholici obstringuntur*, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiæ afferant utilitates, idcirco ejusdem Conventus viri agnoscere debent sapientibus catholicis haud satis esse ut præfata dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam *opus esse ut se subjeiciant tum decisionibus, quæ ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur*, tum iis doctrinæ capitibus, quæ communi et constanti catholicorum consensu ita retinentur ut theologicæ veritates et conclusiones ita certæ, ut opiniones eisdem doctrinæ capitibus adversæ quamquam hæreticæ dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram » (2). Ex toto contextu illius declarationis et

(1) Licet decretorum doctrinalium S. Officii scopus non sit *definire infallibiliter veritatem speculativam*, sed *prospicere securitati doctrinæ*, in decreto « Lamentabili » illi securitati prospicitur, notando et proscribendo *gravissimos errores:* inde huic errorum proscriptioni adhærendum est a fidelibus, secus nihil efficeretur ad securitatem doctrinæ. Cæteroquin *doctrinæ* securitati non aliter prospicitur nisi dirigendo mentes in cognitione speculativa, nempe discernendo verum a falso, certum a dubio, compossibile cum revelatis a non compossibili. Inde animadvertere juvabit non eamdem inesse omnibus S. Officii decisionibus vim ad determinandam doctrinam; hæc vis dependet imprimis ab ipsa formula adhibita in decreto: quando v. gr. decernitur talem propositionem *non posse tuto doceri,* nihil aliud declaratur quam non dari argumenta sufficientia quibus demonstretur talem propositionem vel esse veram vel esse compossibilem cum certa doctrina catholica, nec dicitur illam esse falsam; quando vero decernitur tales propositiones esse errores declaratur illas esse *falsas*. Porro interna decreto adhæsio correspondere debet ipsius declarationi doctrinali.

(2) V. Denzinger, *o. c.*, n. 1537.

præsertim ex natura rei de qua agitur, nempe de potestate *dirigendi mentes*, patet hic sermonem esse de interna subjectione mentis ad doctrinales decisiones Congregationum Romanarum.

Hæc porro interna mentis subjectio non fit nisi *intellectus judicio* affirmante vera esse quæ ut vera proponuntur, vel erronea quæ ut erronea (1).

2. Quum demonstraverimus requiri *assensum internum intellectus judicantis erroneas esse propositiones damnatas decreto « Lamentabili »* restat ut inquiramus *de natura* prædicti assensus.

Jamvero imprimus considerandus est casus in quo fidelis, nulla speciali hypothesi facta, decretum cognoscit. Ille debet *credere* erroneas esse singulas propositiones damnatas, et hoc credere debet *propter auctoritatem Congregationis sic statuentis*. Hic assensus vocatur *religiosus,* et distinguitur a fide *divina* et a fide *ecclesiastica* (2).

Firmitas porro *assensus religiosi* dependet ab ipso modo quo exercetur auctoritas et ab ipso valore illius auctoritatis in se inspectæ. Jamvero si consideratur scientia, prudentia, et ampla, quæ in ipso decreto apparet, inquisitio, illorum qui condiderunt decretum; si præterea consideratur speciale momentum documenti in quo *gravissimi* errores notantur, qui quotidie inter fideles sparguntur; si tandem ratio habetur de generali Providentia qua Deus suam regit Ecclesiam, jam non haberi potest *ullum prudens dubium* de objectiva rectitudine judicii in prælaudato decreto, et consequenter assensus quo illi est adhærendum, est *moraliter certus,*

---

(1) Ideo non satisfaceret qui, admittendo in Congregatione jus damnandi propositiones, tantum sileret, et, nullam adhæsionem internam præbendo, pergeret in inquisitione circa illas propositiones ac si nihil decrevisset Congregatio.

(2) Cf. Bouquillon, *De Virtutibus Theologicis,* Brugis, 1890, n. 72 s.; Illmus ac Revmus Waffelaert, *Annotationes* in hunc tractatum; Dignant, *Collat. Brug.*, t. I, p. 228.

consequenter tamquam certo erroneæ habendæ sunt singulæ propositiones damnatæ (1).

Annotatio. Hucusque exposuimus obligationem, quæ *per se* loquendo oritur ex decreto « Lamentabili » pro catholicis generatim spectatis. Nunc quædam considerandæ sunt hypotheses quarum duæ priores facile verificantur.

1. Si quis habeat, per veram demonstrationem, scientificam cognitionem de falsitate propositionum proscriptarum non tenetur ad alium assensum, diversum ab assensu scientifico. Utrum præter hunc assensum *possit* etiam præbere assensum religiosum, quæstio est dirimenda ex generaliori quæstione utrum aliquis homo possit idem objectum et fide et scientia admittere seu utrum possit in eodem homine esse et fides et scientia de eadem veritate.

2. Si quis cognoscat talem vel talem propositionem esse *hæreticam,* ille tenetur, sicut ante decretum, contradictoriam credere *fide divina:* nec pro tali locus esse potest *assensus mere religiosi.*

3. Tandem si quis ex proprio studio esset de veritate alicujus propositionis proscriptæ ita persuasus ut videretur ipsi impossibile deponere suam persuasionem, ille deberet imprimis ulterius inquirere de valore suorum argumentorum, nec posset rationabiliter ac prudenter æstimare auctoritatem Congregationis S. Officii non prævalere argumentis quibus sua nititur persuasio. Et revera vix possibilis, imo chimericus, videtur casus quo relate ad præsens decretum possit esse tanta certitudo mere subjectiva. Quodsi sufficiens reflexio esset

(1) Quod non requiratur *infallibilitas* in docendo ut doctrinæ adhæreamus judicio *certo* constat ex hoc quod prudenter cum certitudine admittimus id quod ab omnibus vel pluribus doctis docetur. Quod valet vero in pluribus doctis et peritis generatim id multo magis valet in iis pluribus doctis ac peritis quos Deus speciali institutione constituit magistros et quos certum est speciali providentia regi ut munere suo rite fungantur. Ita fere PALMIERI, *De Romano Pontifice,* Romæ, 1877, p. 633.

physice impossibilis, ille homo laboraret physica impossibilitate satisfaciendi obligationi. Relate ad illum applicanda forent principia quibus in theologia morali docetur, in certis casibus, non urgendam esse obligationem quæ frustra imponeretur. Omni in casu teneretur ille homo ad silentium et ad omne scandalum præcavendum.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Explica quomodo in immediata et exclusiva destinatione hominis ad Deum glorificandum habeatur non solum ratio obligationum, sed etiam verum fundamentum dignitatis ac libertatis humanæ* (1).

R. Claritatis gratia, breviter revocanda est in memoriam destinatio hominis (finis operis) qualis sit. Finis simpliciter ultimus totius creationis est *gloria Dei extrinseca formalis, mediate* quidem creaturarum irrationalium, *immediate* vero rationalium (2). Per se ipsas creaturæ ratione carentes non possunt dare Deo aliam gloriam quam objectivam seu materialem, quatenus np. earum natura est « repræsentativa divinarum perfectionum » (3) ; at, *mediante homine*, cui Deum cognoscibilem præbent, Creatori gloriam tribuunt formalem, et ita voce hominis ad Deum clamant, ut pulchre dixit S. Augustinus (4). Homo autem non tantum sua natura repræsentat divinas perfectiones, sed utpote ratione

(1) Bouquillon, *Theologia moralis fuudamentalis*, ed. 2ª (1890), p. 149 ; ed. 3ª (1903), p. 177.

(2) Cf. Revmus Waffelaert, *Exposé sommaire des principes généraux de la science sociale*, Bruges, 1904, p. 14 ss.; *Meditationes theologicæ* apud Collat. Brug., t. VI, p. 433 ss.

(3) Ita Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis*, L. XIV, De ultimo fine, cap. 5, n. 74, quem totum librum non sine delectatione leges ac fructu pietatis.

(4) In ps. 148, n. 15. Cf. Bouquillon, *l. cit.*

præditus, eas agnoscit easque amat et laudat, seu immediate per seipsum Deum glorificat formaliter.

Inde sequitur ulterius creaturas irrationales esse factas immediate propter rationalem, ita ut Deus sit quidem earum finis ultimus, creatura vero intelligens sit earum finis proximus; Deum autem ita esse finem ultimum creaturæ rationalis, ut sit etiam ejus finis proximus (1), seu, loquendo nunc de solo homine, hominem esse **exclusive** destinatum ad Deum glorificandum, ita ut, *relate ad finem ultimum*, nulli creaturæ, etiam quæ sit ipsi superior, sed soli Deo sit subordinatus.

Porro in hac immediata et exclusiva destinatione hominis ad Deum glorificandum habetur:

1° **Ratio obligationum.** Si enim Deus est finis ultimus hominis, sicut est ejus primum principium, necessario est ejus supremus legislator et judex (2). Obligatio est vinculum quod ligat agentia libera seu vinculum morale; ut sit vera, illa necessitas moralis debet esse absoluta, ineluctabilis, cui subditus sit ita obnoxius, ut citra culpam et consequentem reatum pœnæ violari nequeat (3). Jamvero hujusmodi necessitatis unica et ultima ratio est sola voluntas Dei, jubens ordinem a se conceptum de facto existere et conservari eumque perturbari vetans. Deus creator assignavit homini finem proprium, proportionatum naturæ humanæ; eo ipso imposuit ei regulam agendi, np. conformiter ad suum finem. Hanc voluntatem Dei, primi principii et ultimi finis, non quidem physica necessitate, sicut creaturæ ratione carentes, sed morali homo servare omnino debet (4).

2° **Fundamentum dignitatis humanæ.** Hæc jam ap-

---

(1) Cf. Palmieri, *De Deo creante et elevante*, th. X, n. VIII; Lessius, *l. cit.*, c. 4, n. 64.

(2) Rev^mus Waffelaert, *op. cit.*, p. 17.

(3) Hanc necessitatem vocat Kant *imperativum categoricum*, sed turpiter erravit, assignando velut fundamentum istius imperativi voluntatem humanam, quasi homo esset sibi finis ultimus.

(4) Cf. De Baets, *Les bases de la morale et du droit*, 1892, p. 146 ss.

paret ex hoc quod, ut dicit Lessius (1), homo « finis est proximus totius istius machinæ », np. creationis visibilis. « Hinc ceteris omnibus creatis, digestis, ornatis et præparatis, ultimo loco conditus est homo, et veluti hæres ac dominus in possessionem orbis inductus », ut legimus Gen. I. Pulchre Nazianzenus (2): « Si postremus homo creatus est... nemini mirum videri debet. Construendum enim prius tanquam regi palatium erat, atque ita rex introducendus omni jam suo satellitio stipatus ». Neque tantum rex est creationis visibilis, sed et ejus quasi pontifex supremus, in quantum voce hominis universa creata Creatori offerant sacrificium laudis atque adorationis (3).

Elucet præterea illa dignitas ex hoc quod *soli Deo serviens nulli enti creato servire jubeatur* (4). Sane tanta non est hominis dignitas, ut neque Deo servire teneatur : cum enim sit creatura, essentialis est ejus subordinatio ad Creatorem, et ita inane commentum est sic dicta *moralis independens*. At ipsum istud servitium est dignissimum : crescit enim dignitas alicujus pro majori dignitate finis ad quem est destinatus, eoque magis quo magis immediate ad istum finem ordinatur. Hominis autem finis, ad quem immediate et exclusive destinatur, Deus est infinitæ majestatis ac dignitatis, rex regum et dominus dominantium (1 Tim. VI, 15), *cui servire regnare est*. Porro ad solum Deum destinatur homo, nec est aliquid infra Deum ad cujus gloriam vel commodum ipse possit ordinari (5). Non est igitur destinatus ad

---

(1) *l. cit.*

(2) Or. 43, 4, cit. ap. Palmieri, *l. cit.*

(3) Cathrein, *Moralphilosophie*, Freiburg, Herder, 1899, t. I, p. 81. — Hinc sancti, ut S. Franciscus Assisiensis, solebant legere Deum in admirabili libro naturæ creatæ. Hinc cordis intimo affectu recitemus psalmos, in quibus invitantur omnes creaturæ ad laudandum Deum, puta in *Laudibus;* item Canticum *Benedicite* post Missam. Cfr. S. François de Sales, *Traité de l'Amour de Dieu*, L. V, Ch. VIII ss.

(4) Bouquillon, *l. cit.*

(5) Lessius, *l. cit.*

servitium entium superiorum, v. g. angelorum, neque a fortiori ad utilitatem et bonum hominum excellentioris ingenii vel melioris conditionis aut utilitatem communitatis vel status. Ex quo patet theoriam *utilitarismi socialis* omnem personalitatis individualis ideam dignitatemque tollere funditus (1). Quodsi proximo et societati obsequia præstare teneatur, hoc ideo fit, quia Deus eum creaverit ens sociale eique societatem dederit velut medium quo facilius finem suum ultimum attingere posset (2).

3° **Fundamentum libertatis humanæ** seu veræ independentiæ. Ex præcedentibus hoc facile colligitur. Sicut hominis est officium essentiale, ita et jus essentiale est tendendi ad Deum finem ultimum, ita ut « homini ex conscientia officii, Dei voluntatem sequi et jussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Hæc quidem vera, hæc digna filiis Dei libertas, quæ humanæ dignitatem personæ honestissime tuetur, est omni vi injuriaque major: eademque Ecclesiæ semper optata, ac præcipue cara. Hujus generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli, sanxere scriptis Apologetæ, Martyres ingenti numero sanguine suo consecravere » (3). Solus itaque Deus vinculare potest libertatem hominis, nulla vero creatura, qua talis, sed solum quatenus participat potestatem divinam (4).

---

(1) Meyer, *Institutiones juris naturalis*, t. I (Freiburg, Herder, 1885), n. 57.

(2) Rev^mus Waffelaert, *op. cit.*, p. 17.

(3) Leo XIII, Encycl. *Libertas*. — Exemplum illius sanctæ independentiæ habes Act. IV, 19-20: « Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate: non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui ».

(4) Hinc collige præcellentiam virtutis obedientiæ et simul qualis debeat esse nostra obedientia: non enim, ut pluries inculcat Apostolus, obedire oportet *quasi hominibus*, sed *quasi Deo*. — Advertat diligens lector doctrinam expositam de fine ultimo exhibere *fundamentum perfectionis spiritualis*, ita ut merito S. Ignatius in libro *Exercitiorum spiritualium* tamquam *fundamentum* posuerit considerationem *finis hominis, finis creaturarum reliquarum* harumque *recti usus*.

IV

Q. *Ostende hominem destinatum esse ad finem* supernaturalem.

R. Salva justitia et bonitate sua potuisset Deus destinare hominem ad finem mere naturalem, gloriam nempe Dei et beatitudinem hominis naturales: cognitionem et dilectionem Dei, ut auctoris naturæ, et gaudium ex utraque fluens. At immensa Dei bonitate de facto homo elevatus est ad ordinem supernaturalem (1) adeoque destinatus ad finem supernaturalem. Hic finis, ut fides docet, consistit in visione Dei intuitiva, ejus amore perfecto et gaudio ineffabili: his tribuitur a beatis in patria Deo gloria et simul constituitur eorum beatitudo perfecta. In statu autem viæ homo Deum glorificare debet simulque beatus est inchoative et imperfecte. Beatitudo hæc essentialiter consistit in fide, spe et charitate: his enim virtutibus earumque actibus Deo fini ultimo immediate conjungimur, « per fidem Deus mentibus nostris exhibetur et quodammodo præsens sistitur, per spem illi innitimur, et per charitatem intime et filialiter ei conjungimur » (2). Principalius tamen in charitate consistit, quæ nos perfectissime unit Deo: « qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo » (1 Joa. IV, 16). In aliis virtutibus consistit secundario beatitudo, quatenus nimirum auferunt impedimenta charitatis et ad ejus perfectionem hominem disponunt (3).

Finis igitur supernaturalis a naturali non differt objecto, sed essentialiter differt modo: utrobique enim habetur Dei cognitio et amor, conjunctio cum Deo; at

---

(1) Remissive ad tract. *De Deo creante et elevante.*

(2) Lessius, *De nominibus Dei,* Lib. III, cap. 1.

(3) Cf. Müller, *Theologia Moralis,* Lib. I (Vindobonæ 1899, ed. 8ª), p. 80 sqq. — Iterum advertat lector similia esse dicenda in theologia ascetica, utpote quæ est theologia moralis perfectior. Cf. nostrum opusculum *Het Brood des Levens: Waarin de volmaaktheid gelegen is.* (Altera ed., p. 130).

hinc cognitio per creaturas, inde fides et visio intuitiva; hinc amor naturalis, inde charitas; hinc servitus, inde hæreditas et regnum (1).

His præmissis, breviter ostendimus descriptum finem esse *supernaturalem* (2).

Imprimis recolatur notio, quid sit proprie ac stricte *supernaturale:* est id « quod superat exigentiam ac vires totius naturæ creabilis, ita ut soli Deo natura proprium sit, et solum gratuito Dei beneficio a creatura participari aliquo modo queat » (3).

Probationem desumimus ex S. Thoma, 1, q. 12, art. 4, ubi affert:

1° *Argumentum auctoritatis:* « Sed contra est, quod dicitur *Rom.* VI: « Gratia Dei vita æterna ». Sed vita æterna consistit in visione divinæ essentiæ, secundum illud *Joan.* XVII: « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, etc. ». Ergo videre Dei essentiam convenit intellectui creato per gratiam, et non per naturam ».

2° *Argumentum rationis:* « Respondeo dicendum, quod impossibile est quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat. Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ. Si igitur modus essendi alicujus rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis.... Solius autem Dei proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens... Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra

---

(1) Bouquillon, *op. cit.*, ed. 2ª et 3ª, n. 17.

(2) Ex professo instituitur hæc demonstratio in Dogmatica speciali.

(3) Rev^mus Waffelaert, *Meditationes theologicæ* ap. Collat. Brug., t. II, p. 114, coll. t. III, p. 510.

facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati; quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit, ut intelligibilem ab ipso » (1).

Visio igitur Dei intuitiva est plane supernaturalis, adeoque consequens eam amor beatificus.

Propositionem modo stabilitam expresse docet Concilium Vaticanum Sess. III, cap. 2, ubi ait: *Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem.*

H. Mahieu.

V

Q. *Demonstra argumento a posteriori, ex intima nempe experientia hominis, existentiam legis naturalis.*

R. Experientia constat, unumquemque nostrum, quotidie et in multis, de bono et malo, seu de conformitate vel difformitate morali propriarum actionum judicare, quin externa manifestatione cujusdam positivæ legis ad id cogatur. Factum illud empiricum, quod fundamentum totius nostræ argumentationis subministrat, egregie exponit Cl^mus D. Van den Berghe (2): « Sponte et invincibiliter sentit unusquisque esse quasdam actiones quas ponere, alias vero quas omittere indecorum est ac turpe. Quas actiones si quis posuerit aut respective omiserit, *etiamsi omnino occulte* ita ut a justitia humana nihil timendum habeat, reum sese agnoscit ac conscientiæ stimulis agitatur et vindictam ab invisibili quadam potestate expectat ».

Jamvero analytica consideratione hujus experientiæ psychologicæ, tria possumus consignare quæ optime

(1) Cf. etiam *ibid.* art. 5 et *Summa contra Gentiles,* Lib. III, c. 52-53.
(2) *Tractatus de Legibus,* ed. 2, p. 21, Brugis, 1904.

manifestant existentiam *mandati divini naturaliter a nobis cogniti, nosque dirigentis, obligando, ad convenienter agendum in actionibus propriis* (1).

1°/ Ex supra dictis patet voluntati nostræ agenti prælucere practica de liceitate quarumdam actionum judicia quæ non causantur ab extrinseco; aliis verbis, intellectus noster voluntati proponit veritates quasdam practicas, quas non per testimonium, vel externam manifestationem alius accepit, sed solo suo lumine immediate percepit aut mediate invenit. Illa vero judicia proxime practica constituunt regulam agendi *subjectivam* (conscientiam), quæ necessarie supponit regulam *objectivam* quam applicet.

Primum igitur experientia nostra constat esse præter leges positivas, regulam agendi objectivam solo lumine rationis cognitam. Hæc autem regula statim vera *lex* dici potest, quippe quæ non tantum directionem indicet aut suadeat, sed effectum omni legi essentialem secum ferat, inducendo *obligationem* moralem. Sentimus enim nos de facto per modum naturæ quasi positive *adstringi* ad quasdam actiones omittendas, alias autem exsequendas (2).

2° Si ulterius examinemus illam, quam experimur, moralem necessitatem prosequendi ordinem, quem ipsi nos judicamus rectum et rationalem, vidimus eam esse *stabilem* et *universalem*, quo statim concludimus legem, quæ obligationem hanc inducit, proxime in natura nostra rationali fundatam esse atque igitur jure merito vocari *naturalem*.

Quod stabilis sit et universalis ex eo manifestum est, quod non semel sed semper, quod non tantum apud nos sed penes omnes homines, in iisdem adjunctis positos,

---

(1) Cfr. MEYER, *Institutiones Juris naturalis*, t. I (Herder, 1885) n. 142. V. CATHREIN, S. J., *Moralphilosophie*, 3ª ed. (Herder 1899) t. I, p. 318; A. KOCH, *Lehrbuch der Moraltheologie* (Herder 1907) p. 34; BOUQUILLON, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 60.

(2) Cfr. S. THOM. 1-2, q. 21, a. 1; q. 91, a. 2, ad 2; MEYER, *o. c.*, p. 202.

oriuntur judicia practica, quoad fundamentum saltem identica (1). Jamvero « cum judicium hujusmodi universale sit et constans penes homines, non potest ex contingenti quadam causa (puta ex indole, assuetudine, educatione) explicari ; sed ortum habere debet ex eo quod est in omnibus hominibus identicum et constans et necessarium, quod aliud non est nisi ipsa natura rationalis » (2).

3°/ In præcedentibus jam sufficienter, ex intima experientia nostra, demonstratam habemus existentiam cujusdam legis, in natura nostra fundatæ, naturali lumine rationis cognitæ veramque inducentis obligationem moralem. Sed ulterius hujus legis *divinam originem* juvat considerare, ut vindicemus doctrinam contra sectatores « autonomiæ rationis » et penitus cognoscamus in quo formaliter consistat lex naturalis, quam hucusque in effectu tantum ejus et fundamento consideravimus.

Porro hanc divinam originem, unicuique certo persuadet universalitas objectiva et absolutus valor regulæ objectivæ nobis invincibili modo impositæ, qui absolutus valor explicari nequit, si non dependeat et formaliter derivet a divina ratione disponente de universa creatura.

---

(1) Hanc stabilitatem et universalitatem non minus historia et ethnographia, quam psychologia testantur. Quæstio fuse tractatur apud moralistas, ubi de essentiali discrimine inter bonum et malum morale disserunt. Cfr. *Collat. Brug.*, supra p. 32 sqq. et auctores ibi citatos. Quoad argumentum ex ethnographia depromptum notandum est cum Cl. D. Van den Berghe (*o. c.*, n. 36), fieri posse per accidens ut per inveteratam vitii consuetudinem, ita in aliquo individuo vel etiam integra gente degeneret natura rationalis, ut fere ad naturam brutorum accedat, atque hujusmodi barbari nihil fere hominis præter nativitatem et figuram habeant. Ab hisce sane ediscere nequimus quid valeat ratio humana, pro naturæ conditione convenienter evoluta. Cæteroquin, omnino caute accipienda sunt, quæ quidam AA. de gentibus incultis proferunt. Sub hoc respectu legi meretur A. Camerlynck, *De l'opportunité d'une enquête ethnographique et sociologique sur les peuples incultes.* (Extrait des *Annales de la Soc. belge de Sociologie.*) Bruxelles, 1905.

(2) Van den Berghe, *o. c.*, p. 21.

Cæteroquin ad hanc conclusionem legitime inferendam eadem nostra experientia psychologica sufficiens plane fundamentum subministrat, si ejus modus et naturalis efficacia consideretur. Quomodo enim sese prodit hæc obligandi vis, quam experimur in nobismetipsis? Sese perhibet tanquam *auctoritatem*, cui non nostra voluntate sed vel inviti nos subjectos esse sentimus, eam reverendo suspicimus tanquam *majestatem, a nobis distinctam, superiorem*, universalis ordinis inexorabilem et sanctissimum custodem; læso vero a nobis ordine, illam majestatem læsam et interna voce conscientiæ quasi minitantem *vindicem* invincibili timore veremur. Hic vero timor comitatur omne facinus, non tantum publicum, sed reconditum etiam et ab humano tribunali exemptum; et ita insinuat legiferam potestatem et ordinis læsi vindicem a natura rationali distinctam, insinuat in concreto Ens omnipotens, disponens de omnibus omniaque juxta finem beneplaciti ordinans (1).

Jure igitur merito affirmamus omnes homines, rationis usu præditos, certissimum *legis divinæ naturalis* argumentum, in sua quemque conscientia, circumferre, ita ut, juxta *Catechismum Romanum*, l. 3, c. 1, q. 3, « nemo sit, quin sibi a Deo legem in animo insitam esse sentiat ».

R. De Schepper.

VI

Q. *Quomodo vitiantur extrinsece et intrinsece rescripta?*

R. Hanc agitando quæstionem (2), non loquimur de

---

(1) Meyer, *o. c.*, p. 202, 204.

(2) Feye, *Tract. autogr. de rescriptis*, p. 18 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. comp.*, ed. 7. Introductio, p. XXIII, XXVII s.; Wernz, *Jus Decretalium*. T. I. *Introductio*, nº 153 s., p. 166 s.; Santi-Leitner, *Prælectiones juris canonici*, ed. 3, lib. I Decret., tit. 3 de rescriptis, p. 28 s.; Putzer, *Commentarium in facultates apostolicas*, ed. 5, p. 58 ss., nº 44; p. 101 s., nº 73 s.; De Becker, *De sponsalibus et matrimonio*, ed. 2, p. 356 s.

vitiis rescriptorum *ex parte personarum* (1), seu quæ oriuntur ex defectu potestatis in concedente, habilitatis (2) aut acceptationis in impetrante, sed de vitiis quæ sese habent *ex parte formæ* sive *extrinsecæ* sive *intrinsecæ* rescriptorum, juxta ea quæ supra exposuimus (3).

I. **Vitia extrinseca** rescriptorum veniunt ex defectu externæ formæ vel solemnitatis *substantialis*, quo fit ut rescriptum in forma authentica non exhibeatur, aut seria de falsitate suspicio ingeratur. Forma extrinseca consistit in recto usu solemnitatum, formularum introductionis, conclusionis etc., quæ ex jure aut stylo Curiæ ad externam conceptionem et redactionem rescripti requiruntur. Ex illo capite invalidum erit rescriptum, si omittatur nomen Romani Pontificis, data etc.; si non servetur stylus Curiæ alias consuetus in salutatione, charta, sigillo; si rasura aut correctio reperiatur in loco substantiali et suspecto, nempe in nomine oratoris, in parte dispositiva rescripti, in gradu consanguinitatis; si manifestus error latinitatis aut alia indicia gravem falsitatis præsumptionem pariunt (4).

II. **Vitia intrinseca** sunt defectus commissi in ipsa parte expositiva aut dispositiva rescripti.

A. Ad causas intrinsecas nullitatis rescripti præprimis referenda sunt, ex parte oratorum, vitia *subreptionis* seu suppressionis veri dicendi, et *obreptionis* seu expressionis falsi (5). Notandum juvat quod verum omissum et falsum expressum intrinsece, et non tantummodo ad modum circumstantiæ mere extrinsecæ et

---

(1) Feye, *o. c.*, p. 4, nº 4; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. XXI s.

(2) Puta propter excommunicationem. Tamen excommunicatio occulta non obstat quominus rescripta minora valeant in foro conscientiæ, S. Pœnitent. 9 sept. 1898, ap. *Analecta Ecclesiastica*, 1903, t. XI, p. 421 s.; *Monitore Ecclesiastico*, t. XV, 1903-1904, p. 166 s.

(3) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 762 s.

(4) Wernz, *l. c.*; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. XXIII.

(5) Voces obreptio et subreptio promiscue ab auctoribus sæpe adhibentur, cum eosdem habeant effectus.

materialis, ad negotium pertinere debeant (1). Jam vero ut hujus causæ influxum in nullitatem rescripti dimetiamur, juxta caput *Super literis* (2), h. e. cap. 20, X, I, 3, distinguendum est an narrata falsitas aut occultata veritas sit per malitiam aut dolum seu ex mala fide, an vero per ignorantiam aut simplicitatem seu ex bona fide.

1° Si *ex malitia* ingeratur subreptio aut obreptio in precibus, rescriptum *gratiæ* est ipso jure nullum, sive subreptio substantialiter vitiet rescriptum sive non, sive sit in causa motiva sive in causa impulsiva (3), et quidem totaliter quoad omnes rescripti partes et concessiones (4). Statuit enim Innocentius III in cit. cap. 20 h. t. ut « qui per fraudem aut malitiam... falsitatem exprimunt vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis literis commodum consequantur »; et in cap. 15 h. t. ut « mendax precator penitus impetratis careat ». Rescriptum vero *justitiæ* non esse ipso jure nullum, sed ope exceptionis irritari posse multi tuentur (5). Si pars altera hanc exceptionem non proponat, videtur in concessionem rescripti consentire, jurique suo renunciare.

2° Si *ex ignorantia* aut *simplicitate* partium subreptio

---

(1) ZECH, *Præcognita juris canonici*, ed. 2, § 341, p. 247; *Collat. Brug.*, t. X, p. 566. Cf. *Rev. théol. franç.*, 1903, t. VIII, p. 680 ss.

(2) Hujus capitis textum referunt *Collat. Brug.*, t. X, p. 561, nota; hoc caput specifice de rescriptis justitiæ pertractat, tamen theoria de obreptione vel subreptione in eo proposita applicari potest et ab auctoribus applicatur etiam rescriptis gratiæ, SANTI-LEITNER, *o. c.*, p. 30, n° 12; FEYE, *o. c.*, p. 27, n° 21.

(3) Opinantur plures DD. vitium commissum *dolose* in causa impulsiva tantum non irritare rescriptum; nihilominus, inspecto capite 20 h. t. et praxi Romana, cum iis sentiendum videtur qui docent invalidum hoc in casu esse rescriptum. Cf. FEYE, *o. c.*, n° 27; PUTZER, *o. c.*, p. 59, n° 44. Cf. Resp. S. Pœnitentiariæ, ap. *Rev. théol. franç.*, 1903, t. VIII, p. 678 ss., cum annotationibus redactoris hujus periodici.

(4) Ita plerique auctores; cf. tamen FEYE, *Tract. de legibus*, n° 224, p. 231; *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, ed. 4, p. 742, n° 722.

(5) C. 22 h. t. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 167, n° 153; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, p. XXVIII; SCHERER, *Handbuch des Kirchenrechtes*, t. I, p. 142. Graz, 1886.

aut obreptio commissa fuit, tunc videndum est num subreptio aut obreptio substantialis sit necne, talis sc. ut, ea existente, deesse aut adesse censeatur voluntas superioris rescribentis. Nam valor rescriptorum ultimatim pendet ab intentione legislatoris concedentis, non ab ignorantia aut simplicitate oratorum.

Inde invalidum erit rescriptum si reticita fuerit circumstantia ex jure et stylo Curiæ necessario exprimenda: ut est nomen oratoris, nomen diœcesis in rescriptis jurisdictionem ad causam cognoscendam aut gratiam exsequendam conferentibus, qualitas personæ redundans in substantiam (1). Inde, si vitium sit in causa motiva et principali, corruit totum rescriptum ob quam obtentum fuit (2); si vero in causa impulsiva tantum et secundaria, rescriptum sustinetur saltem pro partibus non vitiatis (3); si plures allegatæ sunt causæ finales, quarum una vera est et sufficiens valet rescriptum (4). Pendet vero a circumstantiis, a genere gratiarum, præsertim a stylo et praxi Curiali, an tale factum aut dictum causa sit finalis aut impulsiva (5).

---

(1) Feye, *tract. de rescriptis*, p. 23 ss., nº 31 ss.; Putzer, *o. c.*, p. 102, nº 74. Pro re matrimoniali cf. Resp. S. Pœnitentiariæ, 6 febr. 1895, *Nouv. rev. théol.*, 1895, t. XXVII, p. 266 s., et tractatus de dispensationibus matrimonialibus: De Becker, *o. c.*, p. 338 ss.; Wernz, *o. c.* T. IV, *Jus Matrimoniale*, p. 922, nº 636; *Collat. Brug.*, t. X, p. 561 ss. etc. Cf. etiam *Indices Generales tom. I-X Collat. Brug.*, vº Dispensatio matrimonialis.

(2) Causa Ord. Min. Reformat. 15 martii 1892 ap. *Acta S. Sis*, t. XXVI, p. 320. Si unica est causa finalis omni valore destituitur rescriptum, etiam in capitibus secundariis, De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. XXVIII. Optimi Auctores tenent quod, si *bona fide* allegata fuerit falsa causa motiva, valeat tamen matrimonium contractum cum tali dispensatione, quando nonnisi post celebratas nuptias error innotuit. Est nimirum privilegium bonæ fidei, cujus tamen fundamentum juridicum non adeo perspicuum est. Cf. circa hanc quæstionem *Collat. Brug.*, t. X, p. 564.

(3) Dummodo tamen partes illæ a parte vitiata separari queunt.

(4) Resp. S. Pœnitentiariæ, 28 apr. 1897 ap. *Collat. Brug.*, t. III, p. 56 s., coll. t. X, p. 563; Putzer, *o. c.*, p. 59.

(5) Quæ in libello supplici exprimenda sunt, et præcipuas causas motivas pro dispensatione matrimoniali enumerat Instructio S. C. de P. F., 9 maii 1877.

Attamen, nisi clare constet causam esse motivam, præsumitur causa tantum impulsiva, nam standum est semper pro valore actus legislatoris quoties contrarium non probetur (1).

Notandum est quod relate ad rescripta *justitiæ*, in casu obreptionis vel subreptionis non substantialis, constitutio judicis tantum valeat; sed idem procedat in forma communi judicii, non autem sequendo speciales judicii regulas in litteris appositas (2).

B. Contingit quod vitium intrinsecum substantiale occurrat in rescripto, nullo præcedente errore in supplica, ex mera inadvertentia amanuensis curialis. Hoc in casu, juxta sententiam communiorem et ratione styli Curiæ tutiorem vitiatur rescriptum (3). Contrariam tamen tuentur sententiam plures Auctores (4).

C. Ex specialibus juris capitibus et propter varias causas et omissiones intrinsecas, invalida sunt rescripta, tum generatim, tum speciatim rescripta justitiæ et gratiæ; præprimis autem, si data sunt contra jus et privilegium tertii, nisi horum expressa fiat mentio; si clausulam habeant prohibentem cognitionem causæ et veritatis precum, etc. (5).

A. De Meester.

---

(1) Consulenda tamen est petitio dispensationis saltem ad cautelam, maxime si de lege irritante agatur. Cf. Santi-Leitner, *o. c.*, p. 30., nº 11; Putzer, *o. c.*, p. 60; Feye, *De legibus*, nº 217, p. 226, *De impedim. et dispens. matrim.*, nº 722, p. 742. Causa diœcesis Brugen. citatur ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 565.

(2) C. 20 h. t.; Santi-Leitner, *o. c.*, p. 20. nº 12.

(3) Causa dioces. Brug. ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 67 s.; Feye, *De impedim. et dispens. matrimonial.*, p. 744 s., nº 725.

(4) Putzer, *o. c.*, p. 102, nº 74, nota.

(5) Feye, *De rescriptis*, p. 19, nº 25; Wernz, *o. c.*, t. I, p. 168, nº 154; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 764.

COMMENTARIUS

IN DECRETUM DE

Sponsalibus et Matrimonio.

(*Sequitur*. — Cfr. suprà p. 51 ss.).

2° **Formalitates ad liceitatem observandæ,**

a/ *pro assistentia* **parochi** *seu* **Ordinarii:**

1/ Requiritur ut ipsi legitimè constiterit de libero statu contrahentium;

2/ Oportet ut constiterit de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis, et quidem sponsæ, in loco matrimonii, vel ut, si utraque hypothesis deficiat, obtenta fuerit, salvo gravis necessitatis casu, licentia parochi seu Ordinarii proprii.

3/ Si agitur de vagis, oportet, extra casum necessitatis, ut parochus prævie specialem impetraverit licentiam ab Ordinario vel a sacerdote ab ipso delegato.

Primum requisitum in memoriam revocat statutum juris, quo universim prohibetur ad matrimonii celebrationem procedere, antequam prævie certitudo habeatur de *statu libero,* seu de absentia cujusvis impedimenti præsertim dirimentis, maximè ligaminis. De necessitate ac opportunitate circa hoc inquirendi, necnon de processu servando, fusius agitur apud *Collat. Brug.*, t. III, p. 236 ss.

Secundum requisitum potest *dupliciter* intelligi. Nimirum vel dicendum est per hoc statutum, sub V, § 2°, decerni quod per menstruam commorationem inducitur in ordine ad matrimonium, quasi-domicilium, præsumptione juris et de jure, ad analogiam disciplinæ valentis in Statibus Fœderatis Americæ: tunc parochus menstruæ commorationis hic foret parochus proprius, et ab eo foret, juxta V, § 3°, licentia petenda in casu quo

parochus vult assistere matrimonio sponsorum apud se neque domicilium habentium neque menstruam commorationem; etiam vagi non erunt, in illa hypothesi, qui alicubi per mensem transeunter commorantur, licet aliunde omni stabili sede careant.

Vel dicendum est sub novi Decreti œconomia retineri canonicam disciplinam quasi-domicilii, quatenus constituatur quasi-domicilium, ad tramites Instructionis C. S. O., 7 Junii 1867 (1), per factum habitationis cum animo manendi per majorem anni partem, adeoque eum solum censeri parochum proprium, in cujus parochia habitat nupturiens cum intentione perpetuò vel saltem per sex menses manendi; ulterius autem, ad vitandam difficultatem inquirendi circa existentiam quasi-domicilii, statui non modò parochum proprium, sed etiam parochum non proprium posse, absque proprii parochi venia, licitè assistere matrimonio non subditi, statim ac constat de menstrua ejusdem commoratione infra limites territorii sui respectivi.

Jamvero, licet solutio nullatenus appareat certa et quamvis non parum moveamur auctoritate, Boudinhon (2) Leitner (3) et signanter Cardinalis Gennari (4), in alium sensum opinantium, favendum tamen videtur huic alteri interpretationi, (5) quia ægrè possumus admittere talem ac tantam juris moderationem induci, quin id clarè dicatur.

Et sane *ex una parte* ex modò dictis eruitur non tantum penitus mutari notionem quasi-domicilii in ordine ad matrimonium, sed etiam notionem vagi, ac signanter notionem parochi proprii, ex quo etiam attin-

---

(1) *Collectan.* S. C. de P. F., n. 1407, coll. n. 1409.

(2) o. c., n. 69.

(3) *Die Verlobungs und Eheschliessungsform* nach dem Dekrete ne Temere. 2 aufl., Regensburg, 1908.

(4) o. c. p. 26, coll. p. 49 s. Accedit *Pastor Bonus,* t. XX, p. 335 ss.

(5) Huic interpretationi consentit cl. SCHAEPMAN, apud *Ned. Kath. Stemmen,* l. c., p. 335 ss.

geretur disciplina proclamationum antenuptialium; *ex alia* autem *parte* desideratur formalis hujusmodi mutationis declaratio: non datur declaratio expressa, uti liquet, cum ne vox quidem quasi-domicilii occurrat; nec etiam sufficienter implicita continetur declaratio in hoc quod hæc menstrua commoratio, siquidem, præter eam, de solo domicilio et non de quasi-domicilio mentio fit, quasi-domicilio censeatur substitui: hæc nimirum omissio quasi-domicilii explicatur vel quia quasi-domicilium, utpote domicilium late dictum, continetur in mentione domicilii; vel quia, data menstruæ commorationis sufficientia, parocho vix cura erit habenda de quasi-domicilio, ita ut non esset speciali mentione memorandum (1).

Favet etiam hoc quod, dum in canonum schemate S. Congregationi proposito, quod in schematum serie ultimum referunt *acta* S. Sedis, 1907, p. 572 ss., statuitur, ad licitam assistentiam matrimonio requiri ut « alteruter ex contrahentibus *subditus sibi sit ratione domicilii, aut saltem commorationis per mensem in loco protractæ* », in definitivo decreto simpliciter decernitur requiri ut constiterit « de domicilio vel saltem de menstrua commoratione », omissa hac determinatione quod, per mensilem commorationem, nupturientes constituuntur subditi ac proprium consequuntur parochum.

Quæ interpretatio si admittitur, huc redit *requisitum secundum*, simul complectens § 2°/ et 3°/ articuli V^i^: parochus vel Ordinarius proprius potest licitè assistere matrimonio sponsorum, quorum alteruter vel est subditus, ratione domicilii aut quasi-domicilii quod habet in parochia parochi aut in parochia diœceseos Ordina-

(1) Potest quidem contingere ut, extra menstruam commorationem, attendendum sit quasi-domicilium, penes aliquem scilicet habitantem in parochia cum animo manendi per sex menses et nuptias inire cupientem ante finem prioris mensis: ast defectui commorationis menstruæ enimenter suppletur per illum animum, ratione cujus magis adhæret paræciæ quam mere commorando per mensem.

rii, vel non est subditus quidem, sed a mense (30 diebus) in parœcia, aut in diœcesi (1) moratur. Quodsi neutrum verificatur, postulanda est licentia parochi seu Ordinarii proprii, parochi scilicet seu Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii, non solius commorationis menstruæ.

Restrictio autem apponitur *duplex:* quatenus *primò* non sit indifferens utrum proprius parochus *sponsæ* assistat aut proprius parochus *sponsi,* sed hujus parocho præferendus est parochus sponsæ: non quidem strictè prohibetur assistentia parochi sponsi præ parocho sponsæ, sed potius uti regula generalis sequenda inculcatur, quod matrimonium coram parocho sponsæ celebretur, quodque ab ipso, data opportunitate, licentia petatur.

Eousque jus commune: quod non præjudicat statutis particularibus, in quibus potest hæc regula injungi ac imponi, quemadmodum servanda præcipitur in diœcesi Brugensi (2).

Secundò, quatenus ab impetranda licentia parochi vel Ordinarii proprii, ubi, juxta enuntiatas normas, ad liceitatem est postulanda, excusat *gravis necessitas,* putà si instat periculum mortis, vel urgens causa datur non differendi matrimonium donec licentia obtineatur, quia v. gr. error in domicilio detegitur instantibus nuptiis, vel gravis adest ratio occultandi etiam coram parocho proprio matrimonii celebrationem. Minor autem ratio sufficit ut pro matrimonii celebratione vel licentiæ procuratione ad parochum sponsi recurratur potius quam ad parochum sponsæ; ac levior requiritur

---

(1) Hujusmodi menstrua commoratio, sufficiens ut Ordinarius non proprius posset ad matrimonii celebrationem licitè procedere, non videtur attendenda in determinata diœceseos parochia, uti, juxta dicta, est attendenda respectu domicilii vel quasi-domicilii, sed videtur sufficere habitatio in diœcesi, etiamsi non continua fuerit in eadem parochia.

(2) *Stat. diœces.*, ed. 2ª. P. II, tit. II, art. 4º, § 4: « Decentia et praxis communis exigunt ut matrimonium contrahatur coram parocho *sponsæ:* huic praxi in posterum *omnes sese conformabunt* ». Cf. *Collat. Brug.* t. V, p. 309.

ut a regula juris communis in hac re deflectatur quam ut strictum præceptum particulare non servetur.

Quotiescumque parochus non proprius, vel etiam non parochus sponsæ, proportianata de causa, matrimonio adstiterit absque prævia licentia debita, convenit ut parochus, coram quo de jure matrimonium fuisset celebrandum, quamprimùm moneatur.

Tertium requisitum renovat statutum Concilii Tridentini (1), præcipiens parochis ne *vagorum* matrimoniis intersint « nisi prius..., re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint ». In nostro autem textu excipitur casus necessitatis, quo nempe gravis ratio urget illicò ad matrimonium procedendi, quin tempus sit ad Ordinarium recurrendi. Appositè hic notat *Boudinhon*, o. c., n. 73 : « Le cas échéant, il sera bon que le curé informe du mariage ainsi célébré l'autorité ecclésiastique ; et c'est là un point que pourront déterminer les règlements diocésains ».

Porro *vagi* hic non intelliguntur illi qui momentanée tantùm tales sunt ob derelictum hucusque habitum domicilium aut quasi-domicilium, aliud brevi contracturi ; sed dicuntur illi qui vagabundam ducunt vitam, incertas habentes sedes, nec ullibi sat diu consistentes ut vel quasi-domicilium habere possint ; nec sufficit, juxta superius dicta, ad hoc ut cessent esse vagi, quod alicubi per mensem commorentur.

Nota. In civitatibus vel locis ubi plures parochiæ sedem suam habent, opportunus posset esse locus statuto, de quo suprà, p. 66, nota (4), ea lege ut licentia ibidem ab Episcopo hujusmodi loci parochis concessa, assistendi, certos intra limites, matrimoniis non subditorum, extendatur ad casus in quibus, sub recenti disciplina, dicta venia ad liceitatem postulatur.

b/ *pro assistentia* **sacerdotis delegati.**

Præter delegationem ad valorem assistentiæ requisi-

---

(1) Sess. XXIV, *De Reformatione matrimonii*, cap. VII.

tam, quæ supponitur accepta, ad normam dictorum, e manibus parochi loci in quo matrimonium est contrahendum, ulterius requiritur :

1/ ut ipsi delegato vel parocho seu Ordinario delegantì constiterit de statu libero ;

2/ ut vel constiterit alterutrum nupturientem, vel potius sponsam, esse subditam delegantis, aut in ejusdem territorio a mense commorantem ; vel ut delegatus, sive immediatè sive per medium delegantis, licentiam obtinuerit, excepto necessitatis casu, a parocho seu Ordinario sponsæ ;

3/ ut pro vagis cautum sit præscriptioni modò memoratæ.

*
* *

B/ Exceptiones.

1°/ Matrimonia in extremis possunt contrahi *validè et licitè* coram *quocumque* sacerdote, etiam suspenso et excommunicato, et duobus testibus, modò

a/ parochus vel Ordinarius loci in quo matrimonium contrahendum, aut sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat; putà si, judicio medici, vel, hujus defectu, si ex obviis indiciis meritò timetur ne moriatur alterutra pars antequam parochus loci possit accersiri vel ejus delegatio impetrari ;

b/ urgeat necessitas vel consulendi conscientiæ moribundi, putà concubinarii, quem cum Deo reconciliandi unicum remedium est in matrimonio ; vel legitimandi prolem ex illicito commercio natam, ad quam porro legitimationem sufficit, si proles non sit spuria, subsequens matrimonium inter parentes (1).

---

(1). Opportunum esset si sacerdos, quotiescumque, favore hujus dispositionis, absque parochi licentia, potest assistere matrimonio in extremis, haberet etiam facultatem dispensandi super impededimentis matrimonii, si quæ sint, ad tramites decreti 20 Febr. 1888; ad hoc satis esset quod amplam illam facultatem habitualiter communicare possent Ordinarii non tantùm parochis, uti nunc, sed omnibus suis sacerdotibus, in dicto urgenti casu constitutis.

2°/ « *Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense jam perseveret, matrimonium* validè et licitè *iniri potest emisso a sponsis formali consensu* coram duobus testibus ».

Explicatio.

Hodiedum sat concors est Auctorum doctrina formam Tridentinam *ex epikeia* non esse observandam *in casu impossibilitatis communis,* adeoque valere matrimonium coram duobus tantum testibus celebratum, quotiescumque communiter impossibile esset parochum ejusve delegatum adire. In hunc sensum plurima decreta prodierunt, quorum tenor exhibetur apud *Collectan.* S. C. de P. F., nn. 1386-1388, 1394-1396, 1400-1403, et ll. cc. apud WERNZ, o. c., n. 173, not. 165, et GASPARRI, o. c., n. 965 s.

Porro hæc doctrina authentice et generali statuto confirmatur in relato textu præsentis legis, eaque in pluribus accuratius determinatur. Quibus attentis,

a/ Lex non cessat *ex integrò*, sed in quantum adest impossibilitas eam observandi in casu, quoad assistentiam scilicet parochi seu Ordinarii loci vel sacerdotis delegati: consensus nempe est emittendus coram duobus testibus.

b/ Requiritur impossibilitas *communis* cum dicatur: « si contingat *in aliqua regione* »; non sufficit igitur, quemadmodum quidam hucusque contendebant, impossibilitas *particularis,* puta pro moribundo.

Sufficit autem impossibilitas *moralis*, quatenus nimirum parochus aut sacerdos delegatus nonnisi admodùm difficulter, ratione distantiæ, uti in missionibus, vel non tutò, putà tempore persecutionis, adiri queat, uti expressè docetur in decretis invocatis.

Non videtur etiam requiri ut impossibilitas sese extendat ad quemcumque sacerdotem, sicuti vult HARING, o. c., p. 17 et 23, sed sufficere videtur

impossibilitas adeundi parochum seu Ordinarium loci in quo matrimonium est ineundum, vel eorum delegatum, qui scilicet soli matrimonio assistere de se validè possunt: cæteroquin vix continget in casu alium sacerdotem posse inveniri, quin a parocho vel Ordinario obtinuerit licentiam.

c) Oportet ut impossibilitas illa *non sit momentanea* dumtaxat ac mère transitoria, sed diuturna requiritur; nec sufficit ut diuturna fore prævideatur (1), sed *ut a mense perseveranter adfuerit.*

d) Testes non sunt rogandi neque invitandi, nec exquirere debent consensum, cum hæc spectent solam assistentiam parochi ejusve delegati: debent tamen formaliter adhiberi, juxta latius exposita apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 471 s., seu oportet ut contrahentes formalem coram testibus emittant consensum.

Quod *modum* attinet procedendi in consensu præstando coram testibus, absente parocho ejusve delegato, utiliter attenditur monitum S. C. de P. F., in Epistola 23 Junii 1830: « Tali casu parentes duos testes eligant, qui una cum sponso et sponsa, eorumque propinquis ad ecclesiam se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, charitatis, contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum matrimonium recte se disponant. Post hæc surgentes sponsus et sponsa, coram prædictis testibus per verba de præsenti mutuum exprimant consensum, et post actas gratias Deo domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus prædicta observentur ». GASPARRI, o. c., n. 970.

*
* *

(1) Juxta responsum C. S. O. ad Episcopum Vallispranensem diei 1 Julii 1863, satis erat ut parochus *prævideretur* « spatium saltem unius mensis a loco abfuturus ». GASPARRI, *o. c.*, n. 967.

II. Cautelæ post matrimonii celebrationem observandæ, ac sanctiones.

A/ Cautelæ.

1°/ *Officium est parochi* in cujus parochia matrimonium est celebratum, ut *statim*, sive per se sive per alium a se ad hoc commissum (1), « describat in libro matrimoniorum nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, juxta modum in libris rituabus vel a proprio Ordinario præscriptum (2); idque licet alius sacerdos a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit ».

2°/ Alterum officium ejusdem parochi est ut « in libro quoque baptizatorum (in margine) adnotet, conjugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse ».

« Quodsi conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum Baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem (signanter si agitur de parochia ignota alterius diœceseos), transmittat, ut matrimonium in Baptismi librum referatur ».

Circa quam dispositionem nota :

a/ spectat utrumque conjugem ; et ita si uterque conjux alibi est baptizatus, et quidem diversis in paræciis, ad utriusque conjugis parochum transmittenda est matrimonii notitia.

b/ Eo tendit dicta dispositio ut acceleretur inquisitio de statu libero, utque efficacius occurratur periculo bigamiæ, quatenus, inspecto registro baptismali vel extracto baptismali ab extraneis nupturientibus exhibendo, illicò appareat utrùm et quandonam matrimonio

---

(1) Non convenit nec juvat illud munus committere laico; quicumque autem committatur, parochi conscientia oneratur.

(2) Liberum est igitur adhibere formulam Rit. Romani, vel formulam in diœcesi usurpari solitam; melius est tamen ut eadem ab omnibus adhibenda formula præscribatur.

sint juncti (1). Ad hoc autem oportet ut extractum baptismale exigatur *recenter* transcriptum.

c/ Opportunum esset ab Ordinario tempus determinari infra quod illa transmissio notitiæ matrimonii sit facienda, addita monitione ut in notitia matrimonii dies Baptismatis indicetur, eum in finem ut parochus Baptismi facilius reperiat locum, ad quem in margine adnotatio sit inserenda.

Hac etiam occasione in memoriam revocamus, statutum diœcesanum Brugense, de quo *Collat. Brug.*, t. VI, p. 122, circa inserendam legitimationem prolis illegitimè natæ.

3°/ Quotiescumque, ad tramites art. VII[i], matrimonium est celebratum in extremis, coram sacerdote non parocho loci, nec ulla parochi seu Ordinarii delegatione munito, gravi obligatione tenetur dictus sacerdos, simul cum contrahentibus, curare ut initum conjugium *quamprimum* notetur, tum in libro conjugatorum loci in quo nuptiis adstitit, tum in libro baptismali in loco vel in locis in quibus utraque pars est baptizata: cui obligationi obnoxii sunt in solidum sacerdos et sponsi, ita ut unus, defectu alterius, ad totum adstringatur.

Pariter si contigerit, favore dispositionis art. 8° consignatæ, nuptias iniri, absque parochi vel sacerdotis delegati præsentia, coram duobus dumtaxat testibus, tenentur hi testes, rursus in solidum cum contrahentibus, sub gravi reatu, ut eadem duplex insertio præfata rite peragatur.

B/ Sanctiones.

Parochi, quos sume in sensu suprà descripto, si statuta in præcedentibus exposita violaverint, pro modo et gravitate culpæ puniantur ab Ordinario: gravius

---

(1) Conferet etiam hæc adnotatio ut facilius detegatur impedimentum affinitatis legitimæ: ad hoc autem requiritur ut, in matrimonii mentione, adnotetur nomen compartis; quæ additio utiliter fiet, licet in tenore legis non præscribatur.

scilicet si conditio validitatis fuerit neglecta, quam si omissa meræ liceitatis conditio.

Insuper si alicujus matrimonio adstiterint contra præscriptum § 2i et 3i num. V, si nempe, absque licentia parochi proprii, matrimonio adstiterint non subditi, nec a mense in parochia commorantis, proprio contrahentium parocho debent remittere emolumenta stolæ, quæ occasione nuptiarum forte perceperunt (1), illa nimirum emolumenta quæ competunt parocho qua tali ex jure stolæ, exceptis illis quæ ipsi competunt, ratione stipendii, pro missæ celebratione.

Sub jure Tridentino præcipiebatur 1°/ « parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes qui sine parocho vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri »;

2°/ ut « si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemoriali consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tanquam suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur ».

Hæc porro disciplina per præsens Decretum videtur abrogata (2), et sanè, cum ab ipso Decreti primordio moneamur novum ac completum caput legis induci, « quo sponsalium et matrimonii disciplina regeretur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata

---

(1) Hanc emolumentorum restitutionem faciendam censet Boudinhon, o. c., n. 95, etiam si licentia proprii parochi non fuit petita ratione urgentis necessitatis. Uti enim arguit laudatus Auctor, « le décret ne présente pas tant cette restitution comme une sanction pénale que comme une règle de justice et de bonne administration ».

Notetur etiam hanc dispositionem non afficere casum quo parochus sponsi matrimonio adstitit loco parochi sponsæ.

(2) Ita Gennari, o. c., p. 53 s.; contrà Boudinhon, o. c., n. 92; Haring, o. c., p. 24, nota (4) anceps hæret.

fieret », ad quam disciplinam pertinet legis clandestinitatis sanctio, solæ censentur attendendæ dispositiones pœnales in eodem Decreto occurrentes.

Cæteroquin nostro tempore vix locus est Tridentinæ sanctioni priori, cum sub hoc respectu non soleat lex violari, saltem voluntariè. Altera vero sanctio meritò mitigatur, consequenter ad suprà descriptam moderationem legis clandestinitatis, vi cujus parochi proprii assistentia jam non requiritur ad valorem: opportunè nimirum relinquitur parochus arbitrio Ordinarii puniendus, pro gravitate culpæ admissæ; in quantum autem jura violaverit parochi proprii, appositè injungitur damni illati reparatio.

(Sequetur).

A. De Smet.

De Modernismo

Modernismi condemnatione nullam forte majoris momenti fuisse unquam latam a S. Sede persuasum habebit qui considerat et amplitudinem doctrinæ reprobatæ, et intimam ac radicalem ejus oppositionem cum integro catholicæ fidei deposito, necnon numerum illorum qui illud systema propugnaverunt, et tandem animorum commotionem, tum apud catholicos, tum apud acatholicos, productam documentis nuperrime Romæ editis.

Et sane ad talem eventum nemo indifferens esse potest illorum quos tangit vel humanæ cognitionis, vel christianæ vitæ historia; præterea valde difficilis intellectu est complexus errorum reprobatorum: ideo lectorum desiderio satisfacere conabimur exponendo ea quibus facilius sibi acquirere possint rectam notionem de damnato modernismo, ne cum systemate a Romano Pontifice rejecto confundant id quod, primo forsitan aspectu, in illo contineri videretur, ab illo tamen est alienum.

Inde quædam in primis prænotabimus circa documenta ipsa, deinde summa principia exponemus e quibus originem habet doctrina modernismi et pendet ejusdem cognitio.

PRÆNOTANDA.

1. Jam die 17ª Aprilis 1907, in allocutione quam ad modo creatos Cardinales habebat, Pius X vehementi se affici dolore dicebat propter acerrimum bellum quod ex mentium errore et rebellionis spiritu ducebatur adversus Ecclesiam per diffusionem sententiarum omnino falsarum de evolutione dogmatum, de reditu ad Evangelium, de emancipatione Ecclesiæ, de necessaria accommodatione ad præsentis temporis indigentias. Quem errorum complexum jam tunc Summus Pontifex vocabat com-

pendium ac venenum omnium hæreseum (1). Erat hoc quasi præludium secuturæ condemnationis, quæ continetur quatuor documentis, scilicet a decreto « Lamentabili » dato die 3ª Julii 1907, in quo proscribuntur 65 propositiones, quibus *præcipui notantur errores, qui quotidie inter fideles sparguntur;* b/ instructione S. R. et U. Inquisitionis, data die 28 Augusti 1907 qua *Decreto supra laudato monita quædam adjunguntur, quibus plenius et efficacius attingatur finis quem S. Sedes in reprobandis erroribus sibi proposuerat consequendum*: hæc instructio, uti patet, *disciplinaris est*; c/ Encyclica « Pascendi », data die 8 Septembris 1907, in qua *Modernistarum doctrinæ uno conspectu exhibentur, nexusque indicatur quo invicem coalescunt, deinde errorum causæ detegunturac remedia ad averruncundam perniciem præscribuntur;* d/ Motu proprio, dato die 18ª Novembris 1907 in quo Pius X præcipit ut *omnes se subjiciant sententiis Commissionis Pontificiæ de re biblica perinde ac decretis SS. Congregationum ad doctrinam pertinentibus, et deinde confirmat decretum « Lamentabili » et encyclicam « Pascendi » necnon adversus contradictores statuit excommunicationem* (2).

Hîc agemus de decreto « Lamentabili » et præsertim de Encyclica « Pascendi » quæ omnino ad *doctrinam* pertinent. Jam hîc aliqua differentia notari potest: *decretum* reprobat, h. e. ut falsas rejicit, 65 propositiones, prouti jacent, et independenter a genere argumentorum quibus propugnarentur: inde non licet illas tenere ullo modo, sive propter argumenta a Modernistarum systemate mutuata, sive propter argumenta alterius generis (3). *Encyclica* vero integrum Modernistarum

(1) V. integram allocutionis versionem in opusculo *Condamnation du modernisme,* Tournai, Casterman, 1907, p. [118]; vel textum in *Civiltà cattolica,* 1907, vol. 2, p. 358.

(2) Illa quatuor documenta habentur in *Collat. Brug.,* t. XII, p. 521, 622, 597, 661, t. XIII, p. 5.

(3) Licet pleræque propositiones damnatæ desumantur, vel ad verbum,

systema exponit ac damnat consequenter multas, quæ et quatenus ex illò derivantur, conclusiones.

2. De obligatione, quæ ex illis actibus ecclesiasticæ auctoritatis dimanat, sufficiat hic notari ad decretum « Lamentabili » assensum intellectus requiri *religiosum* internum ac certum, uti suprà, p. 78 s., demonstravimus. Idem dicendum et *a fortiori* de Encyclica: in hac non habetur proprie dicta *locutio ex cathedra*, seu *definitio alicujus doctrinæ* de fide vel moribus *ab universa Ecclesia tenendæ* (1). Attamen in prælaudata Encyclica utitur Pius X potestate docendi quam ut *Summus Pontifex* gerit et *pascendi dominici gregis mandatum ipsi divinitus officium exercet in fidei deposito vigilantissime custodiendo* (2): ideo subditis incumbit obligatio sese subjiciendi et quum intendatur a Romano Pontifice *doctrina* tuenda, ita in subditis requiritur adhæsio mentis ad propositum objectum *cognitionis*.

Quum autem præcipue agatur *errorum* notatio ac reprobatio, ideo tamquam falsa habere debemus ea quæ damnantur. Sed falsitas alicujus propositionis importat veritatem propositionis ipsi *contradictoriæ:* inde tamquam veras admittere debemus omnes propositiones *contradictorias* propositionibus damnatis in decreto « Lamentabili » (3).

---

vel quoad sensum, ex operibus a *Loisy* conscriptis, tamen ex se solis et independenter a contextu, in quo inveniuntur, constituunt falsum assertum. Cf. HEINER, *Der neue Syllabus Pius X*, Mainz. 1907, p. 20. Cognitio tamen contextus utilis esse potest ad pleniorem propositionis intellectionem. — Porro damnatæ propositiones reducuntur ad sequentia capita: 1/ de Ecclesiæ potestate docendi: prop. 1-8; 2/ de S. Scripturæ inspiratione et historico valore: prop. 9-19; 3/ de revelatione et de fide: prop. 20-26; 4/ de christologia: prop. 27-38; 5/ de Sacramentorum origine ac natura: prop. 39-51; 6/ de Ecclesiæ institutione ac interna constitutione: prop. 52-57; 7/ de immutabilitate veritatis; prop. 58; 8/ de immutabilitate doctrinæ Christi: prop. 59-65.

(1) Cf. Concilii Vaticani Constitutionem de Ecclesia Christi, c. 4. Apud DENZINGER, *Enchiridion*, n. 1682.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 597.

(3) Quandoque non erit absque difficultate accurata determinatio

3. De *nomine* **Modernismus.** Illud vocabulum, *ex sua propria significatione,* non aliquam determinatam doctrinam significat, et sub hoc respectu differt ab aliis vocabulis quæ communiter ad designandas doctrinas adhibentur: v. gr. *monotheismus* est doctrina asserens *unum* esse Deum, *polytheismus,* doctrina asserens *multos* esse Deos, etc. *Modernismus* vero *ex se solo* non designat doctrinam nisi per temporis partem in qua existit; *modernum* dicitur id quod est tempore plus vel minus proximum illis qui hic et nunc vivunt; nec certo veritas aut falsitas inest sententiæ ex hoc quod sit moderna; nec etiam damnatur tendentia, recte intellecta et moderata, qua aliquis, uti dicitur, *vult esse sui temporis,* nempe cognoscere homines et res contemporaneas, verosque progressus admirari, hominum sui temporis specialibus necessitatibus subvenire ac legitimis satis-

---

contradictoriæ propositionis. Attamen propositionis 58ᵃᵃ, quæ sic effertur: « Veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe quæ cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur », contradictoria non est: « *aliqua* veritas est immutabilis plus quam homo, nam *omnis* veritas *non evolvitur* cum ipso, in ipso et per ipsum » uti tradit P. Chossat in opusculo: *Le décret du Saint-Office,* Paris (édition de « L'Univers ») 1907, p. 120. Etenim in propositione 58ᵃ, vocabulum *veritas* sumitur in abstracto et designat *ipsam veritatem,* seu veritatem essentialiter et absolute consideratam: *la* vérité: hic est sensus obvius. Hoc præterea confirmatur ex contextu ex quo assumpta est illa assertio, nempe ex opere Loisy, *Autour d'un petit livre:* « Si l'on suppose que *la vérité,* en tant qu'accessible â l'intelligence humaine, est quelque chose d'absolu, que la révélation a eu ce caractère et que le dogme y participe (p. 190). Mais il me semble évident... que *la vérité* est en nous quelque chose de nécessairement conditionné, relatif, toujours perfectible, et susceptible de diminution (p. 191)... *La vérité* n'entre pas toute faite dans notre cerveau (ibid.)... *La vérité* n'est jamais toute en notre esprit, et il y a toujours un au delà ouvert à nos investigations (p. 192)... *Mais la vérité,* en tant que bien de l'homme, *n'est pas plus immuable que l'homme lui-même. Elle évolue avec lui, en lui, par lui;* et cela ne l'empêche pas d'être *la vérité* pour lui; elle ne l'est même qu'à cette condition » (ibid). Hîc non dijudicamus sententiam a *Loisy* expositam, sed dicimus in his omnibus assertis agi de veritate, *abstracte* et *absolute,* considerata, non de veritate, *in concreto* sumpta, pro judicio vero: ideo damnatæ propositioni contradictoria est hæc: Veritas (la vérité) est immutabilis plus quam homo quippe quæ non evolvitur cum ipso, in ipso et per ipsum.

facere desideriis, etc. De *nomine* in Encyclica nihil aliud dicitur quam : « Quia vero modernistarum (sic enim jure in vulgus audiunt)... » (1). Factum igitur denominationis agnoscit Summus Pontifex et dicit *jure* attribui nomen : ratio porro cur *jure* hoc fiat videtur esse hæc : quia illi doctrinam profitentur qua *renovanda* est Ecclesia, et quidem ita renovanda ut possit conciliari cum ideis philosophicis, cum aspirationibus animæ *modernæ*, uti loquuntur ; perpetuo nempe laudibus efferunt spiritum *modernum*, despecta catholica traditione et præsertim philosophia ac theologia scholastica (2).

4. Legenti Encyclicam occurrere posset aliqua **dubitatio**, utrum nempe de facto a modernistis propugnetur systema doctrinale quod ibi exponitur, eo vel magis quod hucusque non nisi *sparsas* ac *veluti ab invicem sejunctas* proposuissent suas doctrinas. Circa quod primo considerandum est Romanorum Pontificum encyclicas solere, quemadmodum ex historia constat, confici tanta cura, prudentia ac scientia ut nequeat hic prudens esse dubium de errore in exponendo systemate Modernistarum, eo vel magis quod agebatur res summi momenti ; ideo quilibet rationabiliter *credet* illud systema revera a Modernistis doceri. Si vero facti *demonstratio* inquiratur, hæc deducenda est ex ipsis Modernistarum scriptis, nec difficile est ibi invenire opiniones ac sententias quæ exponuntur in Encyclica : huic tamen documento proprium est ut illas in tota sua comprehensione et præsertim in logico suo nexu ex-

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. c., p. 599.

(2) Scopus et quasi compendium totius modernismi exprimi videtur in propositione ultima damnata decreto « Lamentabili » : « Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit nisi transformetur in quemdam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem ». — De radicali oppositione inter *modernismi* ac *christianismi* spiritum bene egit Illmus Baudrillart in allocutione habita occasione inaugurationis anni scholaris in catholica Universatite Parisiensi : Cfr. *Revue pratique d'apologétique*, t. V, 1907, p. 225.

plicet ac coordinet: quo in opere admiranda sane est perspicacitas, vigor et amplitudo cognitionis quacum effecta est Encyclica (1). Non ideo tamen censendum est ab omnibus et singulis qui alicui errori damnato adhæserunt, totum perspectum fuisse et admissum systema quorum error logice cohæret; nec negandum est dari varios quasi gradus in modernismo (quatenus alii ulterius quam alii principiorum conclusiones deduxerunt), et dari etiam diversitatem opinionum circa quædam (2). Operæ tamen pretium est notare quam falso asseratur ab illis, qui *responsionem* (3) composuerunt adversus Encyclicam, se tantum textuum studio et critices legibus adductos fuisse ad suas tuendas opiniones, non vero philosophicis principiis (4). Et sane impossibile est ut quis judicet de documentorum textu, fontibus, interpretatione, de testium valore, de factorum realitate, significatione ac connexione cum aliis factis, quin præluceant vel implicite supponantur quædam principia philosophica, quæ præcipue ad *logicam* et *psychologiam* pertinent. Cæteroquin si quis legerit illam *responsionem* modernistarum in secunda sua parte, inhæsitanter censuerit illud revera systema quod ut suum defendunt, fuisse a Romano Pontifice et rite expositum et jure damnatum.

5. In Encyclica « Pascendi » damnatur aliquis doctrinarum complexus qui *radicaliter* omnino incompossibilis est cum catholica fide (5). Illa autem radicalis

---

(1) Cf. Lebreton, *L'encyclique et la théologie moderne*, Paris, 1908, p. 3 s.

(2) Ita v. gr. non eadem est de significatione dogmatis opinio apud *P. Laberthonnière* ac apud *D. Leroy*.

(3) Hoc opusculum Romæ editum est sub titulo: *Il programma dei Modernisti. Risposta all' Enciclica di Pio X « Pascendi Dominici gregis »*.

(4) Cf. Emmus Card. Mercier in concione quam Lovanii habuit, die 8 Decembris 1907: quæ concio publicata fuit in diversis diariis etiam in *Revue pratique d'apologétique*, t. V, 1907, p. 399 ss. Cf. etiam M. de la Taille, *Sur l'encyclique « Pascendi »*, apud *Etudes*, 1907, t. 113, p. 645 ss.

(5) Hac de re rectissime quatuor jam ab hinc annis, scribebat Cl. P. Prat: « La plupart des lecteurs, satisfaits d'une lecture rapide et

oppositio invenitur in philosophia *moderna*. Porro illius *modernæ* philosophiæ origo invenienda est apud *Kant* (1724-1804), qui nempe duo generalia statuit asserta, ad præsentem nostram materiam, scitu necessaria : nempe a/ humanam rationem *speculativam*, quæ ratiocinio operatur, non posse vere et certo *cognoscere* quidquid est supra vel extra *phænomena*, h. e. ea quæ et quatenus externe apparent; inde negabat *objectivum valorem* omnis cognitionis intellectualis, ope ratiocinii acquisitæ, de omni objecto pertinente ad ordinem *idealem*, prout ille opponitur phænomenis, consequenter negabat valorem objectivum omnis *scientiæ* stricte dictæ : non præcise negabat aliquid respondere tali cognitioni, sed negabat nos posse *indubiam notionem* acquirere de hoc quod aliquid respondeat tali cognitioni : en origo *agnosticismi;* b/ attamen, ex alia parte, agnoscebat *Kant,* ut validum, testimonium intellectus *practici*, seu conscientiæ, quatenus nempe *necessitatur homo ad admittendam* seu *agnoscendam obligationem moralem (imperativus categoricus);* quum vero hæc non possit certo admitti, nisi tribus præsuppositis, scilicet *libertate* humana, *immortalitate* humanæ animæ et *Dei existentia,* hæc admittebat Kant : in illa theoria de certitudine judicii

---

superficielle, ont pu ne voir dans les derniers ouvrages du docté abbé *(Loisy)* que des erreurs de détail, des propositions suspectes et des affirmations hasardées : l'existence de contradictions dans les Livres saints érigée en axiome, l'authenticité et l'historicité du quatrième Evangile hardiment niées, la fondation de l'Eglise par le Christ et l'institution des sacrements maintenues seulement de nom, en vertu d'une explication qui semble dérisoire, la personne de Notre-Seigneur rabaissée au niveau d'un homme ordinaire, un peu plus sage, mais pas beaucoup plus éclairé que les autres, tous les faits sur lesquels notre foi repose relégués dans une sphère extra-historique où la démonstration rationnelle ne les atteint pas. Il est bon qu'ils apprennent, ces lecteurs distraits ou naïfs, qu'il y a au fond quelque chose de plus radical : une sorte de nihilisme théologique et de subjectivisme absolu qui, poussé à ses conséquences logiques, ne laisserait subsister ni l'Eglise, ni Jésus-Christ, ni la révélation, ni la certitude, ni même un Dieu personnel ». *Etudes, Au fond d'un petit livre,* 1903, t. 97, p. 324.

conscientiæ habetur origo *immanentismi*. Notemus bene actum, quo agnoscit homo obligationem moralem et postulata quæ illi præsupponuntur, non esse, in Kantii opinione, vere *scientificum*, quo ipsa res cum ejus ratione attingitur; sed est actus potius *fidei*, nempe assensus propositioni non propter perspectam evidenter ejusdem intrinsecam veritatem, sed propter aliquam ineluctabilem necessitatem adhærendi (1). Inde secundum Kant invincibilis ac radicalis habetur separatio inter cognitionem intellectus *speculativam* et *practicam*, inter certitudinem (quæ dari nequit) *scientificam*, cujus objectum est omnis realitas ultra phænomenica, et certitudinem (quæ haberi potest) et dicitur *moralis* quia ejus objectum est obligatio moralis et consequenter obligatio religiosa (2).

Porro magnus, licet pessimus, fuit influxus a Kantii placitis dimanatus in modo cogitandi multorum philosophorum post ipsum; inde enatæ sunt variæ theoriæ quæ plus vel minus inhærent summis principiis a Kantio propositis (3); illis theoriis subsunt duæ generales tendentiæ, quarum una innititur negationi valoris objectivi intellectus speculativi seu ratiocinantis, altera vero affir-

---

(1) De doctrina *Kantii* cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 106; Zigliara, *Summa philosophica*, t. I, *Critica*, L. I, c. 2. a. 3; Reinstadler, *Elementa philosophiæ scholasticæ*, Friburgi Br., 1907, t. I, p. 140; præsertim Card. Mercier, *Critériologie*, Louvain, 1906, p. 47, 166, 230, 331, 389. Cf. etiam Sentroul, *Les préambules de la question Kantienne, Revue néo-scolastique*, 1907, p. 197.

(2) Si nomine *rationalismi* intelligitur sententia quæ negat factum *revelationis* proprie dictæ, nempe veritatis manifestationem ab ipso Deo factam hominibus et consequenter tenet humanam rationem tamquam unicum medium cognoscendi Deum et res religiosas, tunc doctrina Kantii ad rationalismum evidenter pertinet; attamen quum ipse ulterius neget vim humanæ rationis ad vere et proprie *cognoscendum* Deum, resque divinas, patet per hoc systema induci novum momentum (une nouvelle phase) in historia rationalismi, uti bene notat Kirn, apud *Realencyclopädie für protestantische Theologie*, t. XVI, p. 456.

(3) Illas theorias expositas vide apud Card. Mercier, *o. c.*, p. 126. Cf. Mattiussi, *Il veleno kanziano*, Monza, 1907.

mationi valoris judicii practici et certitudinis quæ illo judicio, secundum illas sententias, propria est (1).

Illa philosophica placita fuerunt deinde, etiam a quibusdam catholicis, applicata explicationi religionis christianæ et exinde summi exorti sunt errores circa christiana dogmata. Ideo in Encyclica « Pascendi » agitur imprimis de *philosopho,* deinde successive de *credente,* de *theologo,* de *historico*, de *critico*, de *apologeta,* de *instauratore* (2).

Quodsi quis perpenderit radicalem et irreductibilem oppositionem philosophiæ « modernæ » cum doctrina Ecclesiæ catholicæ et perspexerit ex illa logice sequi expulsionem veræ fidei in Deum revelantem et consequenter destructionem omnis vitæ vere supernaturalis, jam non mirabitur quod Pius X, tam intima cordis tristitia, necnon tam sincera animi apostolici indignatione, perniciosissimos damnaverit errores.

(Sequetur).

J. Van der Meersch.

---

(1) Duplex « modernæ » philosophiæ tendentia bene describitur ab Ollé-Laprune, *La certitude morale,* Paris, 1902, p. 327 ss., licet non sit sequendus ille auctor.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 599.

Accidents du travail

Caisse de Prévoyance et de Secours aux victimes des accidents.

La généreuse initiative de LÉOPOLD II fit instituer, par la loi du 21 juillet 1890, une *Caisse de Prévoyance et de Secours en faveur des victimes des accident du travail* (1).

La loi du 23 décembre 1903 sur la réparation des dommages résultant des accidents du travail (2) dispense, il est vrai, la *Caisse de Prévoyance et de Secours* d'intervenir dans un grand nombre de cas, parce que l'ouvrier accidenté reçoit, en vertu des dispositions légales, une réparation suffisante du dommage subi. Néanmoins, cette humanitaire et utile institution, grâce à une augmentation progressive de ressources, continue à allouer des secours importants aux ouvriers victimes d'un accident du travail et qui échappent à la protection légale, ou bien tombent dans le champ d'application de la loi (3) mais sont insuffisamment secourus. Sont dans ce dernier cas les personnes accidentées, dont le secours légal de 50 % du salaire ne comporterait pas, au total et par jour, un franc, plus vingt centimes pour la femme et dix centimes par enfant.

L'institution, bien que fondée en 1890, n'est pas assez connue. Tous ceux qui s'intéressent aux travailleurs, et partant, à ce titre et avant tout les prêtres, devraient prendre à cœur de lui signaler les accidents et les infortunes qui réclament et méritent un prompt secours,

(1) Le Roi demanda qu'on affectât à cette fin les crédits projetés pour célébrer le 25e anniversaire de son élévation au trône.

(2) Voir Aperçu général, texte et commentaire de la loi : *Collat. Brug.*, t. IX, pp. 198 ss., 270 ss., 338 ss., 512 ss., 646 ss.

(3) Les entreprises assujetties à la loi du 23 décembre 1903 sont énumérées à l'art. 2; cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 274 ss.

et d'introduire les demandes d'allocations. Dans certaines localités la Caisse a des visiteurs officiels ou des correspondants agréés. Cependant dans la plupart des communes elle n'est pas officiellement représentée. Aussi les demandes de secours introduites par une personne digne de foi sont toujours prises en sérieuse considération.

Par suite de l'entrée en vigueur de la loi sur les accidents du travail, la Caisse est à même de secourir efficacement les ouvriers accidentés non admis au bénéfice des dispositions légales. C'est à ceux-ci qu'il convient de s'intéresser avant tout, puisqu'ils n'ont droit à une indemnité, que s'il est juridiquement prouvé que l'accident est dû à la faute du patron. Une intervention autorisée en faveur de ces victimes, non seulement obtient à celles-ci un secours important, mais évite bien souvent un pénible conflit entre le patron et l'ouvrier.

Les formalités à remplir pour introduire valablement une demande de secours sont des plus simples. Il suffit, en effet de rédiger un rapport sur l'accident survenu, d'y joindre un certificat médical et une attestation du patron et d'envoyer ces pièces : « A Monsieur le Président de la Caisse de Prévoyance et de Secours en faveur des Victimes des Accidents du Travail, Rue Vandermeulen, 12 (place du Congrès), Bruxelles. » — La correspondance exclusivement destinée au service de la Caisse peut être adressée en franchise de port, sous enveloppe fermée.

On peut obtenir gratuitement à l'adresse indiquée des exemplaires du Rapport (1), du Certificat médical (2) et de l'attestation patronale (3) exigés. Voici un modèle des dites pièces.

A. Camerlynck.

(1). Rapport.

Présenté par Mr (*).. .. agissant en qualité de..... Sur l'accident survenu le..... à..... rue.....

1. Nom, prénoms et âge du travailleur tué ou blessé?

2. Domicile exact..... Localité..... Province..... Rue.....

3. Etat-civil? (Célibataire, marié ou veuf.)
(D'après le livret de mariage).

4. Profession?
Conduite. Moralité?

5. Résumé de l'accident, établissant qu'il s'est produit pendant ou à l'occasion du travail.

6. La victime est-elle décédée? Dans la négative, décrire son état et la durée probable de l'incapacité du travail?
(Joindre un certificat médical à l'appui).

En cas de mort, ajouter un extrait de l'acte de décès (sur papier libre) ou une attestation du médecin.

7. Salaire journalier?

8. Nom, prénoms et âge du conjoint?

9. Profession du conjoint. Conduite. Moralité.

10. Quels sont le salaire et les ressources particulières du conjoint?

11. Nombre d'enfants de la victime et leur âge exact?
(D'après le livret de mariage.)

12. Y a-t-il des enfants habitant avec la victime et gagnant un salaire? Dans l'affirmative, en indiquer le montant.

13. Y a-t-il d'autres parents qui vivent sous le même toit et quels sont leur profession, leur salaire et leurs ressources?

14. La famille est-elle réellement menacée par la misère?

14bis. Combien d'ouvriers le patron emploie-t-il habituellement?

15. *a/* La victime faisait-elle partie d'une association de secours mutuels?

b/ Si la victime tombe sous l'application de la loi sur les accidents du travail, quelle indemnité journalière reçoit-elle?

c/ Si la victime ne tombe pas sous l'application de ladite

(*) Nom de l'auteur du rapport. — Prière de l'écrire bien lisiblement.

loi, reçoit-elle néanmoins des secours du patron ou d'une Compagnie d'assurances, à laquelle il a affilié ses ouvriers. Quelle est l'importance de ces secours?

d/ La victime est-elle secourue par le Bureau de bienfaisance. En ce cas, que reçoit-elle?

e/ La victime reste-t-elle sans aucun secours?

16. L'accident a-t-il déjà fait l'objet d'un rapport et un secours a-t-il été accordé par notre Institution?

17. La victime a-t-elle reçu des secours médicaux et pharmaceutiques gratuits? Est-elle à l'hôpital?

18. Observations spéciales du signataire du rapport, signalant s'il y a lieu d'accorder un secours.

Fait à..... le..... 190 .

(Signature de l'auteur du rapport)

(2). Certificat Médical (*).

Je soussigné..... médecin à..... déclare avoir examiné chez lui (1) le (date)..... le sieur..... et avoir constaté chez lui l'existence de (2)..... en mon cabinet,

Les lésions existantes résultent (ou peuvent résulter) (3) directement de l'accident qui lui est survenu à son travail le (date).....

L'incapacité totale du travail sera de.....

L'incapacité partielle.....

DATE : SIGNATURE DU MÉDECIN :

(3). Attestation du Patron.

Le Soussigné [a]..... *certifie :*

1° Que le nommé..... a été blessé au cours de son travail.

(*) Messieurs les médecins sont instamment priés de tenir note de ce que les secours ne peuvent être accordés qu'aux victimes des accidents du travail.

(1) Rayer le superflu.

(2) Décrire la lésion, la maladie ou l'infirmité.

(3) Rayer le superflu en cas de doute.

(*a*) Nom, Profession & Domicile du Patron.

2° *Que l'ouvrier reçoit fr..... par jour,* en vertu de la Loi *sur la réparation des accidents du travail (soit que le patron paie cette somme directement, soit qu'elle soit remise à l'ouvrier par une Compagnie d'Assurances).*

3° *Que l'ouvrier,* sans être protégé par la Loi, *reçoit fr..... par jour du patron ou d'une Caisse d'Assurance à laquelle le patron a affilié son personnel.*

4° *Que l'ouvrier ne reçoit aucun secours.*

(Biffer les paragraphes qui ne sont pas applicables à la victime).

Le soussigné entend que la présente déclaration n'engage aucunement sa responsabilité et qu'elle ne peut être invoquée contre lui en Justice.

....., *le*..... 190

Signature (*h*)

(*h*) La Signature du Patron ou de son fondé de pouvoir est seule admise

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Mars. — Compte. Visite des bâtiments.

Aux termes de l'article 5 de la loi du 4 mars 1870, les conseils de fabrique se réuniront en séance obligatoire le dimanche, 1er mars. L'objet principal de cette réunion sera la vérification et la clôture du compte de 1907, après rapport du bureau.

Toutes les règles de comptabilité relatives à la confection, à l'examen, à l'apurement du compte de la fabrique, ont été précédemment indiquées et expliquées dans les *Collationes*. V. *Index des Collationes Brugenses*. Table spéciale de droit civil-ecclésiastique, v° COMPTABILITÉ, *mandats, mémoires, compte, compte de la caisse*. Voir aussi le t. XII, p. 133.

Nous mentionnons ici un document de jurisprudence administrative, relatif aux comptes de fabrique.

Un arrêté royal du 27 septembre 1907 a maintenu, contre le recours de la fabrique, un arrêté de la députation permanente du conseil provincial du Hainaut, en tant qu'il a rejeté la somme de 105 francs, inscrite à l'art. 61b *(indemnité à l'adjudicataire de la location des chaises)* des dépenses du compte (1).

L'adjudicataire, de par la nature même de la mise en ferme, n'a droit à aucune indemnité au cas où le produit des chaises, perçu conformément au tarif et dans les conditions du cahier des charges, n'atteint pas la somme offerte à l'adjudication publique. Affermer les sièges d'église c'est en effet louer l'exploitation à une personne qui, moyennant une somme fixe qu'elle s'engage à payer

(1) *Moniteur*, p. 5579.

à la fabrique, perçoit à ses risques et périls le produit des bancs et chaises.

Les marguilliers n'omettront pas de faire au commencement du printemps avec des gens de l'art, la visite de l'église, du presbytère et des autres bâtiments affectés au culte ou propriété de la fabrique.

A. De Meester.

Jurisprudence administrative

Documents en matière de dons et de legs.

I. Un arrêté royal en date du 29 juillet 1907 (1) autorise la fabrique de l'église de la Sainte-Famille à Helmet à accepter un legs de 14,000 francs, devant servir à exempter de la taxe sur les chaises les pauvres et les ouvriers, les jours de la semaine, quand il n'y aura aucun service funèbre ou messe particulière avec assistance nombreuse (2).

Cette libéralité était en outre grevée de la charge d'entretenir un caveau de famille (3).

II. Il avait été fait donation à la fabrique de l'église de Ste Madeleine à Bruges d'un immeuble évalué a 10,000 francs, avec charge de faire célébrer annuellement et à perpétuité six anniversaires à huit heures et de distribuer pour trois à quatre cent francs de pain aux pauvres.

Un arrêté royal du 21 juin 1907 (4) autorise la fabrique à accepter la dite libéralité, à charge de remettre au bureau

(1) *Moniteur*, p. 4002 s.

(2) Des libéralités de ce genre constituent un moyen excellent de rendre moins onéreuse à la classe indigente la fréquentation des églises, tout en avantageant la fabrique.

(3) V. A. R. 5 juillet et du 26 sept. 1907, *Moniteur*, p. 3531, 5431, autorisant des libéralités avec charges analogues. V. *Collat. Brug.*, t. I, p. 564 ss.; IV, 555; VII. 539, VIII, 211 s.

(4) *Moniteur*, p. 3249 s.

de bienfaisance pour distributions de pains la part du revenu net du bien légué, qui restera libre après payement des frais de célébration des services fondés, sans que cette part puisse excéder la somme de quatre cents francs. Cette décision nous semble être une interprétation exacte de la volonté du donateur. Elle tient compte de la diminution éventuelle du revenu de l'immeuble légué, des intérêts de la fabrique et du bureau de bienfaisance.

III. Par testament en date du 11 avril 1901, il avait été fait au profit de la fabrique de l'église de Neerlanden dans le diocèse de Liége un legs d'un immeuble évalué a 3,170 francs, à charge de faire célébrer le premier vendredi de chaque mois une messe chantée pour le repos de l'âme de la testatrice. En exécution du même testament, une somme de 2,000 francs avait été donnée à la fabrique susdite, le 8 mars 1907, pour faire exonérer annuellement et a perpétuité cinq messes anniversaires, charge de la succession.

La fabrique avait accepté ces libéralités, sous réserve de l'approbation des autorités compétentes.

Par arrêté du 22 mai 1907, la députation permanente refuse à la fabrique l'autorisation d'accepter les libéralités prémentionnées, en se basant: 1° « sur ce que la testatrice » est décédée le 14 avril 1901, et que la demande en autori- » sation d'accepter les dites libéralités n'est parvenue aux » bureaux du gouvernement provincial que le 2 janvier 1907 » et que les motifs invoqués par l'administration fabricienne » pour justifier ce retard ne sont pas de nature à la relever » de la déchéance qu'elle a encourue aux termes de l'arrêté » royal du 27 octobre 1825 (1); 2° sur ce que d'autre part le

(1) Art. 1. « Il ne sera accordé dorénavant aucune autorisation pour accepter des donations entre vifs, ou par testament, en faveur des fabriques d'églises, établissements de bienfaisance, ou autres institutions dites de main-morte, si les demandes pour obtenir des autorisations n'ont été présentées, savoir: dans le délai d'une année après la date de l'acte de la donation, en ce qui concerne les donations entre-vifs, et dans le terme d'une année après que la déclaration du droit de succession aura été faite pour ce qui concerne les legs ou héritages. V. Bon, *Législation des paroisses*, p. 204. Bruxelles, 1841. Giron (*Dictionnaire de droit administratif*, v° Établissements publics, n° 19) fait très justement remarquer que cet arrêté n'a pas prononcé la déchéance contre les établissements publics qui refuse-

» revenu de la parcelle de terre léguée à la fabrique, n'étant » que de 78 fr. 73 c., ne permet pas l'exonération des charges » imposées, celles-ci nécessitant un revenu de 120 francs, » suivant le tarif diocésain en vigueur ».

Un arrêté royal du 31 décembre 1907 (1) a justement annulé cet arrêté et a autorisé la fabrique à accepter définitivement les libéralités :

« Considérant que l'arrêté royal précité du 27 octobre 1825 » ne fait que consacrer une règle de discipline administrative » et que l'autorité compétente appelée à statuer sur l'acceptation d'une libéralité a la faculté de relever de la déchéance » que commine cet arrêté ;

» Considérant qu'il résulte des explications fournies par » l'administration fabricienne qu'il y a lieu d'user de cette » faculté ;

» Considérant, d'autre part, que les prix fixés par les » tarifs diocésains constituent un maximum (2) qui ne doit » pas nécessairement être atteint dans chaque cas ; que dès » lors, rien ne s'oppose à ce que les administrations fabriciennes se chargent de l'exonération des services fondés à » un taux inférieur à celui du tarif diocésain (3) ».

L'arrêté royal met enfin complètement à néant la décision de la députation permanente, en établissant que dans le cas cette administration était imcompétente pour statuer sur

---

raient d'en observer les prescriptions. L'autorité appelée à statuer sur l'acceptation d'une libéralité peut donc relever le donataire de la déchéance qu'il a encourue, sans que les tiers soient recevables à contester la validité d'une autorisation donnée après l'expiration du temp prescrit. Cf. A. R. 31 mars 1892, *Moniteur*, p. 1031 ; DE CORSWAREM, *De la législation civiles des cultes*. Hasselt, 1904. Cet auteur cite aussi un jug. du trib. de Nivelles, 9 juillet 1856, *Belgique judiciaire*, 1856, 1336 ; LAUWERS, *Code de droit civil ecclésiastique*, p. 335, doute à bon droit de la légalité de cet arrêté royal.

(1) *Moniteur*, 1908, p. 291 s.

(2) En pratique l'administration laisse parfois une certaine latitude aux fondateurs au delà des limites du tarif, quant à la détermination des hononaires cf. *Collat. Brug.*, II, p. 398, note ; A. R. 20 mai 1907, *Moniteur*, p. 2658 s.; 26 août 1907, *ibid.*, p. 4679 s.

(3) DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. comp.*, éd. 7, t. II, n° 1041, p. 332 s.; A. R. 16 juillet 1889, *Moniteur*, p. 2138, cf. DE CORSWAREM, *o. c*, p. 377 s.

l'acceptation des libéralités prémentionnées, vu qu'il s'agissait de dispositions connexes dont le montant dépassait 5000 francs.

IV. La clause contenant l'exclusion formelle de certaines communautés religieuses pour desservir un hospice fondé pour vieillards doit être considérée comme l'expression d'un simple vœu ; « considérant qu'aux termes des art. 6 et 7 de la loi du 16 messidor an VII, les commissions des hospices civils sont exclusivement chargées de l'administration intérieure, de la nomination et du remplacement des employés de ces établissements ». Ar. royal du 26 août 1907 (1).

A. De Meester.

(1) *Moniteur*, p. 4733 s. M. Damoiseaux, *Guide pratique de l'administration des bureaux de bienfaisance et hospices civils*, p. 99, n° 201. Manage, 1904 ; Giron, *o. c.*, v° Hôpitaux et hospices, n° 36.

Bulletin Liturgique

I. Ouvrages généraux.

1. **A. Vigourel.** *Cours synthétique de liturgie*, Paris, Roger et Chernoviz, 1906. In-12, VI-264 p.

2. **J.-B. Pighi et Æm. Ferrais.** *Liturgia sacerdotalis.* Verone, F. Cinquetti, 1907. In-12, 643 p. Prix: 4 fr.

3. **Dr And. Schmid.** *Cæremoniale für Priester, Leviten, Ministranten und Sänger*, 3e édition. Kempten et Munich, Jos. Kösel, 1906. In-8, XXII-673 p. Prix: 6 fr.

4. **F. Cabrol.** *Les origines liturgiques.* Paris, Letouzey et Ané, 1906. In-8o, 374 p.

Mettre en lumière les principes fondamentaux de la liturgie, générateurs des diverses cérémonies, rapprocher les rites similaires, ramener beaucoup de rubriques spéciales à des règles générales, et enfin faire comprendre la raison d'être et la profonde signification des cérémonies: tel serait, semble-t-il, le programme d'un traité vraiment *synthétique.* Il rendrait de grands services et recevrait certainement le meilleur accueil. Tel n'est pas précisément le *Cours* de M. **Vigourel.** Il n'est « appelé synthétique » que parce qu'il « rattache la liturgie catholique à l'Eucharistie » (p. 7). Le récit de l'institution du S. Sacrement, rappelé dans le canon, est considéré comme le « noyau » d'où « sortiront tous les détails liturgiques » (p. 12). Cette conception nous semble forcée et contribue assez peu à faire mieux comprendre le détail des règles rubricaires que l'auteur expose brièvement dans un bon « cadre que les excellents ouvrages usités dans les séminaires permettraient de remplir » (p. V). Le livre contient d'ailleurs de bonnes remarques pratiques et d'excellentes indications sur la genèse et le sens des cérémonies.

— Plus complet dans ses développements, plus classique dans sa division tripartite (Bréviaire, Missel, Rituel) est la *Liturgia sacerdotalis.* Les auteurs y ont fusionné en un volume, après revision, les ouvrages qu'ils avaient publiés séparément: la *Liturgia divini officii* et la *Liturgia missæ* de

M. l'abbé **E. Ferrais**, et la *Liturgia sacramentorum et sacramentalium* du chan. **J.-B. Pighi**. Ce manuel, d'une exécution typographique très soignée, contient toutes les notions et règles fondamentales de la liturgie sacerdotale ; l'exposé est clair et logique, les prescriptions rubricaires sont appuyées sur les textes des rubriques et les décrets les plus récents de la S. Congrégation des Rites et parfois sur l'histoire et les usages anciens ; certaines questions théologiques ou canoniques, p. ex. au sujet des sacrements ou sacramentaux, viennent compléter les prescriptions des rubriques ; il y a, comme dans le manuel suivant, des notes intéressantes et pratiques sur le cycle des offices de l'année liturgique. Par contre, les auteurs entrent peu dans le détail du cérémonial : les rubriques p. ex. de la messe basse sont en grande partie, et celles de la messe solennelle complètement omises.

— Au contraire l'ouvrage du Dr **Schmid** est avant tout, pour ne pas dire exclusivement, un cérémonial. N'allez pas y chercher les règles de la translation des fêtes, de l'occurrence et de la concurrence : l'auteur suppose que vous ayez un *Calendarium* ou *Ordo* diocésain : il vous mettra en état de le comprendre, mais pas de le contrôler ou de fixer une octave spéciale. Comme *Cæremoniale*, il est complet pour tous les ministres, y compris les chantres, aussi bien que pour le célébrant ; ses considérations et règles générales sur l'église et son mobilier et sur les « personnes liturgiques » seront lues avec beaucoup de fruit (sections I et II). L'auteur fait une foule de remarques d'une utilité pratique considérable, qui montrent que, durant ses 40 années d'expérience, il a non seulement beaucoup étudié mais a beaucoup observé. Son manuel contient une excellente innovation : convaincu que l'enseignement de la rubricistique doit être rendu intuitif, M. Schmid a enrichi son livre de 150 belles reproductions d'objets liturgiques choisis avec beaucoup de goût parmi les spécimens les plus utiles et les plus artistiques. Son livre contribuera à développer à la fois l'amour de la dignité dans les cérémonies et du beau dans tout ce qui se rapporte au culte. Il est très regrettable que l'auteur relègue ses notes non pas au bas des pages mais à la fin des chapitres.

Observons, pour finir, que les trois ouvrages mentionnés, ont de bonnes tables alphabétiques.

signum comminatorium est expectandum, idque revera sequitur in v. 16 s.: regnum ipsius Achaz, sc. regnum Judæ, devastabitur et in solitudinem redigetur per ipsum regem Assyriæ, cujus opem Achaz præ auxilio divino efflagitaverat (1). Nihilominus Jehova signum illud dat regi incredulo domuique David, ut ostendat suam voluntatem salvandi populum suum absque auxilio humano (2). At verò salus illa populo Dei promissa non est liberatio ab aggressione regum Israel et Syriæ, cujus liberationis Achaz infidelitate sua se plane indignum reddiderat. Salus illa divina multo latius patet: Deus populum suum tuebitur contra omnes nationes ethnicas quarum typus est hìc exercitus Assyriorum (3). Deus salutem illam populo suo præstabit per Emmanuelem filium Virginis, Deum-nobiscum. Propheta autem Virginem ut jam gravidam, Emmanuelem-Salvatorem ut jam natum exhibet quia, per sic dictam « anticipationem propheticam » propheta in tempus futurum quasi translatus, id quod ei in visione prophetica præsens obversabatur, præsenti suo tempori applicat, eo vel magis quod imminens erat signum quod velut pignus dabat salutis per Messiam quondam afferendæ. Et ita intervallum temporis ante signum seu

---

(1) Cf. v. 17 « Adducet Dominus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui dies, qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Juda cum rege Assyriorum » — *hebr.* regem Assyriorum scil. adducet Dominus.

(2) Parallelismus inter signi propositionem v. 11 (*Pete tibi signum a Domino Deo tuo)* et signum oblatum v. 14 *(Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum)* hanc esse signi rationem ostendit. Cf. Van Hoonacker, *Revue Bibl.*, 1905, p. 225.

(3) Cf. Van Hoonacker, *l. c.*, p. 226 n. « Q'au chapitre VIII « le roi d'Assur et toute sa puissance » (v. 7) représentent d'une manière typique les nations païennes en général, l'exclamation du v. 8 le prouve: « Soyez malfaisants, *ô peuples,* — et brisez-vous! Et entendez-le, *toutes les régions lointaines de la terre,* prenez vos armes, — et brisez-vous!... Au chapitre VII de même, l'association des Egyptiens aux Assyriens (v. 18) prouve que le regard d'Isaïe, tout en voyant dans ces derniers l'ennemi le plus proche (v. 17, 20 ss.), s'étendait plus loin ».

devastationem regni Judæ elapsuri, mensuratur a nativitate Emmanuelis quam propheta ut præsentem contemplabatur, et in quam contemplandam totus raptus erat: « Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum (1), derelinquetur (i. e. vastabitur) terra » seu regnum Achaz (v. 16). Et quia vastabitur Judæa, ideo Emmanuel vitam pauperem et humilem in regno vastato (2) ducet seu « butyrum et mel comedet ut sciat reprobare malum et eligere bonum » (v. 15).

III. **Probatur** solutio proposita, et quidem per partes.

1° *Signum a propheta comminatorium proponitur* v. 14. « Propter hoc (LXX: διὰ τοῦτο) dabit Dominus ipse vobis signum.... ». Deus enim cum domum David servari vult, signum futuræ liberationis dat certissimum et, quo magis rex et aulici domus David opem divinam respuunt, eo clarius salutem datum iri eo quo Deus vo-

---

(1) Verba hæc « *reprobare malum et eligere bonum* » intelligenda sunt sensu nativo et proprio, eo vel magis quod hic respiciat propheta ad rationem agendi regis Achaz, qui modo reprobavit bonum (recusando auxilium a Deo oblatum) et elegit malum (implorando opem regis Assyriorum), v. 10 ss. — *Butyrum et mel comedet* hebr. lac spissum et mel comedet; jamverò lacte spisso et melle vesci signum est, ut statim Isaïas vv. 20-22 docet, vitæ pauperioris propter terram vastatam et ad solitudinem redactam, ab incolis nudam et derelictam. Hæc terra pro paucis pastoribus ad pascua inserviet (cf. V, 17): quare greges, propter pascuorum abundantiam, abunde etiam lac præbebunt.

(2) Verba *ut sciat reprobare malum et eligere bonum* verti possunt etiam (et hic sensus præplacet, ut ostendit VAN HOONACKER, *o. c.*, p. 218 s.) *quando* sciet etc., « c'est-à-dire à l'époque où il saura exercer les actes en question »..... Généralement on entend la détermination de l'époque visée v. 16ª (car avant que l'enfant sache dédaigner le mal...), du moment où l'enfant aura atteint l'âge de raison ou de discernement (Cf. *Deut.* I, 39 etc.). Cette interprétation est recommandée par la circonstance qu'Immanu-El est envisagé comme enfant. Elle n'est cependant pas certaine (cf. KNABENBAUER, *Commentarius in Isaiam prophetam*, Parisiis 1887, p. 186). Il se pourrait que le prophéte ait en vue le moment où l'enfant, ayant atteint l'âge mûr, serait non seulement capable de discerner pour lui-même, mais compétent pour juger chez les autres, le bien et le mal; où il serait apte, en d'autres mots, à remplir le rôle qui doit lui être dévolu en vertu de la mission signifiée par son nom d'*Immanu-El* = Dieu avec nous » *(ibid.)*.

luerit modo effertur. Quia illi infidelitatem produnt et salutem oblatam contemnunt, Deus signum exhibet in quo simul pœnæ annuntiatio latet et quod incredulos suæ infidelitati relinquit. Achaz in v. 12 incredulitatem suam plane manifestavit: ergo e v. 9 incipiet valere pro ipso norma: « Si non credideritis, non permanebitis ». De facto pœna terribilissima, sc. invasio regni ab ipso rege Assyriæ cujus opem imploraverat Achaz, inde, a v. 17 denuntiatur (1). — At verò, cum verba: *Ecce virgo concipiet* etc. immediate et solemniter post signi annuntiationem referantur, velut signum efferri videntur liberationis futuræ, quod signum, cùm pro rege Achaz ejusque coævis valere nequeat (cf. sub 3°), pro domo David valiturum esse dicendum apparet.

2° *Prædicitur ab Isaia vastatio Judææ, regni Achaz per ipsum regem Assyriæ.* Hæc vastatio a rege Assyriæ inferenda dicitur in v. 17 ss., uti omnes admittunt. At verò in ipso v. 16 agi videtur de incursione regis Assyriæ in Judæam, non autem de vastatione regnorum Israel et Syriæ quibus Phacee et Rasin respective præerant. Quominus enim « terra » in v. 16 de regnis Israel et Syriæ intelligi possit, variæ eæque graves difficultates obstant (2).

---

(1) Cf. Knabenbauer, *o. c.*, p. 165 s.; Van Hoonacker, *l. c.*, p. 217 s.; Condamin, *o. c.*, p. 61 s.; C. Huyghe, *La Science Catholique*, 15 fév. 1895; A. Durand, *L'Université Catholique*, juin 1899; Davidson apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, t. II (Edinburgh 1903), p. 455; Lagrange, *Revue Bibl.*, 1905, p. 280.

(2) Cf. Van Hoonacker, *l. c.*, p. 215 s. « Trois difficultés insurmontables excluent cette supposition. 1° Il est *évident* que le v. 17 n'est que la simple continuation du v. 16; nous n'y voyons ni un mot, ni une particule indiquant un changement de direction dans la pensée... 2° Il est difficile, ou impossible de comprendre que les deux royaumes parfaitement distincts d'Israël et de Damas eussent été compris sous la dénomination de « la terre » (= le pays) au singulier, comme s'il s'était agi d'un seul pays gouverné par deux rois! 3° Si *la terre* au v. 16b s'entend des royaumes de Rasin et de Phacee, on ne voit point comment l'abandon de cette terre suffit, sans autre explication, à rendre compte du fait qu'Immanu-El sera réduit à « manger du beurre et du miel »; car comme son nom seul l'in-

Unde v. 16 aliter legit VAN HOONACKER (1): « Car avant que l'enfant sache dédaigner le mal et choisir le bien, le pays sera abandonné! *Parceque* (2) tu es saisi de terreur, toi, devant les deux rois (3), Jahvé amènera sur toi..... le roi d'Assur ». CONDAMIN verò hoc modo vertit: « Car avant que l'enfant sache rejeter le mal et choisir le bien, la terre *pour laquelle* (4) tu redoutes « les deux rois » sera dévastée ». De facto autem Theglatphalasar a. 734-732 ingens tributum regno Judææ imposuit et regem « afflixit, et nullo resistente vastavit » (5).

3° *Signum quod propheta nomine Dei regi Achaz proponit non est ipse conceptus virgineus Emmanuelis, neque significat instantem regni Judæ liberationem.* Ad ultimum quod spectat, satis superque patet e dictis sub 2°, siquidem regni Judæ vastatio clare prædicitur. Signum autem non necessariò est magnum miraculum quale proponebat Isaïas v. 11. Tale signum rex respuit: aliud, idque comminatorium, proponitur. Conceptus præterea virgineus Emmanuelis videtur non potuisse rationem signi induere pro rege Achaz ejusque coævis, quibus tamen etiam signum proponebatur (6). Neque dici potest dictum *signum* fide admittendum fuisse, cùm ipsum signum ad fidem in salutem Messianicam roborandum regi proponebatur (7). *Manet ergo ut si-*

---

dique, Immanu-El (Dieu avec nous) appartient à Juda (cf. VIII, 8). Or, d'après le texte, les privations qu'Immanu-El subira sont censées résulter de l'abandon de la terre en vue: « ... *car*... elle sera abandonnée la terre... ». Hæc argumenta non infringuntur ab iis quæ BEAUQUIER, *l. c.*, p. 534 n. in contrarium affert.

(1) *l. c.*, p. 217 s.

(2) Cf. tamen LAGRANGE, *Revue bibl.*, 1905, p. 279.

(3) Ità juxta LXX: ἀπὸ προσώπου τῶν δύο βασιλέων. Cf. HAGHEBAERT, *Rev. bibl.*, 1893, p. 301 s.

(4) *o. c.*, p. 50 s. Cf. tamen LAGRANGE, *l. c.* Hic auctor integrum v. 16 ut glossema habet. Summa tamen difficultas hujus v. non videtur sufficiens ratio ut integrè velut spurius rejiciatur; e contrario.

(5) Cf. *II Paral.* XXVIII, 20-22, coll. CONDAMIN, *o. c.*, p. 72.

(6) Cf. omnino DURAND, *l. c.* et VAN HOONACKER, *o. c.*, p. 222 ss.

(7) Sensum prophetiæ Messianicum vindicavimus suprà, *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 73 ss

gnum istud comminatorium dicatur vastatio ipsius regni Achaz per ipsum regem cujus præsidium, spreto Jahve, imploraverat.

4° *Idealis anticipatio futuræ incarnationis Messiæ seu dicta « anticipatio prophetica » non admodum parce apud prophetas* (1) *reperitur, in specie apud Isaïam* VIII, 8 ss.; IX, 6; XLIX, 5 s. 8. Et ratio assignari potest: « Tous les prophètes ont envisagé le salut (messianique) comme prochain, parce qu'il termine pour eux l'horizon, et que, entre leur temps et le salut, l'histoire à venir n'est qu'un espace vide dont il ne leur est pas donné de mesurer la durée » (2).

Nota. Inter varias solutiones propositas, explicatio a P. Huyghe et Durand *ll. cc.* post P. Delattre tradita, memoranda videtur. Particulam hebraicam *(hinneh)* quam v. 14 Vulg. vertit *ecce*, vertunt: *supposé que, si*, hoc modo: « Jahvé punira bientôt l'incrédulité d'Achaz Cela est tellement sûr que « *si la Vierge promise venait maintenant à concevoir et à enfanter,* l'Emmanuel, son fils, en qui la famille de David place son espoir, n'aurait pas encore atteint l'âge de discrétion qu'on se verrait déjà en face des faits accomplis. Comme tous les autres il en serait réduit à se nourrir de lait et de miel sauvage, les seuls mets que l'on trouvera dans le pays, après que les ennemis auront passé » (3). Ipse tamen Durand (4) sensum hypotheticum particulæ *hinneh* apud prophetas valde rarò occurrere fatetur.

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. e. g. *Zach.* IX, XII, XIV; *Dan.* IX, 24 ss.; *Mich.*

(2) Ità Lagrange, *Revue bibl.*, 1905, p. 280.

(3) Cf. Durand, *l. c.*

(4) *o. c.*, p. 72. Lagrange, *l. c.*, p. 280 hanc explicationem vocat « *un artifice* ».

II

Q. *Explica et falsam esse demonstra hanc propositionem:* « Quum in deposito fidei veritates tantum revelatæ contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet judicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum »: *quæ est propositio quinta inter damnatas decreto « Lamentabili sane exitu »*:

R. I. 1. In hac propositione, nomine Ecclesiæ, in his verbis: « ad *Ecclesiam* pertinet judicium ferre », significatur Ecclesia *docens* seu *Magisterium* Ecclesiæ, ut ex natura rei, de qua agitur, constat. Porro Ecclesiæ Magisterium est organum quo exercetur docendi potestas, et hoc organum prout nunc existit (1) complectitur ipsum Romanum Pontificem, deinde Romanas Congregationes quæ, potestate a Summo Pontifice delegata, ferunt decreta doctrinalia, tandem episcopos sive collective sumptos in Concilio cum Summo Pontifice, sive singillatim sumptos in singulis diœcesibus (2). Sed in damnata propositione non agitur de *subjecto,* de eo in quo residet potestas docendi.

2. Agitur vero de *objecto* illius potestatis, et præcise hoc statuitur in damnata propositione quod illud objectum est dumtaxat complexus *veritatum revelatarum,* ita ut *nullo sub respectu* ad Ecclesiasticum Magisterium pertineat judicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum: supponitur nempe duo esse objecta, omnino distincta, quorum unum est complexus veritatum revelatarum, alterum vero complexus conclusionum quas inveniunt ac propugnant homines, naturali rationis lumine utendo, et asseritur *nullo sub respectu* de

---

(1) Dixi *prout nunc existit:* nam *ex institutione divina* magisterium non complectitur nisi Summum Pontificem et Episcopos.

(2) In singulis suis diœcesibus episcopi sunt *magistri authentici* et *judices* de fide et rebus quæ ad illam pertinent. Cf. Bainvel, *De Magisterio vivo et Traditione,* Parisiis, 1905, p. 66 ss.; *Theologia Mechliniensis, De vera Ecclesia Christi,* 1891, p. 388, n. 85.

illis conclusionibus posse judicium ferri ab Ecclesiæ Magisterio.

II. 1. Antequam demonstremus falsam esse hanc propositionem *prænotemus* oportet quænam sit *contradictoria* propositioni damnatæ. Contradictoria est hæc: Quum (h. e. licet) in deposito fidei veritates tantum revelatæ contineantur, *aliquo tamen sub respectu* ad Ecclesiam pertinet judicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum (1). Non simpliciter affirmatur ad Ecclesiam pertinere judicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum. Nam disciplinæ humanæ, tamquam objectum naturalis cognitionis recte exercitæ, per se loquendo, sunt *independentes* a doctrina Ecclesiæ, et ab Ejus magisterio, qua tali. Ut docetur in *Concilio Vaticano, duo* sunt *ordines* cognitionis; et humanæ scientiæ, quæ ad unum ordinem pertinent, propriis principiis et methodo utuntur. « Hoc quoque perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero *naturali ratione*, et altero *fide divina* cognoscimus; objecto autem, quia præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria, in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt... Nec sane ipsa (Ecclesia) vetat, ne hujusmodi disciplinæ (humanæ) *in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo* » (2).

Sed fieri potest ut disciplinæ humanæ non rite pertractentur et inde propugnentur conclusiones quæ sint vel directe contradictoriæ veritatibus revelatis, vel sint contradictoriæ conclusionibus theologicis logice deductis ex veritatibus revelatis, vel incompossibiles cum veritatibus quæ necessario præsupponuntur veritati re-

---

(1) Cf. Heiner, *Der neue Syllabus Pius X*, Mainz, 1907, p. 42.

(2) Sess. III, *Constitutio de fide catholica*, c. 4. V. Denzinger, *Enchiridion*, n. 1643, 1648.

velatæ, sicut v. gr. ipsa Dei existentia præsupponitur existentiæ Trinitatis divinæ, etc. Quod talis oppositio inveniri potest, facile intelligitur quum nonnullæ disciplinæ humanæ idem materiale objectum habeant cum partiali objecto materiali fidei: v. gr. theodicea, psychologia in quantum agit de anima humana ejusque proprietatibus, ethica naturalis, historia. Præterea conclusiones ex humanis disciplinis, utique non rite pertractatis, possunt esse oppositæ soli possibili explicationi dogmatis; tandem ultra conclusiones logicas quidam possunt procedere ad statuendum aliquid dogmati contradictorium, vel imcompossibile cum doctrina connexa cum fide. Ideo post verba quæ suprà citavimus ex Concilio Vaticano habentur sequentia: « sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet (Ecclesia) ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea, quæ sunt fidei, occupent et perturbent » (1).

Hinc apparet hoc quod *respectus* sub quo ad Ecclesiam pertinet judicium ferre de disciplinarum humanarum assertionibus est harum connexio *cum veritate revelata*. Ubi igitur adest vera et objectiva connexio, vel ubi apparens propugnatur connexio inter scientiæ humanæ conclusiones et veritatem revelatam, ibi potest Ecclesia *judicium ferre* de connexione illa vel de veritate aut falsitate conclusionis connexæ. — Etiam *invigilare* potest Ecclesia ut prædictam connexionem detegat et periculum fidei amoveat.

Quando nulla apparet connexio asserti cum fide, tunc Magisterium Ecclesiæ nullum fert judicium de illis assertis, sive vera sint, sive falsa. Præterea Ecclesia nedum vetet quominus veritas, quatenus humana ratione attingi potest, inquiratur hoc modo, e contrario ad hoc studium hortatur (2).

---

(1) Denzinger, l. c.

(2) « Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet ac promoveat » Denzinger, l. c.

Notemus etiam cultores humanarum scientiarum, si ipsarum propriis principiis ac methodo *recte* h. e. *logice* utantur, nunquam adduci ad conclusionem quæ opponatur fidei : nam veritas nequit veritati repugnare. « Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest : cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit ; Deus autem negare seipsum non potest, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effata habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus » (1).

2. **Demonstratio** falsitatis propositionis damnatæ, post datas explicationes, facile percipitur.

Supponimus a Christo traditam fuisse Ecclesiæ potestatem *docendi* (2). Porro hujus potestatis *objectum* **primarium** est complexus omnium veritatum revelatarum, quia hæc potestas immediate ordinatur ad ipsam fidem divinam tuendam ac propagandam. Sed illius potestatis *objectum* **secundarium** est *omne quod connectitur cum veritatibus revelatis* (3) : etenim, a/ nisi ad hæc *connexa* sese extenderet, illa potestas docendi esset *insufficiens ad finem* ad quem data est : nam sæpe fieret ut nequiret efficaciter declarare hoc quod est credendum, nisi simul posset decernere verum esse aut falsum id quod objective et necessario connectitur cum propositione ad fidem pertinente ; b/ imo evaderet *illusoria* potestas docendi nisi posset damnare quædam asserta quæ proponuntur tamquam ex humanis disciplinis de-

(1) *Conc. Vatic.*, l. c. V. DENZINGER, *o. c.*, n. 1645.

(2) Cf. WILMERS, *De Christi Ecclesia*, Ratisbonæ, 1897, n. 203 ss.; BILLOT, *De Ecclesia*, Romæ, 1899, t. II, p. 8 ss.

(3) Cf. WILMERS, *o. c.*, n. 243 ss.; BILLOT, *o. c.*, p. 72 ss.; DE BROUWER, *De Ecclesia*, n. 232 ss.

ducta; v. gr. si Ecclesia non posset damnare notionem *revelationis, dogmatis, fidei,* etc. quam Modernistæ propugnant ex sua philosophia, nihil jam valeret serio statuere ad servandam fidem, objective spectatam, nempe id quod a Deo fuit revelatum.

Adnotatio. *D. Loisy* vehementer protestatur contra id quod vocat « la prétention de la Théologie ». Dicit inter alia: « La théologie s'est comportée et se comporte encore comme si elle possédait en elle-même une science de la nature et une science de l'histoire, avec la philosophie générale de ces choses, qui résulte de leur connaissance théologique » (1). Nullus gravis theologus hoc asseruit, et, si theologi de assertis scientiarum naturalium judicant, hoc faciunt in quantum illa connectuntur cum veritatibus revelatis. — Sed non admittendum aliud extremum quod propugnat idem auctor: « La foi religieuse intervient seulement comme une lumière dans ce qu'on pourrait appeler la philosophie morale des choses et les conditions morales de l'activité humaine » (2)... ac si fides, et etiam scientia theologica non lumen spargerent in ipsam *speculativam* cognitionem rerum multarum!

Cæteroquin ignorat vel contemnit *D. Loisy* veram illam *auctoritatem* quam habet theologia scholastica et præsertim doctrina S. Thomæ; hæc auctoritas, utique diversa est a potestate docendi quæ inest Magisterio Ecclesiæ, est tamen magna, præsertim propter connexionem quam *de facto* habet cum ipso exercitio Magisterii ecclesiastici (3).

J. Van der Meersch.

---

(1) *Autour d'un petit livre,* p. 211.

(2) O. c., p. 214.

(3) Qua de re cf. Bainvel, o. c., p. 82 ss.; De Groot, *Summa apologetica,* Ratisbonæ, 1906, p. 813.

III

Q. *Quomodo distinguuntur præcepta legis naturalis: a/ ratione* cognitionis, *b/ ratione* vis et efficaciæ, *c/ ratione* modi obligandi? *Explica responsum.*

R. I° *Ratione cognitionis* præcepta legis naturalis triplicis generis sunt (1):

1/ Ad primum pertinent quædam morum principia universalissima, quæ dicuntur **prima**, quippe quæ ab aliis non deriventur, ut sunt: bonum est faciendum, supremum numen colendum, benefactores honorandi sunt. Hæc præcepta moralia, a quibus omnia et singula legis præcepta discursu rationis deducuntur per se nota sunt, seu immediate evidentia ei, qui eorum terminos intelligit (2).

2/ Ad secundum genus pertinent illa præcepta, quæ immediate et per se, necessaria, obvia et facili illatione ex *primis* principiis fluunt, cujusmodi sunt: non blasphemabis, non furaberis et alia decalogi præcepta, (excepta determinatione sabbati). Præcepta naturæ **secunda** genus constituunt ratione cognitionis a primo distinctum, quia non immediata evidentia pollent, sed opus est quadam illatione; a tertio genere distinctum quia illatione tam facili ex suis principiis deducuntur, ut diu non possint latere hominem excultæ rationis compotem.

3/ Ad tertium genus pertinent illa præcepta, quæ solum mediate et remote ex primis vel secundis principiis inferuntur, « ad quorum judicium, ut ait S. Thomas 1-2, q. 100, a. 1, requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare non est

---

(1) Van den Berghe, *Tractatus de Legibus*, ed. 2, p. 36 ss. Noldin, *De principiis Theol. Mor.*, ed. 6, n° 101. Bouquillon, *Theol. Mor. fundam.*, ed. 2, p. 216 ss.

(2) Quomodo hæc præcæpta prima ad principium quoddam universalissimum reduci possint, videri potest apud Van den Berghe, *o. c.*, n. 34.

cujuslibet, sed sapientum », ut sunt: injuria alicui illata non est propria auctoritate vindicanda, res inventæ restitui debent. Quamvis hæc juris naturæ præcepta, quæ **remotiora** dicuntur, cum certitudine possint cognosci, tamen, quum solum magna difficultate et præmisso diligenti studio ex suis principiis deducantur, ab iis, qui studiis nunquam vacarunt, invincibiliter etiam ad longum tempus possunt ignorari et sæpe reipsa ignorantur (1).

II° Considerata *vi et efficacia*, præcepta legis naturalis alia sunt **primaria**, alia **secundaria** (2).

Primaria dicuntur illa, quæ natura absolute exigit, quia sine illis ordo moralis redditur impossibilis. Illa sunt dictamina quibus præcipitur ordo non secundum gradum aliquem majorem vel minorem perfectionis moralis, sed secundum limites, quibus ordo simpliciter rectus a non recto distinguitur (3).

Secundaria vocantur illa dictamina, in quæ natura valde quidem inclinat, quia sine illis ordo moralis est minus perfectus, quæ tamen absolute non exigit.

Optimum utriusque generis præcepti exemplum habetur in materia indissolubilitatis matrimonii. Matrimonium jure naturæ est indissolubile, sed ea lege, ut contra *jus primarium*, exigens id quod matrimonii fini est essentiale, sit dissolubilitas quæ arbitrio conjugum relinqueretur; non autem dissolubilitas intra certas limites restricta: hæc contrariatur *secundario tantum juri*, exigenti id quod conveniens est et congruum.

Distinctio allata frequens apud moralistas occurit; notandum tamen omnino est: præcepta, *secundaria* nuncupata, improprie tantum et sensu *secundario* (ut

---

(1) Indebite quidam circuli distinctionem hic afferendam æstimaverunt inter præcepta quæ vere et alia quæ probabiliter tantum ad jus naturæ pertinent. Hæc enim distinctio non fit ratione cognitionis sed ratione *connexionis* dictaminum cum principio supremo.

(2) Bouquillon, *o. c.*, p. 207, Noldin, *l. c.*, Van den Berghe, *o. c.*, p. 25.

(3) Meyer, *Institutiones juris naturalis*, P. I, n° 284.

vocabulum indicat) ad jus naturale posse reduci. Lex enim naturalis est mandatum Dei, cui ex parte hominis stricta correspondet obligatio. Sed materia seu objectum circa quod versantur præcepta secundaria sunt actiones, quæ a natura ejusque auctore, Deo, suadentur, quia intrinsece bonæ sunt et naturæ rationali complete spectatæ valde conformes, non autem *præcipiuntur,* quippe quæ non requirantur ut vita hominis simpliciter recta sit et honesta (1).

Præcepta primaria, quibus solis inest vis obligatoria legi essentialis, ratione suæ efficaciæ subdistingui possunt in præcepta, quæ *sub gravi* et alia quæ *sub levi* tantum obligant, secundum gradum reatus culpæ et pœnæ, quem eorum violatio inducit. Distinctio vero peccatorum in gravia seu mortalia et levia seu venialia, a qua nostra deducitur subdivisio, alibi venit explicanda (2).

III° Considerato *modo obligandi*, seu modo quo obligatio contrahitur, præcepta legis naturalis alia sunt **absoluta,** alia, sive ex parte Dei sive ex parte hominis, **hypothetica** (3).

Absoluta *immediate* consequuntur ipsam naturam hominis, qui ex eo tantum quod existit, jam, nulla alia facta hypothesi, iis moraliter adstringitur, ut sunt: non blasphemabis, non occides. Jus igitur naturale absolutum ab ipsa natura hominis initium capit, illudque proinde augurari, profiteri omnes oporteret, etiamsi nulla invicem societas esset, nullaque pactio.

Præcepta hypothetica seu conditionata *mediate* tantum in natura fundantur, i. e. præter factum nativitatis seu existentiæ hominis præsupponunt et consequuntur

---

(1) Cf. Van den Berghe, *o. c.*, p. 25 et p. 33-35, ubi observat cl. auctor: dictamina hujusmodi, etsi per se regulam obligatoriam non constituant, tamen fundamentum præbere legi positivæ ferendæ.

(2) Bouquillon, *o. c.*, p. 678 ss., Noldin, *o. c.*, p. 314 ss.

(3) Bouquillon, *o. c.*, p. 207, D'Annibale, *Summula Theol. Mor.*, ed. 4ª, P. I, Prolegomena, p. 186, Ferreti, *Institutiones Phil. Mor.*, p. 100, 126.

aliud factum, nempe factum divinæ revelationis, vel liberam humanæ voluntatis determinationem; hujusmodi sunt: præceptum supernaturalibus veritatibus adhærendi, quas Deus voluerit homini revelare, (hypotheticum ex parte Dei seu connaturale) (1); præceptum promissa vel vota servandi (hypotheticum ex parte hominis).

Uno igitur verbo: præcepta absoluta legis naturæ *independenter* a quavis conditione obligant, præcepta alterius generis non obligant nisi in suppositione facti, accedentis naturæ in suo esse jam constitutæ. Ast animadvertendum est, præcepta *ex parte Dei* hypothetica seu connaturalia, impleta conditione, æquivalere absolutis respectu omnium hominum, dum hypothetica *ex parte hominis* illum tantum in concreto obligant, qui conditionem vel factum, puta votum, posuerit.

R. De Schepper.

IV

Q. *Quæritur* 1/ *utrum et qualis generis augmentum in virtutibus infusis admittendum sit.*

R. I. Fide certum est virtutes supernaturales homini infusas aliquo saltem sensu, infra determinando, augeri. Id enim luculenter apparet ex Conc. Trid. sess. VI, cap. 10: « Sic ergo justificati et amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut apostolus ait, de die in diem; hoc est, mortificando membra carnis suæ et exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ, *in ipsa justitia* per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, *crescunt* atque *magis justificantur*... Hoc vero justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: *Da nobis, Domine, fidei,*

(1) Van den Berghe, *o. c.*, p. 46.

spei et caritatis augmentum » (1). Et consonant can. 24 et 32 (2). — Ipsa ergo justitia inhærens crescit (cfr. infra dicenda). Hoc autem incrementum gratiæ habitualis non procedit sine augmento parallelo virtutum infusarum, utpote quæ sunt quasi nova principia operationis, illius quasi novæ naturæ participatæ quæ est gratia sanctificans. Perfectiorem enim naturam perfectiores consequuntur proprietates (3). Qui parallelismus innuitur ab ipso Concilio dum augmentum justitiæ declarat per incrementum virtutum infusarum.

Et varia argumenta adduci possunt in demonstrationem hujus doctrinæ catholicæ. Ita :

1/ **Ex S. Scriptura.** — Hortatur Petrus homines conversos a statu peccati ad Christum, ut peccata relinquentes, concupiscant cibum spiritualem, quo crescant in vita spirituali ac supernaturali, sicut modo geniti infantes cibo naturali crescunt in vita naturali. Sed vita supernaturalis habetur per gratiam sanctificantem et virtutes infusas: hæ ergo possunt augeri (4). Quæ doctrina exponitur etiam a Paulo, dum docet Christum dedisse varios rectores eo fine, ut christiani ad spiritualem perfectionem ducerentur et ut pervenirent omnes ad statum viri in perfectione maturi, in quo plenitudinem possiderent donorum Christi in hac vita (5).

2/ Idem manifeste colligitur ex iis quæ in aliis trac-

---

(1) Denzinger, *Enchiridion symbolorum et definitionum,* n. 685.

(2) *Ibid.*, nn. 716 et 724.

(3) Quod si admittenda esset nonnnullorum AA. sententia, juxta quam virtutes Fidei et Spei, utpote habentes, non quidem rationem proprietatis ad justificationem consequentis, sed potius rationem fundamenti et radicis justificationis, sicut possunt servari, recedentibus caritate et virtutibus moralibus, ita possent infundi absque illis, — dici posset has virtutes, ubi solitariæ existunt et informes in peccatore posse augeri, quin cæteræ virtutes, utpote absentes, augeantur. — Cfr. qu. V, et quæ dicenda sunt ad qu. IV mensis seq.

(4) Cf. *I Petr.* II, 1-2; *II Petr.* III, 18.

(5) *Ephes.* IV, 11-13. Cf. J. Van der Meersch, *De Justificatione et de gratia sanctificante*; pro ms., p. 65.

tatibus traduntur de causalitate et efficacia **Sacramentorum.** — Hæc enim omnia et singula conferunt gratiam omnibus obicem non ponentibus, ea quidem quæ mortuorum dicuntur, per se primam, per accidens secundam, seu augmentum gratiæ habitualis; quæ vero vivorum dicuntur, per se secundam gratiam seu augmentum ejusdem conferunt (1).

3/ **Ratio theologica** aptissima desumitur ex analogia quæ viget inter ordinem naturæ et ordinem supernaturalem (2). Omnis enim viventis proprium est sese perficere, et ideo, ubi vel ipsa vita vel vitæ perfectio (3) per habitus habetur, perficietur vivens per hoc quod ipsi habitus perficiuntur. Jamvero gratia est principium novæ vitæ supernaturalis; virtutes infusæ sunt ejusdem principia proximiora. Et proinde sicut, pro quanto habitus naturales acquisiti dari possunt, eo perfectior est vita naturalis, quo firmiores adsunt hi habitus acquisiti, ita augmentum vitæ spiritualis nihil aliud est quam intensio virtutum infusarum (4).

II. Ad quæstionem qualis generis augmentum admittendum sit dicimus: 1/ Docuit olim Vasquez (5) sine errore quidem negari non posse tum parvulis, tum adultis dum justificantur virtute Sacramenti cum sola attritione, infundi habitum justitiæ inhærentem; salva tamen fide sustineri posse, adultis dum justificantur per contritionem perfectam, tale donum non infundi, sed eorum justitiam formaliter consistere in dato *actu* contritionis. *Consequenter* ad hoc, nequaquam definitum esse duxit a Conc. Trid. *augmentum* justitiæ intelli-

---

(1) Cfr. *Coll. Brug.*, VII, 97; X, 225, 586.

(2) *Ibid.*, XII, 709 ss.

(3) Dicitur « ipsa vita vel vitæ perfectio », quia habitus *naturales*, utpote supponentes ipsum posse, seu ipsam vitam, hanc solum *perficere* intelliguntur; habitus *infusi* e contrario ipsum primum posse tribuunt et sic ipsum principium novæ *vitæ* existunt.

(4) Cfr. PIGNATARO, *De Gratia Christi*, p. 417.

(5) 1, 2, disp. 203, c. 6.

gendum esse gratiæ sanctificantis et virtutum, sed tuto sustineri posse augmentum illud formaliter consistere in ipsis *operibus* bonis quæ faciunt justi. Et sic, eodem manente *habitu* justitiæ, homo tamen magis justus diceretur eo quod ampliora ponit *opera* justitiæ, quemadmodum peccator, eodem manente peccato habituali seu privatione gratiæ sanctificantis, tamen magis peccator dicitur, eo quod ampliora ponit opera peccaminosa. — Quam opinionem singularem merito non admittunt, dicente Conc. Trid. *unicam* causam formalem justificationis nostræ esse justitiam nobis inhærentem, actus vero nostros qui justificationem præcedunt exhibente ut dispositiones et præparationes ad justitiam illam (1). Et bene notat Suarez (2) Concilium definivisse (3) opera nostra bona vere *mereri* augmentum gratiæ. « Si autem merentur, profecto formaliter illud non conferunt: nam præmium meriti est aliquid distinctum ab opere meritorio et a formali effectu ejus. Quis enim dicat mereri me per actum dilectionis, ut constituar diligens Deum? »

2° *Ipsorum habituum* proinde augmentum admittendum est. Et patet quidem non esse cogitandum de augmento, quale convenit quantitati dimensivæ, quum virtus sit spiritualis perfectio. Talis autem spiritualis perfectionis augmentum duplex tradunt concipi posse auctores: intrinsecum et extrinsecum. *Intrinsecum* illud est quo habitus in seipso, secundum essentiam suam augetur, seu, ut natura causæ per naturam effectus

---

(1) Et hanc fuisse mentem Concilii colligitur ex iis quæ in præparatione hujus definitivæ formæ doctrinæ de justificatione acta sunt. « Quoniam quibusdam postulantibus ut expressius declararetur, fieri justitiam per habitum infusum, delecti Patres ad id responderunt: Id satis explicari per vocem *inhæret*, quæ stabilitatem significat, et habitibus, non actibus, congruit » (Pallavicini, *Hist. Conc. Trid.*, l. 8, c. 14, n. 13). Cfr. Schiffini, *Tract. de gratia divina*, p. 262.; id., *Tract. de Virtutibus infusis*, p. 43 ss.

(2) *De gratia*, lib. 9, c. 2, n. 10.

(3) *Sess.* VI, *Can.* 32, Denzinger, *l. c.*

pateat, habet efficaciam intrinsecam ad producendum actum intensiorem et perfectiorem, coram Deo magis remunerabilem, quemadmodum augmentum in lumine gloriæ theologi explicare solent in ordine ad perfectiorem visionem beatificam (1). — *Extrinsecum* iterum bifariam intelligi potest: *primo,* attenta majore remotione impedimentorum quæ exercitio virtutis obstare solent vel majore facilitate agendi ex habitibus acquisitis oriunda; *secundo*, attento objecto materiali circa quod virtus aliqua versatur; quo sensu fides in nova lege dicitur major fide antiquorum patrum, quatenus ad plura objecta se extendit, quæ istis nondum revelata fuerant, vel quo sensu fides doctorum major dicitur fide simplicium fidelium, quatenus distinctius et explicatius eadem objecta complectitur. Et bene apparet cur duplex illud augmentum dicatur ipsi virtutis esssentiæ extrinsecum : prius quidem ex iis quæ dicta sunt apud *Coll. Brug.,* t. XII, p. 751 ss.; alterum vero, quum, ut eodem exemplo pergamus, quævis vel minima virtus Fidei necessario se extendat ad omnes omnino actus supernaturales Fidei qui fieri possunt (2). Si enim pauciora numero aut minus explicite attinguntur objecta materialia, hoc unice pendet a conditionibus accidentalibus, et minime impedit quominus vel antiquiores vel simplices nostri fideles dicta objecta attingant actu æque vel magis perfecto et renumerabili.

Porro, ex argumentis supra allatis patet, non tantum extrinsecum, sed etiam intrinsecum esse admittendum. Postquam enim, sess. VI, cap. 7 statuit Conc. Trid. justificationis impii unicam causam formalem esse justitiæ donum inhærens, cujus causa meritoria D. N. J.-C., cap. 10 docet per opera bona fideles in ipsa hac justitia per Christi gratiam accepta (et consequenter in ipsis virtutibus infusis) crescere et magis justificari. — Quo

(1) Cfr. S. Th. II-II, q. 24, art. 4, ad 3.
(2) Cfr. SCHIFFINI, *Tract. de Virtutibus infusis,* p. 45.

sensu obvie intelliguntur testimonia S. Scripturæ, ut vere dicamur crescere *in ipsa vita* supernaturali. — Item augmentum justitiæ et virtutum, quod per Sacramenta confertur *parvulis*, *extrinsecum* intelligi nequit, sed vere intrinsecum dicendum est. Unde recte infertur idem dicendum esse de incremento justitiæ et virtutum quod in Sacramentis adultis confertur — siquidem eadem erga hos est efficacia Sacramentorum, — et de incremento quod per opus operantis extra Sacramenta obtinetur, — siquidem « justitia inhærens sive ex opere operato sive ex opere operantis ejusdem est rationis juxta communem sententiam theologorum cum S. Thoma (III, q. 62, a. 2) » (1).

Posset ulterius poni quæstio, magis philosophica, in quonam consistat hoc augmentum virtutum, utrum nimirum fiat per physicam additionem entitatis ad entitatem, seu gradus ad gradum — cui obstare videtur recta notio habitus infusi, qui est forma simplex, non habens quantitatem ex seipsa — an vero per hoc quod « subjectum hanc formam magis participat, h. e. quatenus anima magis actuatur ab hac forma, seu quatenus hæc forma magis radicatur in anima » (Van der Meersch, *o. c.*, p. 65). Hanc sententiam habet S. Thomas: « Cum (caritas — et idem dic de gratia et de aliis habitibus infusis) accidens sit, ejus esse est inesse, unde nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subjecto, quod est magis eam radicari in subjecto » (II-II, q. 24, a. 4, ad 3).

V

Q. 2°/ *Quanam ratione causalitatis operationes nostræ supernaturales ad hoc augmentum concurrant.*

R. Ex dictis ad qu. IV, patet duplici via augeri in nobis habitus infusos gratiæ et virtutum: tum ex opere operato, tum ex opere operantis. Et ideo

(1) Schiffini, *o. c.*, p. 47.

I/ quæstio poni posset quanam ratione causalitatis actus nostri influant in augendos dictos habitus *per Sacramenta*. Circa quam duo essent inquirenda. Contingit enim imprimis actus nostros esse partem constitutivam ipsius *signi* sacramentalis, quemadmodum consensus contrahentium in Sacramento matrimonii, aut actus pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ. — Præterea in omnibus Sacramentis constat certas quasdam requiri *dispositiones* in subjecto recipiente, ne obex ponatur sive receptioni primæ gratiæ sive gratiæ jam habitæ majori augmento. Quam quæstionem, utpote plenius solutam in aliis tractatibus prætermittimus (1). — Et ideo

II/ ponitur quæstio de ratione causalitatis qua opera nostra bona, *opera operantis,* concurrant ad intrinsecum augmentum virtutum infusarum (2). — Et quod de facto opera hæc nostra sint aliquo sensu *causa* talis augmenti, patet iisdem quæ supra adduximus argumenta. Dicit enim Conc. Trid. nos in justitia crescere « *per* observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ », et damnat tum qui dixerint justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo *per bona opera* (can. 24), tum qui dixerint hominis justificati bona opera non vere *mereri* augmentum gratiæ (can. 32). — Et inde est quod AA. sacri nos *exhortantur* ut « crescamus in salutem » (I Petr., l. c.), ut « in charitate crescamus » (Ephes., IV, 15), ut « deponamus veterem hominem et induamus novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate » (ibid., 20-24). — Et innuit analogia vigens inter ordinem naturalem et supernaturalem, quod, sicut habitus acquisiti augentur per actus

---

(1) Cfr. *Coll. Brug.*, VI, 513 ss.

(2) Prætermittimus quæstionem utrum Deus, sine ulla dispositione subjectiva, augere possit in justo existentes habitus — et agimus de communi et connaturali ordinis gratiæ providentia secundum quam adulti, extra Sacramentorum receptionem in gratia et virtutibus proficiunt.

naturales, ita et habitus infusi augentur per actus supernaturales.

Duplex autem est causandi modus : alter causæ *moralis,* quæ nimirum « non inducit immediate per semetipsam effectum principaliter intentum, sed movet et allicit aliam causam ad id præstandum, ut patet in consilio, suasione, meritis et aliis causis moralibus (1). Causa autem *physica* influit in suo genere immediate per id quod in se et ex natura sua habet, licet nec concursum aliarum causarum excludat, sicut materia per seipsam recipit, forma per seipsam informat, et agens per suam virtutem agit ». Hinc sequitur *dispositionem physicam* illam esse causam quæ per seipsam præstat id quod est disponere, quæ nimirum per seipsam expurgat subjectum a dispositionibus contrariis, et ipsum determinat et trahit ad participationem formæ, sicut dicitur actus contritionis perfectæ dispositio physica ad infusionem gratiæ, eo quod removet eas dispositiones quæ obstant infusioni et existit titulus physice exigens hanc infusionem (2). — His præmissis, dicimus :

1/ Certum est non posse actibus nostris attribui relate ad intrinsecum augmentum habituum infusorum, *efficaciam physicam,* eamque sive principalem sive instrumentalem. Per hos enim habitus elevatur homo super totum esse naturæ suæ propriæ ; unde relate ad eos primo producendos non datur in homine nisi mera potentia passiva obedientialis, seu nonrepugnantia quominus eis informetur, et nulla naturalis et positiva aptitudo ad eos educendos. Id autem « eodem prorsus modo valet, eodemque pondere applicatur respectu subsequentis augmenti, siquidem subjectum actuatum secundum perfectionem supernaturalis virtutis, manet

---

(1) Patet denominationem causæ *moralis* hic sumi sensu generali, et ideo minime eamdem specificam rationem causalitatis attribui suasioni puta, et merito.

(2) Cfr. SALMANT., *Tract. de Caritate,* disp. V, dub. II, § 1.

tamen in potentia mere obedientiali ad hoc ut in ejusdem perfectionis actum magis magisque reducatur » (1).

2/ Vera tamen causalitas admittenda est, et quidem alia ubi agitur de habitibus primo infundendis, et ubi de iisdem augendis. Ad rem S. Thomas: « Non eodem modo se habet actus informatus Caritate (et idem dic de actibus aliarum virtutum quæ existunt in justo) ad augmentum Caritatis, et actus præcedens Caritatem ad habendam Caritatem. Actus enim qui est ex Caritate, ordinatur ad *augmentum* Caritatis, et per modum *dispositionis* et per modum *meriti* (de condigno) (2) sed actus præcedens Caritatem ordinatur ad *consequendam* Caritatem solum per modum *dispositionis*, non per modum meriti: quia ante Caritatem nullum potest esse meritum (de condigno) » (3). Et revera, ut dictum est supra, anima, tum relate ad primam gratiam tum relate ad

---

(1) Billot, *De Virtutibus infusis*, p. 43. Ad rem S. Thomas, de Virt., a. 11 « Virtutes (naturales aut supernaturales) intenduntur in quantum subjectum reducitur magis in actum ipsarum per actionem agentis causantis eas. Unde sicut virtutes *acquisitæ* augentur ex actibus per quos causantur, ita virtutes *infusæ* augentur per actionem Dei a quo causantur ». — Neque objiciat quis, sicut per actus naturales efficienter et physice acquiritur et intenditur habitus naturalis, ita per actus supernaturales efficienter produci primum et augeri habitum supernaturalem. Hæc enim analogia optime ostendit actibus nostris supernaturalibus relate ad habitus infusas, *aliquam* causalitatem esse adscribendam; nequit autem efficientiam physicam probare. Et revera actus quicumque repetiti, possunt quidem conferre ut quis *facilius* utatur posse suo; sed ipsam *facultatem*, ipsum posse *supponunt* adeoque nec acquirere nec augere illam valent. Sicut sæpius exercendo facultatem intellectivam potest aliquis obtinere ut *facilius* utatur hac facultate, hanc autem ipsam acquirere aut augere, ut patet, non valet. Jamvero habitus naturales acquisiti præcise supponunt ipsum posse, et tantum tribuunt facilius operari; virtutes autem infusæ conferunt vel magis indunt ipsum posse simpliciter. Et hinc quidem sequitur actus supernaturales repetitos, utpote procedentes a facultate *naturali elevata* physice neque producere neque intrinsece augere habitum supernaturalem, sed tamem physice causare et intendere habitum *naturalem*, et sic *extrinsece* augere habitum supernaturalem. Cfr. *qu. præc.*, et *Coll. Brug.*, VI, 248 ss.

(2) Et idem dici debet de quolibet actu bono posito a justo, juxta doctrinam propugnatam apud *Coll. Brug.*, XII, 18.

(3) *In I* Dist. XVII, q. II, a. 3.

ejus augmentum *efficiendum,* est in potentia mere obedientiali. Et ideo in utroque casu dicta capacitas, mere obedientialis, ex se indifferens, *determinanda est et trahenda* ad gratiam ejusve augmentum. Quum vero Deus moveat omnia secundum modum uniuscujusque, homo autem secundum propriam naturam habeat quod sit liberi arbitrii, optime fieri intelligitur dicta determinatio per actus nostros liberos et supernaturales, gratiæ infundendæ vel augendæ proportionatos (1).

Corollaria. 1/ Ex dictis deduci posse videtur sive habitus primo infusos, sive habituum existentium augmentum, proportionari ipsi intensitati actuum qui sunt causa infusionis vel augmenti. Quod principium manifeste applicat S. Thomas, in III, q. 89, a. 2: « Manifestum est... quod formæ quæ possunt recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur, secundum diversam dispositionem subjecti... Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in pœnitentia est intensior vel remissior, secundum hoc pœnitens consequitur majorem vel minorem gratiam » (2).

2/ Hinc desumunt nonnulli argumentum ad solvendam quæstionem utrum *per actus remissos,* id est non procedentes secundum totam entitatem et perfectionem virtutum, augeantur virtutes infusæ. Si enim, aiunt, ad augmentum earum requiritur actus tanquam dispositio ultima proportionata, videtur solo actu ferventiori illud acquiri. Unde, contra alios, censentes omnes actus supernaturales quantumvis remissos (3) exigere actuale

---

(1) Cfr. S. Th., II-II, q. 112, a. 3.

(2) Relinquimus quæstionem quanam gratia eliciatur hic actus disponens ad justificationis et virtutum infusionem aut augmentum; utrum nim. a gratia actuali, an vero, quæ videtur esse sententia S. Thomæ, ab ipsis gratiæ habitualis et virtutum habitibus jam infusis vel auctis (cfr. Van der Meersch, *o. c.,* p. 48 ss., 74 ss.).

(3) Quidquid de hac re censendum sit, notari tamen potest falsa specie abduci qui illam efficaciam denegant actibus remissis, ex eo quod eum qui per tempus actus tantum remissos elicit, assimilant illi qui tepiditati indulget. Hæc enim duo minime confundenda sunt, quam tepor secum

augmentum gratiæ, illudque semper statim tribui, concludunt actus remissos, esse quidem de condigno meritorios augmenti virtutum, sed tamen non esse dispositionem requisitam saltem ad hoc ut augmentum actu conferatur. Dicitur *saltem ad hoc...*, quia ex iis qui negant augmentum actu concedi, alii tenent illud concedi in momento quo quis in ferventiorem actum prorumpit, alii in momento mortis, alii nunquam illud concedi affirmant. Hi ultimi proinde statuunt augmentum virtutum infusarum pro quanto dependet ab opere operantis, proportionaliter imitari augmentum virtutum acquisitarum et viam sequi parallelam, et sic, « sicut actus remissus, non est efficiens causa incrementi habitus in acquisitis, ita nec in infusis, utpote utrobique effectui improportionatus, illic quidem in ratione causæ efficientis, hic vero in ratione dispositionis ». Et addunt nullam dari repugnantiam in eo quod actus remissus sit meritorius augmenti, hoc autem non concedatur, « quia meritum nunquam est de aliqua re, nisi sub conditione dispositionis ad ejus consecutionem requisitæ » (1).

A. Vander Heeren.

VI

Q. *Qualem valorem juridicum habeat Corpus juris canonici* (2).

PN. Præcipue dividuntur collectiones canonicæ in *privatas* et *publicas* seu authenticas, ratione auctoritatis

---

ferat multas positivas imperfectiones et defectus saltem veniales, dum actus illi remissi, juxta omnes, meritorii existant; item quum actus remissi, puta illius qui habet virtutem ad gradum 100, et elicit actum ad gradum *90*, multo perfectior existere possit quam actus qui dicitur intensior, puta illius qui habet virtutem ad gradum 10 et elicit actum ad gradum *20*.

(1) Billot, *o. c.*, p. 44.

(2) De hac re scientifice disseruerunt: Von Schulte, *Geschichte der Quellen und Litteratur des canonischen Rechts*, 3 vol. Stuttgart, 1875-1880, t. I et II; Friedberg, in Prolegomenis ad editionem suam criticam Cor-

qua factæ sunt. Collectio stricte *publica* ea est quæ a supremo legislatore Ecclesiæ ita est facta — aut postmodum approbata — et publicata, ut singulæ leges, cujusvis sint originarii valoris, vi insertionis suæ in hujusmodi collectione valorem legis universalis quoad partem dispositivam in foro ecclesiastico habeant. *Privata* vero est privatum solummodo opus collectoris, vel si intercedit aliqua publica auctoritas, tamen canones illic relati, aliam vim juridicam non obtinent, nisi eam quam acceperunt ex fontibus unde desumpti sunt, ad quos proin fontes recurrendum est (1).

R. Jamvero Corpus juris cononici non est una collectio authentica, sed complexus plurium collectionum, quibus singulis non idem inest valor juridicus (2).

I. Decretum Gratiani. Quamvis magnam nactum sit auctoritatem, sitque pro studio juris fons maximi

---

poris juris canonici, Lipsiæ 1879-1881; Laurin, *Introductio in Corpus juris canonici*, Friburgi-Brisgoviæ, 1889, quem præsertim imitatus est Fr. Scala, *Saggio storico critico sul Corpo del diritto canonico*, Napoli, 1904. Cf. etiam opera generalia: De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. comp.*, edit. 7. *Introductio*, p. XXXVII ss.; Wernz, *Jus Decretalium*. T. I. *Introductio*, nº 230 ss., p. 312; nº 263 ss., p. 345; Saegmueller, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts*, p. 126 ss., Freiburg-i-B., 1900-1904; Hergenroether-Hollweck, *Lehrbuch des Katholischen Kirchenrechts*, p. 180, Freiburg-i-B., 1906; Friedberg, *Katholisches und evangelisches Kirchenrecht*, ed. 5, p. 128 ss., Leipzig, 1903 etc. — Hæc quæstio non ita brevi tempore ad historiam juris canonici pertinebit. Etenim in Motu proprio, 19 martii 1904, *Arduum sane* « ea est mens Sanctitatis suæ Pii X, ut universum canonicum jus in canones seu articulos ad formam recentiorum Codicum apte distribuatur, eodemque tempore, documenta, *post authenticas Corporis juris collectiones prodita*, ex quibus præfati canones seu articuli desumpti sunt, simul colligantur ». Litteræ Ill^mi Gasparri, secretarii Commissionis pontificiæ pro Ecclesiæ legibus in unum redigendis, d. d. 6 apr. 1904. Cf. *Revue des sciences ecclésiastiques*, 1904, t. LXXXIX, p. 545 s.

(1) Wernz, *o. c.*, n. 196, p. 270 s.

(2) Sunt inter circulorum collatores, qui miram, sane non mirandam, effinxerunt huic quæstioni responsionem, alii non discernendo inter corpus juris canonici et jus canonicum, canones Conciliorum, regulas juris; alii disserendo de Corpore juris canonici, et non de hujus vi juridica.

ponderis, tamen vim collectionis vere authenticæ nec a principio habuit, nec in posterum consecutum est. Neque Romani Pontifices Pius IV, Pius V et Gregorius XIII, qui opera Correctorum Romanorum Decretum mendis corrigendum susceperunt, Gratiani librum tanquam legalem agnoverunt, cum illum tantum emendari jusserint et ita emendatum sine additionibus ac detractionibus mandaverint observari (1). Quare, soli et singuli canones, textusque juridici hanc vim habent quam merentur ex suo fonte, si illi accurate respondere deprehendantur ; cœtera omnia, dicta et summaria ipsius Gratiani, rubricæ et inscriptiones valent tantummodo ut assertiones et additamenta hominis privati (2). Pauca tamen Decreti documenta, imo et quædam dicta Gratiani vim majorem ea quam originario fonte habebant, expressa aut tacita approbatione Romanorum Pontificum aut Conciliorum œcumenicorum aut consuetudine universali mutuata sunt (3).

Opportumen duximus nunc temporis usitatum modum *citationis* pro variis partibus Decreti hic adnectere.

I Pars: c. 4, D. 28 = canon 4, Distinctionis 28.

II Pars: c. 3, C. V, q. 2 = canon 3, Causa V, quæstio 2. Tractatus de Pœnitentia, qui quæstio 3 est Causæ XXXIII, citatur: c. 8, D. 4 de pœnit. = canon 8, Distinctionis 4 de pœnitentia.

III Pars: c. 2, D. 3 de consecr. = canon 2, Distinctionis 3, de consecratione.

II. Decretales Gregorii IX. Hanc collectionem, cura S. Raymundi de Pennafort canonistæ præstantissimi, elucubratam, Gregorius IX, bulla *Rex pacificus*, 5 septembris 1234, sua auctoritate suprema communivit

---

(1) Friedberg, in prolegomenis ad editionem Corporis jur. can. t. I, col. LXXVI ss.; Laurin, *o. c.*, p. 63 ss.; Scala, *o. c.*, p. 29 ss.

(2) Wernz, *o. c.*, nº 235, p. 316 ; Laurin, *o. c.*, p. 74 ss.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. XL ; Laurin, *o. c.*, p. 78.

et rite publicavit. Inde est *collectio authentica* cujus omnes partes dispositivæ, vi insertionis et novæ promulgationis, ex tunc ut leges universales habendæ sunt. Præterea habet valorem *exclusivæ compilationis*, cujus publicatione abrogatæ fuerunt omnes compilationes anteriores, post Gratianum factæ, ita ut novam collectionem in judiciis et in scholis unice adhiberi fas sit. Abrogatæ tantum intelliguntur quinque compilationes antiquæ (1), quarum tertia et quinta pontificia auctoritate publicatæ fuerant; non vero sublatæ sunt omnes leges anteriores, nisi fuerint generales et Decretalibus Gregorii IX contrariæ.

Præter capita in parte sua dispositiva, solæ Rubricæ, si præceptivæ aut prohibitivæ sensum habent completum, ut veræ leges generales allegari possunt, alias, valore tantum directivo gaudere dicendæ sunt. Cæteræ omnes Decretalium partes, uti inscriptiones historicæ capitum, summaria etc., vi legali carent et sunt solummodo adminicula interpretationis (2).

Citatur: c. 5, X, III, 5 vel c. 5, X de præb. III, 5 = caput 5 Decretalium extra (= X) Decretum Gratiani vagantium, titulus 5 de præbendis, liber III.

III. Sextus Decretalium Bonifacii VIII.

Bonifacius VIII Const. *Sacrosanctæ*, 3 martii 1298, promulgavit novum codicem legalem qui, adjectus quinque libris Decretalium Gregorii IX, *Liber sextus* ab ipso Pontifice nuncupatus est. Liber sextus, ut prior compilatio gregoriana, gaudet auctoritate collectionis *authenticæ,* cujus singula capita in parte dispositiva, vi et momento novæ promulgationis, valorem legum universalium adepta sunt, licet originetenus hunc valorem non habuerint; consequenter legibus generalibus prio-

(1) Wernz, *o. c.*, nº 237s s., p. 318 ss.; Friedberg in prolegg., p. V ss., ad Quinque compilationes antiquæ, Lipsiæ 1882.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. XLIII.

ribus et contrariis, etiam in collectione Gregorii IX inclusis, derogavit. Præterea illa nova collectio intentione legislatoris est *exclusiva* omnium *Decretalium* a prædecessoribus Bonifacii VIII inde a publicata collectione gregoriana editarum (1234-1294), nisi in Libro VI fuerint insertæ aut specialiter reservatæ seu exceptæ (1). Quæ supra dicta sunt de vi juridica rubricarum, summariorum, inscriptionum prioris compilationis, æquo jure valent pro collectione bonifaciana. Demum, cum Libri VI appendix *de regulis juris* una cum collectione auctoritate pontificia fuerit publicatus, inde sequi videtur, huic pro foro ecclesiastico eumdem valorem legalem competere (2).

Citatur: c. 1 in VI°, de elect. I, 6 = caput 1 in sexto libro Decretalium, titulus 6 de electione et electi potestate, liber I.

IV. Clementinæ. Collectionem emendatam Clementis V publicavit Joannes XXII, bulla *Quoniam nulla,* d. d. 25 octobris 1317. Est collectio constitutionum *publica,* at non *exclusiva,* sc. per illam non sunt illæ constitutiones extravagantes, quæ inde a pontificatu Bonifacii VIII publicatæ fuerint (1294-1314) et in hanc collectionem receptæ non sunt, suo valore originali privatæ seu abrogatæ (3).

Citatur: c. 1 in Clem. de rescr. I, 2 = caput 1 in Clementinis constitutionibus, titulus 2 de rescriptis, liber I.

V. Extravagantes Joannis XXII et extravagantes communes sunt collectiones privatæ, utpote a viro privato confectæ. Porro singulæ Extravagantes, his collectionibus comprehensæ tunc tantum valorem

---

(1) Cf. c. 20 in VI°, de hæret. V, 2; c. 1, § Nos igitur in VI°, de renunt. I, 7 etc. Laurin, *o. c.*, p. 185 ss.; Wernz, *o. c.*, n° 217, p. 330, nota (109).

(2) Saegmueller, *o. c.*, p. 133; Scherer, *Handbuch des Kirchenrechts,* t. I, p. 252. Graz, 1886. Cf. tamen von Schulte, *o. c.*, t. II, p. 44; Laurin, *o. c.*, p. 187; Wernz, *o. c.*, n° 247, p. 330.

(3) V. Schulte, *o. c.*, t. II, p. 45 s.

habent si earum textus alicubi relatus genuinus sit et integer — quod quidem pro *editione Romana* jussu Gregorii XIII a. 1582 promulgata præsumendum est. Consequenter etiam per se non nisi tantum valent, quantum valebant antequam in eas insertæ sunt (1).

Citantur : c. 2, Extrav. Joann. XXII (vel Xvag. Jo. XXII), de concess. præb. IV = caput 2 Extravagantium Joannis XXII, tituli IV de concessione præbendarum.

c. 1, Extrav. comm. de M. et O. I, 8 = caput 1 Extravagantium communium, titulus 8 de majoritate et obedientia, liber I.

A. De Meester.

(1) Laurin, *o. c.*, p. 220.

COMMENTARIUS

IN DECRETUM DE

Sponsalibus et Matrimonio.

(*Sequitur*. — Cfr. suprà p. 99 ss.).

ARTICULUS SECUNDUS.

De Extensione et promulgatione Legis.

§ 1. DISCIPLINA TRIDENTINA.

I. Circa matrimonia infidelium.

Lex Tridentina clandestinitatis, solam spectans *matrimonii* celebrationem, non tantùm non attingebat matrimonia infidelium inter se contrahentium, sed nec, per se et re abstracte sumpta, conjugia infidelis contrahentis cum parte baptizata, eo quod prioris partis exemptio, propter individuitatem contractus, alteri parti censebatur communicata (1).

Dicitur: « per se et re abstracte sumpta », quia per accidens et in concreto, in ipsa dispensatione super disparitate cultus, ad valorem necessaria, injungi solet nuptiarum celebratio in forma Tridentina (2).

II. Circa matrimonia inter baptizatos.

Imprimis facienda est distinctio inter loca subjecta et non subjecta, inter loca exempta et non exempta pro hæreticis, inter exempta simpliciter et exempta secundum quid. Nimirum

1° Non vigebat Caput *Tametsi* in omnibus paræciis, in quibus non fuerat, jussu Ordinarii, promulgatum,

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 579.
(2) Cf. Boudinhon, *o. c.*, n. 100.

nec per legitimam consuetudinem, aut formale S. Sedis decretum, inductum, aut in quibus per inobservantiam catholicorum in desuetudinem abierat. Hujusmodi loca erant *non subjecta,* qualis erat Anglia, Dania, Norvegia.

2°/ Inter ipsa loca in quibus lex vigebat, quatenus fuerit in illis rite promulgata vel legitimè inducta, quædam erant *exempta pro hæreticis*, seu acatholicis, idque vel a/ *simpliciter,* quatenus immunitas afficiebat tum matrimonia hæreticorum inter se, tum matrimonia mixta; vel b/ *secundum quid*, quatenus immunitas restringebatur ad sola connubia hæreticorum inter se.

Porro *acatholici* censebantur, ad tramites Rescripti C. S. O., 6 Aprilis 1859: « a/ illi qui catholice baptizati, a pueritia nondum septennali in hæresi educantur ac hæresim profitentur; b/ qui non tam in hæresi quam ab hæreticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla hæreticæ doctrinæ instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato; c/ qui adhuc pueri in manus hæreticorum incidentes hæreticæ sectæ adjunguntur; d/ apostatæ ab Ecclesia catholica ad hæreticam sectam transeuntes; e/ qui nati et baptizati ab hæreticis adoleverunt quin ullam solemnem hæreseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis sint ».

3°/ In reliquis locis vigebat lex clandestinitatis pro omnibus baptizatis, sive orthodoxis sive hæterodoxis. Erant nempe *loca subjecta*, uti Belgium, Gallia et alia hujusmodi (1).

Quibus positis, et attenta indole legis vim personalem et localem habentis (2), ac ratione habita communicationis immunitatis unius partis alteri, hæc erant principia moderantia valorem matrimonii sub disciplina Tridentina:

---

(1) Circa varias locorum species respectu legis clandestinitatis, fusius egimus apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 462 s., et pp. 568 ss.

(2) Instr. C. S. O. 14 Dec. 1859, apud *Collectan.*, n. 1403.

Primum: Legi clandestinitatis obnoxia erant omnia matrimonia *in loco subjecto* inita inter baptizatos quoscumque, sive catholicos sive acatholicos, undecumque venientes.

Secundum: Dictæ legi non erant obnoxia matrimonia contracta *in loco non subjecto*: quotiescumque vel a/ saltem una pars vaga existebat, aut domicilium vel quasi-domicilium habebat sive in illo loco, sive in alio loco non subjecto; vel b/ saltem una pars hæretica erat et veniebat e loco pro hæreticis simpliciter exempto; vel c/ utraque pars hæretica erat et veniebat e loco exempto secundum quid, pro hæreticis inter se. Reliqua matrimonia ibidem erant celebranda in forma Tridentina.

Tertium: Eidem legi non erant obnoxia connubia inita *in loco simpliciter exempto*: quotiescumque a/ saltem una pars hæretica erat, et simul vaga existebat aut domicilio seu quasi-domicilio pertinebat ad illum locum vel ad alium locum non subjectum aut simpliciter exemptum; vel b/ utraque pars hæretica erat, et saltem una pars veniebat e loco exempto secundum quid pro hæreticis inter se.

Quartum: Eidem legi non erant obnoxia matrimonia inita *in loco exempto secundum quid,* pro hæreticis inter se: quotiescumque utraque pars hæretica erat, et saltem alterutra pars vaga existebat, aut domicilium seu quasi-domicilium habebat in illo loco, aut in alio loco non subjecto, aut quomodocumque exempto.

Nota. Decretum *Tametsi* solum spectabat *valorem* nuptiarum, et nihil statuebat circa formam *sponsalium.*

§ 2. DISCIPLINA NOVA.

Ex dictis sub paragrapho 1ª facilè conjicitur jus Tridentinum, quoad ejusdem extensionem, non parùm intricatum esse, ac ansam præbere variis hæsitationibus et incommodis; meritò proinde opportunum judicavit

S. Sedes uniformem in hoc negotio ac simplicem normam inducere: quam normam breviter proponimus, hoc attento quod nova lex clandestinitatis non tantùm validam sed etiam licitam celebrationis nuptialis formam determinat, quodque tam sponsalium quam matrimonii formalitates regit. Et quidem

I. Quod spectat MATRIMONIA.

1°/ *Ubique*, saltem in Ecclesia Latina (1), viget nova lex tum in quantum est irritans, tum in quantum est prohibens: ubique nempe censetur promulgatum præsens Decretum, per ipsam ejusdem transmissionem ad locorum Ordinarios (2).

2°/ *Exempti* sunt a lege *acatholici*, sive baptizati sive non baptizati: hi, quia non subsunt jurisdictioni

---

(1) Coram S. Congregatione Concilii propositum est et die 1ª Februarii currentis anni solutum dubium, utrum catholici *ritus Orientalis* præscriptionibus Decreti *Ne Temere* adstringantur; nempe respondendum censuerunt EE. PP.: « *quoad catholicos ritus Orientalis nihil esse immutatum* ».

Et revera, uti ratiocinatur Consultor in *Voto* apud *Anal. Eccles.*, 1908, p. 6, relato « rem ita se habere in apertis est, nec longa eget demonstratione ». Provocat autem ad auctoritatem Benedicti XIV, qui, in opere *De Ritibus*, ad quæstionem « num Græci Orientales ad observandas et retinendas Pontificias Constitutiones obligati sint, sive eæ intra generalia Concilia, sive extra eadem sint promulgata », hæc animadvertit: « Super hujusmodi controversiæ examine, cum die 4 Julii anni 1631 doctorum virorum Congregatio in palatio Cardinalis Pamphilii, qui postea ad S. evectus Pontificatum Innocentii X nomen assumpsit, habita fuisset, sequenti modo conclusum et promulgatum est: *Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificiis Constitutionibus nisi in tribus casibus: 1°/ in materia dogmatum fidei; 2°/ si Papa explicitè in suis Constitutionibus faciat mentionem et disponat de prædictis; 3°/ si implicitè in iisdem Constitutionibus de iis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium.* Porro, ita pergit Consultor, nullum ex his tribus casibus in themate videretur haberi ».

Reliqua dubia quæ movet laudatus Consultor, notatim circa casum ubi pars latina contrahat cum orientali catholica, vel cum orientali acatholica, illa, inquam, dubia insoluta reliquit S. Congregatio.

(2) Promulgatio censetur facta per Decreti transmissionem Romæ factam, imo per ipsum transmissionis mandatum; nec proinde exspectandum est momentum quo ad Ordinarios pervenerit Decretum, nec refert etiam quod ad unum alterumve Ordinarium ex oblivione non sit transmissum.

Ecclesiæ; illi, quia Ecclesia non urget suam legem in illos.

3°/ *De regula generali*, immunitas acatholicis favens ita est intelligenda ut non communicetur parti catholicæ, utque adeo acatholici, sive fideles sive infideles, non sint a lege immunes nisi in quantum contrahunt inter se, minimè vero ubi contrahunt cum parte catholica.

Exceptio fit, *quoad hoc tertium,* pro regionibus *pro quibus aliter a S. Sede est statutum*, quatenus ibidem valeant matrimonia mixta clandestinè celebrata.

Quæ sufficiunt ut illicò appareat quantopere, quoad legis extensionem, differat nova œconomia ab œconomia **Tridentina.** Nimirum

A/ **Quoad matrimonia infidelium:**

Jam non favet ipsis principium communicationis unius exemptionis alteri: unde matrimonia inter partem infidelem et partem fidelem non sunt, uti antea, legi clandestinitatis per se subducta, ratione infidelitatis unius partis; sed, ratione subjectionis partis fidelis, obnoxia sunt legi, etiam abstractione facta a clausulis dispensationis, nisi aliunde sint exempta, juxta mox dicenda.

B/ **Quoad matrimonia fidelium:**

1°/ Nulla deinceps dantur loca *non subjecta*, sed ubicumque matrimonia contrahuntur *a catholicis inter se*, obnoxia sunt legi irritanti et prohibenti. Ita notabilis est juris immutatio in Anglia, Suecia etc., ubi catholici, qui hucusque valide contrahebant matrimonia clandestina, sub pœna nullitatis, tenentur contrahere coram parocho et 2 testibus.

2°/ *Omnia* loca in posterum sunt *exempta secundum quid*, adeo ut nuptiæ *inter duos acatholicos* clandestinè celebratæ valeant, ubicumque illas iniri contigerit. Quæ mutatio afficit nostras regiones, in quibus hucusque omnia matrimonia decreto clandestinitatis regebantur, quæ contrahebantur inter duos baptizatos, quantumvis acatholicos.

3°/ De regula generali et salva derogatione per S. Sedis statutum inducta, jam non dantur loca *simpliciter exempta* quoad matrimonia mixta: generatim nempe applicatur disciplina quæ, vi decreti S. C. Neg. extraord., 12 Januarii 1899, viget in insula Melitensi, ubi valida sunt declarata clandestina matrimonia hæreticorum *inter se*, non autem matrimonia *mixta*.

Porro *acatholici* reputantur, juxta præsens Decretum, illi qui nec in Ecclesia catholica sunt baptizati, nec unquam ad eam ex hæresi aut schismate sunt conversi, ita ut catholici censeantur tum illi qui in Ecclesia catholica Baptisma susceperunt (1), tum illi qui ex schismate aut hæresi in ejusdem gremium sunt recepti, licet, sive hi sive illi, ab eadem Ecclesia catholica postea defecerint.

Huc igitur redit nova œconomia matrimonialis, quoad ejusdem vim extensivam: *Ipsi obnoxia sunt omnia et sola matrimonia, ubicumque ineunda, inter duas partes sensu exposito catholicas; vel etiam, salva memorata derogatione, inter unam partem catholicam et alteram partem acatholicam, sive fidelem sive infidelem.*

Manet inquirendum circa ambitum **derogationis seu exceptionis** factæ, et primò quidem ad quasnam regiones extendatur, secundò quid præcisè importet derogatio.

Ad primum: Notum est duplicis speciei dari regiones in quibus hucusque valida habentur matrimonia mixta, inter partem hæreticam et catholicam contracta: aliæ dicto privilegio fruuntur *ex dispensationis indulto*, quemadmodum nuper contigit pro Imperio Germanico, favore

---

(1) Hujusmodi sponsi sunt illi « qui ipso Baptismo ad Ecclesiam catholicam pertinere demonstrantur. Tales imprimis sunt qui ex parentum vel tutoris voluntate ad Ecclesiæ catholicæ fontes deferuntur; tales etiam qui, ex parentibus catholicis oriundi, a laico in necessitate sunt baptizati. Tales contrà non erunt quos ministellus hæreticus vel schismaticus ex voluntate parentum... baptizavit ». VERMEERSCH, *De Forma sponsalium ac matrimonii post Decretum « Ne Temere »*, Brugis, 1908, n. 87.

Constitutionis *Provida*, diei 18 Januarii 1906 (1), ac olim, per rescriptum 19 Martii 1795, pro Hibernia (2); aliæ vero in quibus *declaratum est* (3) a lege clandestinitatis non attingi hæreticos, sive inter se contrahentes, sive, propter individuitatem contractus, cum parte catholica.

Jamvero, attento tenore, dubitationi est locus utrum solis prioris speciei regionibus applicetur, utrum vero etiam alterius speciei locis: ad hæc privilegium extendunt BOUDINHON, o. c., n. 99; HARING, o. c., p. 32 s., quibus favet SCHAEPMAN, *Ned. Kath. Stemmen*, p. 346 ss.; ancipites autem hærent Card. GENNARI, o. c., p. 37 ss.; LEITNER, o. c., p. 59; Mc NICHOLAS, apud *Ecclesiastical Revieuw*, 1908, p. 161 s.; R. P. VERMEERSCH, o. c., n. 90, qui tamen non parum favet Declarationis suppressioni, minus insistens verbis legis (4) quam gravibus incommodis ex altera solutione oriundis (5).

Et revera si servaretur exemptio quoad matrimonia mixta in omnibus locis ad quæ extendi censetur Declaratio Benedictina, maxima oriretur confusio, nec vitari possent anxietates et perplexitates omnigenæ, ac undique moverentur dubia tam circa existentiam exemptionis quam circa ejusdem indolem. Hujusmodi infaustas sequelas ex sua parte coram S. Sede exposue-

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XI, p. 285 ss.

(2) GASPARRI, *Tract. Canon. de Matrimonio*, II, p. 484.

(3) Talis censetur, pro majori sua parte, Hollandia, et omnia loca ad quæ extensa est Declaratio Benedictina, quippe quam vidimus, apud *Collat. Brug.*, XII, 574, esse meram exemptionis *declarationem*.

(4) Stricte tamen urgendo vim vocis, loca quibus applicatur Declaratio Benedictina, nonnisi impropriè dicentur exempta vi *statuti* S. Sedis aliter *statuentis*.

(5) « Ut dicamus quod in hac re sentiamus, minus e verbis legis quam ex legislatoris intentione pro sententia ista argui posse arbitramur. Per se enim, sine clara novi juris dispositione, sua immunitatis possessione non videntur excidere qui in Fœderatis Provinciis mixta fecerint matrimonia. Sed, cum variæ istius declarationis applicationes vel extensiones maximam pepererint confusionem, cui mederi statuit legislator, mens ejus videtur fuisse ut quæstiones istæ radicitus, suppressa ipsa Declaratione, amputentur ».

runt nonnulli Episcopi, præprimis Archiepiscopus Calcuttensis (1) ac Episcopus Ruremundensis (2).

Quibus permota S. C. Concilii, eadem die 1ª Februarii, in hunc sensum solvit dubium propositum, facto verbo cum SSmo, ut nempe penitus sublata sit Declaratio Benedictina ac exemptio juxta ipsam vigens. Quinimo adeo restringendum judicavit S. C. ambitum clausulæ derogatoriæ, ut eam soli Constitutioni *Provida* applicandam velit ad exclusionem reliquorum decretorum omnium (3): quo pacto, in præsenti rerum statu, nullus datur locus exemptioni pro matrimoniis mixtis, præter unicum territorium Imperii Germanici, suppressa omni alia exemptione etiam illa quæ aliis regionibus hucusque erat concessa vi indulti in lege Tridentina dispensantis (4).

Additur autem in responso: *ad mentem*, quin mens aperiatur. Suspicari forsitan licet S. Sedem nolle viam

---

(1) « Dans la majeure partie de mon diocèse le décret *Tametsi* n'a certainement jamais été publié, et par conséquent la Déclaration Bénedictine n'y a jamais été étendue : donc après Pâques 1908 les mariages mixtes contractés non servata forma Decreti y seront nuls. Mais dans le reste du diocèse ces mêmes mariages seraient douteux, puisqu'il est douteux que le décret *Tametsi* y ait été publé, et par conséquent douteux que la Déclaration y ait été étendue, puisqu'elle suppose la publication du *Tametsi*. En tout cas, il serait moralement impossible de déterminer avec certitude à quelles parties du diocèse l'extension de la déclaration s'étend ». *Analecta*, p. 12.

(2) « Ad procurandam disciplinæ matrimonialis uniformitatem pro universa diœcesi Ruremundensi, ad tollenda dubia de nullitate vel legitimitate matrimonii mixti clandestini in nonnullis locis ejusdem diœceseos... Episcopus Ruremundensis... Sanctitatem tuam rogat, ut benigne declarare dignetur decretum *Ne Temere* pro ista diœcesi Ruremundensi et omnibus ejus locis a die solemni Paschæ 1908, etiam pro matrimoniis mixtis, ita valere ac si nunquam pro illis locis aliter a S. Sede fuisset statutum ». *Ibidem*, p. 13.

(3) Ad IV: « Comprehendi tantummodò Constitutionem *Provida*, non autem comprehendi alia quæcùmque decreta, facto verbo cum SSmo; et ad mentem ». *Anal. eccl.*, l. c. p. 6.

(4) Ita pro Hibernia necnon Hungaria, quæ hujusmodi immunitate indubitanter gaudebant, quemadmodum in *Voto* Consultoris incunctanter affirmatur, l. c., p. 11.

præcludere simili, qua fruitur Germania, exceptioni ad alias regiones extendendæ, in singulis vero casibus esse recurrendum pro gratia: quam normam suggerit laudatus Archiepiscopus Calcuttensis, in sua dubii subjectione: « Il restera à examiner s'il n'est pas expédient de demander au S. Siège une dispense semblable à celle qui a été faite pour l'Empire Allemand en 1906 ».

Ad secundum quod spectat, dicta clausula derogatoria importat quod in descriptis regionibus servetur disciplina anterior, vi cujus *exemptæ* erant *simpliciter*, i. e. legi clandestinitatis subtractæ non tantùm pro matrimoniis inter hæreticos ad invicem, quæ matrimonia nunc universim legi subducuntur, sed etiam quoad matrimonia mixta inter partem catholicam et partem acatholicam.

Quæ porro exemptio interpretanda videtur ad modum quo l. c. interpretandum duximus privilegium in Constitutione *Provida* impertitum, attenta vi personali et locali legis. Nimirum

a/ In præfatis locis, non omnia matrimonia mixta ibidem celebrata indiscriminatim valent, si clandestinè ineuntur, sed illa dumtaxat quorum pars acatholica in illis locis vel in alia regione simpliciter exempta, si detur, vaga existit, vel domicilium aut quasi-domicilium habet: tunc nempe et tunc tantùm eximitur matrimonium a lege clandestinitatis, tum qua personalis est, tum qua localis est.

b/ Vicissim hæretici ad dictum locum pertinentes, ratione domicilii vel quasi-domicilii, non possunt, extra limites illius territorii, validè connubium inire clandestinum cum parte catholica, nisi in alio loco, si postea detur, pariter exempto simpliciter: secus namque, si contraherent in loco non exempto, eorum matrimonium foret quidem subductum legi, qua personalis est, sed non qua localis est.

Hoc tamen observandum quod, in interpretenda et applicanda derogatione quæ memoratis regionibus fa-

vel, *acatholici* sunt sumendi sensu in præsenti decreto determinato, non autem sensu sub œconomia Tridentina admisso : id namque exigit necessaria uniformitas, ut nempe, in determinatione exemptionis quoad matrimonia mixta, eadem acceptione sumantur acatholici quam in descriptione immunitatis quoad matrimonia inter duas partes acatholicas celebranda, necnon in oppositione ad catholicos.

Cæterùm in citato *Voto* Consultoris memoratur hoc dubium ab Episcopo Harlemensi propositum, qui pro certo tenebat Declarationem Benedictinam etiam post decretum *Ne Temere* vi sua non destitui. Consultor autem haud difficilis solutionis habuit hoc dubium, siquidem, in ipso responso diei 6 Aprilis 1859, expressum est a S. Congregatione, determinationem vocis *acatholici* referendam esse tantùm ad Declarationem Benedictinam, ita ut ubi Declarationi jam non est locus, et ipsa responsio corruat (1).

II. Quod spectat SPONSALIA :

Novæ legi, sub pœna nullitatis exigenti scripturam debitè subsignatam, obnoxia sunt omnia et sola sponsalia, ubicumque ineunda, inter partes quarum una saltem pars, sensu supra determinato, catholica est, quin hic locus sit derogationi quæ valet pro matrimonio.

Nota. 1°/ Variæ dispositiones Decreti *Ne Temere* vim legis habere incipient a die solemni Paschæ Resurrectionis Dominicæ currentis anni 1908, i. e. ab hora duodecima noctis Sabbatum sanctum a Dominica Resurrectionis dividentis.

2°/ Nihil statuitur circa sponsalia et matrimonia hucusque contracta, et ante festum Paschale contrahenda, nec ulla mentio fit sanationis in radice : eorum proinde valor est dijudicandus juxta disciplinam Tridentinam suprà adumbratam.

3°/ « Interim vero omnes locorum Ordinarii curent

---

(1) *Analecta*, l. c., p. 13.

hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum diœcesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur ».

Conclusio summaria.

Huc redeunt præcipua novæ legis statuta:

A/ Quoad *Sponsalia*:

Inde a Paschate proximo, invalida erunt in foro externo, et, probabiliter in foro interno, quævis sponsalia, nisi ineantur ope scripturæ, quam ipsi sponsi subsignaverint, simul cum parocho seu Ordinario loci, in quo contractus initur, vel simul cum duobus testibus: quodsi una vel utraque pars scribere non valeat, sufficit, mentione facta in instrumento scribendi incapacitatis, adjungere novum testem qui pariter subscribat.

B/ Quoad *Matrimonia*:

1°/ Ad *valorem* requiritur, inde ab eadem die, ut contrahantur coram parocho seu Ordinario *loci, in quo nuptiæ celebrantur,* vel coram sacerdote, cui, determinato et certo, licentiam dederit dictus parochus seu Ordinarius, et duobus testibus; servata hac triplici clausula, quatenus nempe a/ parochus seu Ordinarius adeptus sit possesionem officii vel beneficii, nec fuerit publico decreto nominatim excommunicatus aut ab officio suspensus (quod alterum valet etiam de sacerdote delegato); b/ parochus vel sacerdos delegatus fuerit invitatus et rogatus, seclusa vi ac gravi metu; et c/ requirant et excipiant contrahentium consensum.

2° Ad *liceitatem* requiritur, excepto gravis necessitatis casu, et salva proprii parochi licentia, assistentia parochi loci in quo sponsa, vel, si justa sit causa, sponsus, domicilium habet vel a mense seu a 30 dierum spatio habitat: parochus autem proprius intelligitur, præter parochum domicilii, vel parochus quasi-domicilii, ad tramites hucusque vigentis disciplinæ, vel, uti plures volunt (1), parochus mensilis commorationis.

---

(1) Auctoribus, suprà, p. 100, allatis, qui huic alteri interpretationi

C/ Quoad *extensionem legis* :

Sponsalia ac matrimonia descriptis præscriptionibus obnoxia sunt omnia et sola, quæ contrahuntur inter duas partes quarum alterutra saltem est catholica, i. e. in Ecclesia catholica baptizata vel ad eam conversa; unica datur exceptio, quatenus in quibusdam regionibus, ex speciali S. Sedis privilegio, legi subtrahuntur matrimonia (non sponsalia) mixta.

Reliquæ dispositiones spectant celebrationem matrimonii in extremis aut in exceptionalibus omnino adjunctis, necnon observationem quarumdam cautelarum pro matrimoniorum inscriptione: de quibus cf. suprà dicta.

Formulæ.

Opportunum foret ut parochi formulas præ manibus habeant typis impressas, juxta exemplar ab omnibus idem adhibendum, tum pro celebratione sponsalium, tum pro matrimonii notitia transmittenda ad parochum Baptismi, in casu quo conjux unus vel uterque in aliena ecclesia baptizatus fuerit.

In hunc finem hisce adnectimus specimina pro opportunitate usurpanda; formulam autem sponsalitii contractus ita exarandam curavimus ut duplex præsto sit ejusdem instrumenti exemplar juxtapositum, et facilè sejungendum, unum tradendum sponsis, et alterum servandum intra mnnus parochi (1).

A. De Smet.

---

inhæsitanter calculum adjiciunt, accessit R. P. Vermeersch, *o. c.*, n. 57, qui, in Procemio opusculi, monet se consuluisse « plures viros qui in Urbe vel extra Urbem doctrina et loco sunt conspicui »; adeo ut dubium suprà propositum in hunc sensum a S. Sede solvendum fore in dies magis magisque prævideatur, quamvis prior interpretatio strictius juridica et legis tenori conformior videatur, quemadmodum fatetur R. D. Besson, apud *N. R. th.*, 1908, p. 80 ss.

(1) Utiliter possent parochi in hunc modum integrum registrum conficere, in quo scilicet folia bipartita formulam bis exhibeant, utrimque subsignandam, unam quæ in registro inserta servetur, alteram quæ dijungatur ac sponsis offeratur.

De Modernismo.

(*Sequitur*. — Cfr. suprà, p. 111).

SUMMA MODERNISMI PRINCIPIA.

Scopus nobis non est commentarium Encyclicæ conscribere, omniaque quæ in prælaudato continentur documento explicare, sed, syntheticam adhibentes methodum, intendimus præcipua indicare quibus facilior reddatur Encyclicæ et damnati systematis intellectio. Porro ad tria summa capita reducitur Modernismus, nempe *agnosticismum, immanentismum, evolutionismum*: de singulis rectam conabimur notionem tradere, præcipuas conclusiones exponere quæ ad theologiam atque ad apologeticam pertinent, ostendere damnatas theorias fuisse de facto propugnatas, denique falsitatis rationem indicare (1).

§ 1. De agnosticismo.

1. « Jam, ut a philosopho exordiamur, philosophiæ religiosæ fundamentum in doctrina illa modernistæ ponunt, quam vulgo *agnosticismum* vocant. Vi hujus humana ratio *phænomenis* omnino includitur, rebus videlicet quæ apparent eaque specie qua apparent: earumdem prætergredi terminos nec jus nec potestatem habet » (2).

Agnosticismus igitur theoria est qua asseritur humanæ rationis cognitionis objectum esse phænomena, h. e. apparentia et quatenus apparent, nihil ultra phænomena posse vere cognosci ab homine. Hæc theoria sic descri-

(1) In posterum Encyclicam « Pascendi » citabimus sub litteris *E. P.* et ejus loca indicabimus per paginas textus qui habetur in *Collat. Brug.*, t. XII.

(2) E. P., p. 599.

bitur ab *E*mo *Mercier:* « Mais nombreux seront ceux qui accepteront les arrêts *négatifs* de la raison spéculative et resteront sourds aux injonctions de la raison pratique; ils formeront la multitude un peu confuse des positivistes, des phénoménistes, des relativistes qui se rencontrent en une négation commune: l'impossibilité de se former sur le monde supra-matériel, ultra-phénoménal, absolu une conviction rationnelle soit pour l'affirmer soit pour le nier. Ils appellent *agnosticisme* la formule systématique de cet état d'incompétence, consciente et voulue. En fait leur incompétence avouée dégénère la plupart du temps en négation implicite sinon même expresse » (1).

Qui agnosticismo adhærent nomine *scientiæ* decorant cognitionem quam habere possumus de factis sensibilibus et de legibus secundum quas sensibilia operantur et patiuntur: ita tamquam scientias habent physicam experimentalem, chimicam, physiologiam, astronomiam et alia similia; etiam admittunt *historiam* quatenus hæc est cognitio factorum, quà apparentium, et legum quibus connectuntur facta. Sed prorsus negant omnem metaphysicam, sive generalem, sive specialem, omnemque certitudinem de objecto quolibet supra-sensibili, imo de essentia seu natura, quà tali, rerum etiam sensibilium (2).

2. Præcipua hujus theoriæ *conclusio* est impotentia

---

(1) *Critériologie générale,* Louvain, 1906, p. 127. Cf. *Civiltà cattolica,* 1907, vol. 4, p. 540 ss.; Reinstadler, *Elementa philosophiæ scholasticæ,* Friburgi Br. 1907, T. I, p. 148.

(2) Kant ejusque sequaces a phænomenis distinguunt *noumena:* noumena (ex græco: νοόμενα: cogitata) sunt ipsæ rerum naturæ (*la chose en soi*) quatenus sunt a nobis cogitatæ; sed nullo modo, secundum illos auctores, scire possumus utrum aliquid respondeat illis ideis de rerum natura, utrum substantiæ in se sint a parte rei quales a nobis cogitantur. Non habemus ideas *ontologicas* rerum prouti in se sunt, h. e. ideas positive repræsentantes id quod est; nostræ ideæ sunt mere *logicæ.* Cf. Mattiussi, *Il veleno kanziano,* Monza, 1907, p. 43. Hæc etiam bene exponuntur a Ruyssen, *Kant,* Paris, 1905, p. 196 ss.

qua laborat humana ratio ad cognoscendum Deum, ad *demonstrandam* Ejus existentiam, naturam et quamlibet Ejus perfectionem, sicut scientiam, sanctitatem, omnipotentiam, providentiam. Inde etiam nulla potest affirmari actio divina in explicandis factis historicis et prorsus incognoscibilis est Ejus influxus omnis. Hæc conclusio his verbis in E. P. exprimitur: « Quare nec ad Deum se erigere potis est (humana ratio) nec illius existentiam, ut per ea quæ videntur, agnoscere. Hinc infertur, Deum scientiæ objectum directe nullatenus esse posse; ad historiam vere quod attinet Deum subjectum historicum minime censendum esse » (1).

Infra notatur in Encyclica modernistas *contra logicam* ex agnosticismo transire ad atheismum scientificum atque historicum. Et sane ex agnosticismo *ignorant, nesciunt* utrum sit Deus necne, utrum humanarum gentium historiæ intervenerit Deus, necne; attamen ipsam historiam sic explicant ac si Deus nullo modo intervenerit, sic explicant, inquam, ut de facto excludant ac implicite negent Dei influxum (2).

3. *D. Loisy* scribebat: (3) « *L'histoire* ne saisit que des phénomènes, avec leur succession et leur enchaînement; elle perçoit la manifestation des idées et leur évolution; elle *n'atteint pas le fond des choses*. S'il s'agit de faits religieux, elle les voit *dans la limitation de leur forme sensible*, non dans leur cause profonde. Elle est, à l'égard de ces faits, dans une situation analogue à

---

(1) E. P., p. 599-600. Quod de rationalismo ac materialismo dicebat Leo XIII hoc et de agnosticismo recte dicitur: « In disciplinis enim tradendis permulti philosophari malunt *solo rationis magisterio*, omnino fide divina posthabita: quo firmamento maximo uberrimoque lumine remoto, in multis labuntur, nec vera cernunt... Ita quidem, ut *dum rationis principatum gloriose prædicant, ingeniique subtilitatem magnificentius efferunt, quam par est, debitas superbiæ pœnas rerum maxime ignoratione luant* ». Encyclica « Exeunte jam anno » 30 Dec. 1888. V. *Leonis XIII Papæ Acta*, Brugis, Desclée, t. III, p. 192.

(2) Cf. E. P., p. 600.

(3) Quædam vocabula sublineavimus nos.

celle du *savant* devant les réalités de la nature, petites et grandes. Ce que le *savant* perçoit est un infini *d'apparences,* une manifestation de forces ; mais la grande force cachée derrière tous les *phénomènes* ne se laisse pas toucher directement par l'expérience. Dieu ne se montre pas au bout du télescope de l'astronome. Le géologue ne l'exhumera pas en fouillant l'écorce de la terre. Le chimiste ne pourra l'extraire du fond de son creuset. Bien que *Dieu* soit partout dans le monde, on peut bien dire *qu'il n'est nulle part l'objet propre et direct de la science.* Il est aussi partout dans l'histoire de l'humanité, mais *il n'est pas plus un personnage de l'histoire* qu'il n'est un élément du monde physique » (1). Quis admittat præcitatum auctorem hic nihil aliud intendere quam Deum non posse cognosci experientiis sensibilibus, non esse objectum proprium et directum illarum scientiarum naturalium quales sunt astronomia et geologia? Ad quid talis assertio quæ a nemine impugnatur? Obvio sensu intellecta latius patet auctoris sententia: Dieu n'est nulle part l'objet propre et direct de la *science.* Hæc conclusio videtur supponere hoc ratiocinium: Non datur *scientia* nisi de phænomenis, h. e. de apparentibus qua talibus, et consequenter sola sensibilia sunt objectum proprium ac directum *scientiæ;* atqui Deus non est inter illa sensibilia; ergo Deus nunquam est objectum proprium et directum *scientiæ.* Inde etiam sequitur Deum non esse aliquem de quo rationem habere possit historicus. Illis assertionibus subest *agnosticismus.* — Alio in loco scribit idem auctor: « En ce qui concerne particulièrement l'histoire de la religion, l'on ne paraît pas s'être encore avisé que la *science historique* des faits religieux et leur *appréciation religieuse* sont choses tout à fait distinctes; que la tradition doctrinale de l'Église ne représente pas *directement* la forme réelle de son passé; *que la*

(1) *Autour d'un petit livre,* p. 10.

valeur objective des dogmes n'est pas matière d'histoire; que Dieu n'est pas plus un personnage de l'histoire qu'un élément physique de l'univers; qu'*on ne le démontre ni par les faits seuls, ni par le raisonnement seul,* mais par l'effort de la *conscience morale,* aidée de la connaissance et du raisonnement » (1). Vera autem doctrina hæc est: quod Dei existentia demonstratur factis *simul et* ratiocinio, nempe demonstratione *a posteriori;* in hac porro *demonstratione* non ingreditur, nec partem habet ullam *moralis conscientia.*

Brunetière etiam agnosticismo adhærebat et propugnabat non posse demonstrari Dei existentiam illamque sola fide teneri (2).

Auctores anonymi « *Responsionis* » ad E. P. dicunt agnosticismum esse omnino alienum a sua sententia (p. 94). Sed mox affirmant se adhærere criticei rationis puræ quam Kant et Spencer fecerunt (p. 97). Sed critice rationis puræ confecta a Kant et Spencer consistit præcise in stabiliendo *agnosticismum!* Tandem (p. 99) propugnant judicium de Dei existentia non posse oriri in homine nisi ex immanenti exigentia conscientiæ humanæ.

4. Agnosticismi falsitas præcipue apparet ex irrefragabili testimonio conscientiæ, nempe ipsius humanæ rationis quæ percipit se *res,* ab ipso intellectu et ab ideis omnino distinctas, attingere, uno verbo, *cognoscere* h. e. sibi repræsentare id quod est (3); ratio etiam ipsa scit se ita de rebus suprasensibilibus pro-

---

(1) *O. c.*, p. 215.

(2) Cf. E. Janssens, *L'apologétique de Brunetière, Revue néo-scolastique,* 1903, p. 264 ss. Initio hujus articuli dicitur: « Le premier principe que M. Brunetière pose au seuil de son apologie catholique est le phenoménisme radical, la relativité de la connaissance sensible et intellectuelle. La certitude ne peut se fonder sur le critère classique de l'évidence objective ou de la révélation du vrai objectif à notre faculté cognitive ».

(3) Cf. Mattiussi, *o. c.*, p. 71 ss., p. 78 ss., p. 542; Card. Mercier, *o. c.*, p. 252 ss., p. 277 ss.; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 106 ss., n. 134 ss.

ferre *judicia* ut determinetur ad judicandum *objectiva evidentia identitatis subjecti ac prædicati.* — Præterea vera contradictio habetur in hoc quod agnosticista neget objectivum valorem omnis judicii de re suprasensibili et simul judicet ipse de intellectus ejusque actus natura.

Ad agnosticismi conclusionem circa Dei existentiam quod attinet, sciendum est illam jam fuisse damnatam in Concilio Vaticano: « Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse, anathema sit » (1). Definitur ergo hominem posse *cum certitudine* cognoscere *Deum existere* et hanc sibi acquirere cognitionem naturali *rationis lumine per ea quæ facta sunt,* nempe per creaturas, quatenus ex illis cognitis ratiocinando inferimus existere illarum Creatorem et Dominum, scilicet Deum. — Deinde in E. P. referuntur ex Concilio Vaticano duo alia testimonia, quibus definitur possibilitas ac utilitas *revelationis divinæ,* qua homo edoceatur de Deo et de cultu Ejus, et etiam cognoscibilitas ipsius revelationis (2): iterum ergo definitur *Deum* esse vere *cognoscibilem.* Et hic agitur de cognitione quæ habetur per *naturalem intellectum* seu *rationem,* et non per fidem: explicite enim in *Constitutione de fide catholica*, ex qua desumuntur prædicti canones, distinctio fit inter duplicem ordinem cognitionis: unus est rationis, alter fidei (3).

Nemo tandem non videt cum agnosticismo nullam posse consistere *apologeticam,* quæ est scientia de præambulis adhæsionis ad veram religionem (4), imo nullum *credibilitatis judicium* quod est præambulum fidei in Deum: utrumque enim supponit veram cognitionem de Deo, deque Ejus scientia ac veracitate.

---

(1) E. P. l. c.
(2) Ibid.
(3) Cf. Denzinger, *Enchiridion,* n. 1643 et suprà p. 160.
(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 44.

§ 2. De immanentismo vitali.

« Hic tamen agnosticismus, in disciplina modernistarum, non nisi ut pars negans habenda est: positiva, ut aiunt, in *immanentia vitali* constituitur. Harum nempe ad aliam ex altera sic procedunt. — Religio, sive ea naturalis est sive supra naturam, ceu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta adituque ad revelationem ob rejecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quærenda: et quoniam religio vitæ quædam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiæ religiosæ* principium asseritur » (1).

1. *Immanentismus* igitur doctrina est quæ, sicut agnosticismus, ipsam radicem cognitionis humanæ respicit. Non exponuntur variæ explicationes ulteriores immanentismi (2), sed declaratur id quod illi theoriæ est essentiale et præsertim id quod ex illa sequitur relate ad expositionem notionum in religione omni fundamentalium.

Est porro *immanentismus vitalis* doctrina quæ tenet ab interna hominis natura, nempe proxime ab ejus *actione* (h. e. ab *operari* generice sumpto) determinari et justificari omnem hominis adhæsionem ad quodlibet verum quod est extra vel supra phænomena, rejecto valore objectivo cognitionis speculativæ ordinis suprasensibilis et rejecta omni revelatione externa a Deo facta.

Hæc porro *actio*, a qua ultimatim dependet adhæsio ad verum extra-sensibile, quum non sit operatio intellectus speculativi apprehendentis id quod est, nequit esse nisi aliqua animi *affectio*, quæ proinde diversimode in diversis systematibus describitur : « Toutes les

(1) E. P., p. 600-601.
(2) Cf. Card. Mercier, *o. c.*, p. 166.

théories subjectivistes placent le *motif dernier* de la certitude ou, tout au moins d'une partie des connaissances dans une *disposition affective* du sujet pensant. — Pour les uns, cette disposition s'appellera la loi du devoir, impératif catégorique (Kant et les criticistes); pour d'autres, une impulsion naturelle (le sens commun des Ecossais); ou un sentiment spirituel (Geistesgefühl de Jacobi); pour d'autres, enfin, une croyance soit aveugle, irrésistible (Jouffroy), soit volontaire, libre (les néo-criticistes); une foi dictée par le besoin de trouver un objet aux aspirations les plus nobles de notre nature et un fondement à l'ordre social (Balfour, Brunetière, Mallock). Les représentants de ces différentes écoles suivent néanmoins une même direction générale; ils demandent, non à *l'évidence objective,* mais à une disposition *affective* de l'âme le dernier mot de la philosophie critique » (1).

2. Connexio agnosticismum inter et immanentismum facile perspicitur: quum vi agnosticismi negent Modernistæ valorem objectivum judiciorum intellectus speculativi de omni re supra-phænomenali, quum tamen generis humani persuasionem de Dei existentia, de officiis seu obligationibus nostris, de religione exercenda admittant, et etiam talis persuasionis necessitatem teneant, ut *facti* hujus persuasionis inveniant rationem et etiam necessitatis illius persuasionis fundamentum ponant, recurrunt ad aliquam animæ humanæ *affectionem*, vi cujus adhæreat homo ad illa supra-phenomenalia. Quum autem in illa theoria statuatur prædictæ persuasionis fundamentum in *intrinseca* et *interna* animæ dispositione, et quum rejiciatur tum objectiva evidentia quæ ab exteriori objecto provenit, tum etiam omnis externa revelatio, ideo illa theoria vocatur *immanentismus*, et dicitur *vitalis*, quia agitur de interna ac *vitali* dispositione.

---

(1) Id. *o. c.*, p. 189.

3. Ulterius nunc inquiramus oportet quomodo *secundum immanentismum* exponantur variæ notiones requisitæ ad explicandam *Religionem*.

De fide. a/ Quum omnis phænomeni vitalis prima origo sit in aliqua *indigentia* (un besoin), ideo etiam Religionis, quippe quæ est vitale phænomenon, prima origo est invenienda in humanæ naturæ *indigentia;* porro omnis humanæ indigentiæ *manifestatio* prima habetur in motu cordis, in *sensu* quodam seu affectione (un sentiment): ergo prima Religionis manifestatio est aliquis sensus. Jamvero patet Religionis *objectum* necessarium esse *Deum*, initium vero *subjectivum* omnis religionis esse *fidem:* ergo fides est aliquis *sensus* qui provenit in homine ex sua *indigentia divini* (besoin du divin).

Hæc tamen indigentia non semper percipitur, ille sensus non est semper actualis: ideo ex sese non cadit sub *conscientia;* sed latet in eo quod Modernistæ vocant *subconscientiam*. Quid hoc reapse sit non definiunt. Hæc subconscientia non est aliqua facultas, distincta ab intellectu et voluntate (1), sed videtur esse in concreto, aliquid quod afficit facultatem quin tamen percipiatur, vel, in abstracto, status actuum sive sensibilium sive intellectualium, qui existunt et tamen non percipiuntur a subjecto eliciente illos (2).

---

(1) Modernistæ non admittunt realem distinctionem inter intellectum et voluntatem. Sic clamant in « Responsione » ad E. P.: « Abattant les barrières fictives que la psychologie scolastique établissait entre le penser et le vouloir, nous élargissons énormément les limites du connaissable et nous signalons dans l'homme la possibilité d'atteindre, certes au moyen de formes de connaissance jusqu'ici peu appréciées, les réalités supérieures dont la possession intime accroît les valeurs de la vie et l'enrichit de nouvelles potentialités » (p. 96).

(2) « Il y a donc des faits psychiques qui à toute heure peuvent entrer dans l'ombre ou reparaître en plein jour; ce qui les sépare de la conscience claire les désagrège en même temps de l'état de conscience total, du tout concret dont ils faisaient partie. Mais que deviennent-ils après cette désagrégation, ou dans l'intervalle de leurs réapparitions? La psychologie contemporaine, toujours en vertu de la théorie de la continuité,

Ergo illa divini indigentia, latens in hoc statu qui vocatur subconscientia, quum innotescat vel præsentetur *incognoscibile,* erumpit in aliquem specialem sensum quo homo adhæret incognoscibili, tamquam alicui rei cujus sentit indigentiam, tamquam objecto, quod antea vago modo quærebat, et quod nunc subito apparet satisfaciens intimo desiderio : hoc autem incognoscibile ut Deum habet et sic Deo conjungitur (1).

b/ Fides quum sit animæ sensus seu affectio nullum rationis judicium prærequirit, imo excludit (2). Sed hoc valde est notandum quod ipsa *fide,* secundum modernistas, homo credens admittit ut aliquid *reale, a parte rei existens,* Deum et alia immaterialia : ergo quod, utpote extra et supra phænomena, nequit ab homine vere *cognosci ratione ratiocinante,* hoc admittitur *fide:* et si postules in quo tandem hæc *credentis* assertio nitatur; reponent : in privata cujusque hominis *experientia:* nempe hominis sensus religiosus habet aliquam *intuitionem* divini (3).

---

incline à admettre qu'ils ne disparaissent pas entièrement... Pour exprimer d'un mot leur continuité et leur mode nouveau d'existence, on dit qu'ils deviennent *subconscients* on tombent dans la *conscience subliminale*» MICHELET, *L'espérience religieuse d'après W. James, Revue du Clergé français,* t. LII, p. 383. — Non negamus posse dari quosdam actus cognoscitivos qui non hîc et nunc conscientiæ subsunt : cf. CARD. MERCIER, *Psychologie,* Louvain, 1899, n. 86, p. 177 ; GRASSET, *L'Hypnotisme,* Paris, 1903, ch. I. Sed hæc theoria nullam validam affert explicationem de fidei, vel religionis origine.

L'élève, c'est toute âme religieuse, avide de connaître et de pratiquer la perfection propre à l'état religieux. Le *Maître* n'est autre que Jésus-Christ, l'unique Maître (Matth. XXIII, 10) et l'unique fondement (1 Cor. III, 11) de la perfection spirituelle. L'auteur, comme il le dit modestement, ne veut être que le porte-voix du divin Maître, et encore s'efface-t-il

(1) L'ouvrage se vend au profit des Missions des Rédemptoristes au Congo. S'adresser à l'Auteur, Beauplateau (Tillet).

(2) *Les vrays Entretiens spirituels,* XX. Edit. d'Annecy, t. VI (1895), p. 378.

le plus possible, pour laisser la parole aux maîtres les plus autorisés de la vie spirituelle.

Nous sommes heureux de pouvoir recommander ce manuel de perfection religieuse; il sera utile dans les communautés religieuses pour les lectures publiques et privées; il rendra aussi de réels services aux prêtres, chargés de diriger ces communautés: il leur fournira notamment la matière de conférences solides et pratiques. L'Auteur nous permettra de lui signaler un progrès à réaliser dans une nouvelle édition: qu'il veuille bien soigner un peu la toilette bibliographique.

H. MAHIEU.

Ouvrages envoyés à la Rédaction des Collationes.

J. J. Brouwer. C. SS. R. *Het kerkelijk jaar met zijne liturgische tijden en voornaamste feesten* (5 pl.). Leiden, J. Van Leeuwen, 1907, gr. in-8°, 372 bldz.

Ferd. Cavallera. *Saint Athanase* (295-272). (Collection La Pensée chrétienne), Bloud et Cie, 1908. In-12, XVI-325 p.

L. Cristiani. *Luther et le Luthéranisme,* 2e édit. Bloud et Cie, Paris, 1908. In-12, XXVI-388 pp.

H. Delassus. *L'Encyclique Pascendi Dominici Gregis et la Démocratie.* Lille, Desclée Debrouwer. In-8°, 72 pp.

Delattre (des Pères Blancs). *Le culte de la Sainte Vierge en Afrique d'après les monuments archéologiques.* Lille, Desclée De Brouwer (1907), in-8°, 234 p. Fr. 3.

Albert Dufourcq. *Histoire comparée des religions païennes et de la Religion Juive.* Paris, Bloud, 1908, in-12, XXVI-332 p.

Georges Fonsegrive. *Ferdinand Brunetière.* Paris, Bloud et Cie, 1908, in-12, 104 p.

L. Garriguet. *Régime de la Propriété.* (Étude de morale et de sociologie). Paris, Bloud et Cie, 1907. 2e édition, XX-336 pp.

G. Gezelle. *De ring van 't kerkelijk jaar.* Ingeleid door Al. Walgrave pr. Rousselare, J. De Meester, 1908, kl. in-4°, XXVI-212 bldz.

Mgr. Gibier. *Les devoirs de l'heure présente.* — Aux hommes — Travail nécessaire. Paris, Poussielgue, in-12, XXXII-372 p.

Le livre *de prières du chrétien éclairé et fervent.* Louvain, Vrancken, 1907, in-32, 256 p. F. 0,35.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis

—

I

Ex facto quod Christus sæpe, maxime apud S. Marcum (I, 24 s., 34, 43; III, 11 s.; V, 43; VII, 36; VIII, 26, 30; IX, 8), silentium injunxit servandum circa miracula, suam messianitatem ac divinitatem, contendunt quidam « Christum non semper habuisse conscientiam suæ dignitatis messianicæ ». — Ostende ex ipsis Evangeliis hanc propositionem (35^{am}) in Decreto « Lamentabili sane exitu » jure merito fuisse reprobatam ac proscriptam.

II

Expone quo sensu Ecclesia dicatur societas *perfecta*.

III

Expone quomodo lex æterna omnium legum humanarum fundamentum sit.

IV

Solvantur difficultates quæ contra connexionem virtutum moveri possunt ex eo quod præditi una virtute, puta misericordia, in aliis tamen exercendis, sæpe magnas experiuntur difficultates; — imo quod nonnullis quædam virtutes sunt plane impossibiles, quemadmodum magnificentia pauperibus aut virginitas conjugatis.

V

Duo sunt modi principales distribuendi Theologiam moralem specialem, quorum prior sequitur ordinem virtutum, alter vero ordinem præceptorum. — Utrumque expone et dijudica.

VI

Quot, quænam et quo ordine dicendæ sunt *Orationes* in missis votivis privatis?

Vient de paraître chez BEYAERT, Editeur à Bruges:

Le Pain de Vie. *Vie surnaturelle-Communion quotidienne*, par Jér. Mahieu, S. T. L., Directeur du grand Séminaire. Un vol. de 300 p. Prix : ~~1,50 fr.~~ Cartonné : 1,80 fr. Par 12 exempl., remise de 20 %.

APPROBATION.

Nous recommandons instamment à la jeunesse chrétienne spécialement, mais encore à tous les fidèles et au clergé, la lecture de l'opuscule intitulé : **Le Pain de Vie**, par Jér. Mahieu, S. T. L., Directeur de notre grand Séminaire. Cet opuscule est plein de doctrine solide, exposée avec clarté et onction spirituelle. Les catéchistes et les prédicateurs y trouveront vraiment le Pain de Vie à distribuer à leurs ouailles.

Bruges, le 29 janvier 1908.

† G.-J. Évêque de Bruges.

Monitum

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

Animadversiones quædam de formula

Sacré n. d. D.

I. *Certum* est 1°/ vocem *sacré* in usuali significatione æquivalere voci *saint*.

Certum quoque est 2°/ eamdem vocem adhiberi posse in sensu plane opposito: *exécrable*.

Res pendet a mente loquentis, prout hic rem *sacram* vocat sine vel cum sensu cujusdam despectus. Quod si cum despectu loquatur, vox *sacré* in oppositum hunc sensum detrahitur, etiamsi nullum alium terminum despectus adhibeat loquens, ut constat ex quotidiano usu quorumdam qui hanc vocem semper in ore habent adversus res quascumque, etiam inanimatas, sibi aliquomodo graves, seu adversantes. Verum tamen est natura duce alios terminos despectus voci *sacré* in casu adjungi solere. Sed, aliud est ita de facto contingere et quasi vi naturæ, ut sane intelligitur, aliud vero vocem *sacré* non exprimere despectum nisi ob adjunctionem alicujus alius termini despectus; quod verum non est.

II. 1° Qui formulam *Sacré n. d. D.* enuntians, significatione usuali uti vult vocis *sacré* = *saint*, certo non blasphemat, sed, pro diversa dispositione animi, vel piam invocationem vel vanam usurpationem nominis Dei admittit.

2° Qui vero altera significatione vocis *sacré* uti vult, evidenter blasphemat. Ad quod profecto requiritur, non quidem ut *intendat* blasphemare, sed ut saltem conscius sit significationis despectus, hancque usurpare velit.

III. Ex quibus deduces: 1° hac in quæstione, nullum locum esse probabilitatibus, aut applicationi probabilismi, aut citationi seriei auctorum pro aut contra

opinantium. Significatio verborum heic certa et clara est, nec pendet ab opinionibus. Voluntas quoque loquentium qui hanc vel illam significationem adhibeant, non ab aliis quam a proprio cujusque sensu ac libitu pendet.

2° Neque heic agi de significatione quadam quæ per errorem vulgi alicui verbo vel alicui formulæ tribuatur, ut in casu formulæ flandricæ G. v.

IV. Multi agentes de formulis blasphematoriis tamquam principium generale inconcussum proponunt: Formulam dubie aut probabiliter tantum blasphematoriam, tamquam non blasphematoriam habendam esse. Atvero, hujusmodi principium sic generaliter enuntiatum verum non est. Quid enim, si aliquis ad te dirigeret formulam probabiliter tibi injuriosam seu contumeliosam, quid faceres? Inquireres sane apud te, quid loquens velit. An conscius sit duplicis significationis, et an contumeliam tibi inferre velit, necne. Et si non velit sensum contumeliosum usurpare, eum saltem ut inepte loquentem haberes. Si quis ergo conscius significationum formulæ, quarum altera Deo contumeliosa existit, nihilominus ea formula utitur, oportet sane, ad hoc ut a blasphemia excusetur, ut hanc alteram significationem excludat.

Quodsi loquamur de vulgo, aliquam formulam hujusmodi ambiguam, tamquam psittaco, ut solet, adhibente, tunc merito non pessimam significationem ei obtrudere debemus, sed censendus est nolle hoc sensu pejore uti, cum de eo non cogitet. Et sic valet principium.

Illico vides quoque sic dictum principium nequaquam idem esse cum eo quod enuntiari solet: Non sufficit ut aliquid sit probabiliter peccatum mortale, ad hoc ut mortale dicatur; aut: Quod solum probabiliter aut probabilius mortale est, mortale dici non debet nec potest.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. *Interpretare Is. VIII, 1-4. — Quænam in mente prophetæ viget relatio inter hanc pericopam et signum Emmanuelis e Virgine nascituri (Is. VII, 14-16)?*

R. *Prænota:* Hoc responsum supponit resp. I mensis februarii (*suprà* p. 73 ss.) et mensis martii (*suprà* p. 153 ss.).

I. **Interpretatio.** 1. *Et dixit Dominus ad me: sume tibi librum grandem et scribe in eo stilo hominis: velociter spolia detrahe, cito prædare.*

Jehovah Isaiam prophetam alloquens ipsum jubet sumere librum grandem, hebr. tabulam magnam, et in ea scribere stilo hominis verba quæ sequuntur. *Stilo hominis:* ponitur instrumentum (stylet) pro re seu scriptione instrumento efficienda, et significatur scriptionem characteribus fieri debere qui ab unoquoque homine videri ac legi possint, adeoque literis grandioribus. Tabulæ inscribere jubetur vates verba hebraica « Lemaherschalal-hasch-baz » (1) quæ simul sumpta nomen efficiunt ominosum (v. 3) quod Vulg. vertit: *velociter spolia detrahe, cito prædare* (2), i. e. festinanter erit prædatio, velociter eveniet spoliatio.

---

(1) Quid sibi velit litera *lamed* in voce *Lemaher* varii varie explicant: alii accipiunt ut *lamed* gerundiale: ad acceleranda spolia; alii volunt esse signum accusativi; alii contendunt esse *lamed* auctoris, dedicationis vel inscriptionis. Cf. Knabenbauer, *Commentarius in Isaiam prophetam*, t. I (Parisiis 1887), p. 198 s.; Condamin, *Le livre d'Isaïe*, Paris 1905, p. 52.

(2) Ad literam: « festinans præda, velox rapina », gall.: « Prompt-butin-Proche-pillage »; Duhm (*Das Buch Jesaia*, Göttingen 1902, p. 54): « Dem Raubebald-Eilebeute ».

Verba hæc ominosa post VII, 16 (cf. *suprà* p. 156 s.) jam facile eo sensu accipi possunt, ut declarent qua ratione vastanda sit terra duorum regum Syriæ et Israel, domui David infestorum (v. 4), simulque terra ipsius Achaz seu Judææ (VII, 16 ss.; VIII, 5 ss.; cf. *suprà* p. 156).

2. *Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem et Zachariam filium Barachiæ;* hebr. forma exhortatoria: « age accerse mihi testes fidos », gall. « prends-moi des témoins fidèles », ità ut oratio Dei continuetur. Testes adhibentur quo inscriptionis tempus, origo, auctoritas magis constet et plurium comprobatione roboretur, ad maximam certitudinem gignendam. Utrum Urias ille testis adhibeatur qui postmodum idololatriæ Achaz regis connivebat (*IV Reg.*, XVI, 10) an alius sit, in incerto erit relinquendum, neque quis fuerit Zacharias, exploratum est (1). Advocantur sane ut testes viri præcipui.

Ad quid inscriptio valere debeat, mox clarius determinatur; subdit enim propheta se a Jehova jussum esse filium generare (v. 3) ipsique nomen tabulæ inscriptum tribuere (v. 4).

3. *Et accessi ad prophetissam et concepit et peperit filium; et dixit Dominus ad me: voca nomen ejus: Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Uxor Isaïæ *prophetissa* vocatur, non quod ipsa spiritu prophetico fuerit prædita, sed vix eo solo sensu quod fuerit prophetæ uxor. Actus conjugalis verbo proprio designatur: *accessi ad*, unde conceptus describitur partusque ex naturæ ordine institutus. Indicat demùm propheta quid Dominus illa nominis inscriptione manifestare voluerit:

4. *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariæ coram rege Assyriorum.* Prædicitur ergo devastatio regni Syriæ (Damasci) et Israel (Samariæ) futura

(1) Cf. Knabenbauer, *l. c.*

antequam puer Isaïæ nasciturus sciat « vocare patrem suum et matrem suam », hebr.: *abi*, *immi* i. e. « avant que l'enfant sache dire : mon père, ma mère ». Temporis spatium assignatur, quia soni illi et facilius et citius ab infantibus proferuntur, sat diu antequam ad usum rationis perveniant. Invasionem autem Assyriorum mox revera in Syriam et in Samariam ac Judæam locum habuisse monumenta tùm sacra, tùm profana testantur (1).

II. **Relatio inter hanc pericopam et signum Emmanuelis** (*Is.* VII, 14-16).

1° *Negative.* Agitur utroque loco de conceptu et partu filii, unde non pauci oraculum c. VIII, 1-4 idem esse censuerunt cum illo præcedente VII, 14 ss. atque de conceptu partuque virgineo et de Messia exposuerunt. Quod tamen jure miraberis, cùm in re simili maxima sit dissimilitudo. Etenim c. VII, 14-16 nulla mentio patris, solùm virgo (*ha alma*, cf. *suprà* p. 74 s.) præter naturæ ordinem concipiens ac filium pariens proponitur; hîc c. VIII, 1-4 actus conjugalis verbo proprio « accessi ad » designatur, et insuper ætatis teneræ determinatio ità fit, ut denuo patris nomen non sine emphasi explicite inferatur: « vocare patrem suum ». Unde non solum diversa filii appellatione, sed etiam quàm maxime diversa ortùs conditione et ipso narrationis discrimine patet de alio atque alio conceptu, partu, filio institui sermonem (2).

2° *Positive.* Quemadmodum *Emmanuel* domui David (3) ut signum futuræ liberationis proponitur, ita Isaïæ filius *Maher-shalal-chasch-baz* velut signum et in portentum exhibetur. Quod non tantum e textu explicato elucet,

---

(1) Cf. *IV Reg.* XV, 29 et XVI, 9; *II Chron.* XXVIII, 20-22; VIGOUROUX, *La Bible et les découvertes modernes* (Paris 1896), t. III, p. 521 ss. Cf. etiam CONDAMIN, *o. c.*, p. 72 § 6.

(2) Ita fere KNABENBAUER, *o. c.*, p. 200 s. Cæterùm Isaiæ jam filius « *Schear-Jaschub* » (reliquiæ revertentur) natus erat; unde ejus uxor non fuerit *virgo (ha alma)* de qua c. VII, 14-16. Cf. enim c. VII, 3 et VIII, 18.

(3) Non regi Achaz: cf. *suprà* p. 153 ss.

sed præterea ab ipso propheta clare asseritur c. VIII, 18: « Ecce ego et pueri mei (1), quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion »! At verò *Maher-schalal-chasch-baz* non ut signum liberationis proponitur, sed velut signum instantis Assyriorum invasionis qua quidem, ut dictum est, regna Syriæ et Samariæ regno Judæ hostilia vastabuntur, sed ipsa Judæa vastationi erit obnoxia.

Unde relatio inter utrumque signum vigens apte a KNABENBAUER (2) his verbis exprimitur: « Huic signo (Emmanuelis) aptissime adnectitur vel opponitur aliud, quod — in quantum est simile et tempori mox futuro implendum — illi priori (3) pro tempore præsenti adjungitur et plus valet ad mentes hominum percellendas; in quantum verò ab illo priore recedit, illud ratione insigniori declarat quam maxime esse singulare, eximium, divinum. »

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Explica et falsam esse demonstra hanc propositionem:* « In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiæ nihil supersit nisi communes discentis opinationes sancire »; *quæ est sexta inter damnatas decreto « Lamentabili ».*

R. I. Hæc propositio est aliqua conclusio theoriæ de evolutionismo applicatæ ad religionem catholicam.

---

(1) Ipse propheta nomen habebat significans « salus Jahve »; alius filius nomen acceperat symbolicum *schear-jaschub* (reliquiæ revertentur); cf. VII, 3. Tria ergo nomina erant de futura populi sorte symbolica et divina consilia adumbrabant.

(2) *O. c.*, p. 197; cf. etiam LAGRANGE, *Rev. bibl.*, 1892, p. 487 s.

(3) Quod ad tempus remotum refertur et pro Achaz ejusque coævis valere non poterat. Et quum c. VII, v. 15-16 vastatio ipsius regni Judææ per regem Assyriæ velut signum regi Achaz proponatur, hoc alterum signum, in filio Isaïæ datum, prius illud confirmat. Cf. *suprà* p. 153 ss.

Fingunt nempe Modernistæ Ecclesiam esse cœtum hominum credentium, qui, de sua fide cogitantes, ita, continua quadam elaboratione intellectuali, inveniunt nova dogmata, novosque ritus : quæ quidem omnia correspondeant alicui indigentiæ conscientiæ christianæ (1): in hoc autem labore Ecclesiam *docentem,* h. e. cœtum illorum qui *auctoritate* funguntur, nempe summum Pontificem et Episcopos, nihil aliud valere nisi ut explorent communes fidelium opinationes et illas exploratas *sanciant* h. e. authentice approbent et ratas habeant.

Scribebat D. Loisy : « Quelles que soient les circonstances extérieures de chaque fait particulier, tout ce développement procède de la vie intime de l'Église, et *les décisions de l'autorité ne font que sanctionner pour ainsi dire et consacrer le mouvement de la pensée et de la piété communes* » (2). Jam similem sententiam propugnaverat Döllinger (3).

II. Falsam esse hanc propositionem constat ex hoc quod implicat negationem veræ *potestatis* docendi. Christus enim apostolis eorumque successoribus contulit veram potestatem docendi, quemadmodum elucet ex his verbis : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra ; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis ; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi » (4). Non hic requiritur

---

(1) De evolutionismo secundum Modernistas v. infrà.

(2) *L'Évangile et l'Église,* p. 125. Suam theoriam applicat D. Loisy nominatim origini SS. Eucharistiæ et eousque pervenit ut dicat Eucharistiam ortam esse, non ex positiva Christi institutione, sed ex *indigentia* conscientiæ christianæ, imo in modo traditionali concipiendi Eucharistiam ingredi elementum « qui sans doute appartient au *fond commun* de plusieurs religions, si non de toutes, mais qui rappelle de plus près les mystères païens (sic) que la conception décolorée du sacrifice dans le judaïsme postexilien » o. c. p. 190.

(3) Cf. Beszmer, *Der Glaubensgehorsam,* in *Stimmen aus Maria-Laach,* 1907, vol. 2, p. 506.

(4) Matth. XXVIII, 18-20.

ut ulterius determinemus *subjectum* in quo residet illa potestas sufficit ut notemus illam residere perpetuo in successoribus apostolorum, inde saltem in episcopis collective sumptis; sed hoc requiritur ut animadvertamus hîc agi de vera *potestate* docendi: hæc porro potestas est *jus authentice proponendi* id quod credere et admittere *debent* fideles, in quo jure continetur jus *discernendi* et *definiendi* conformitatem et difformitatem alicujus doctrinæ cum deposito fidei custodiendo, necnon jus judicandi fideles circa suas opinationes connexas cum fide: ergo Ecclesiæ docentis munus et officium non est *sancire* opinationes fidelium communes, sed authentice proponere id quod est credendum fidelibus et exigere subjectionem intellectualem fidelium ad Magisterium: ita tandem ut fides Ecclesiæ discentis omnino *dependeat* a decisionibus Magisterii et non, e converso, ut a fide fidelium dependeant decisiones Magisterii.

Non solum *de jure*, sed etiam *de facto* dependet fides fidelium ab exercitio Magisterii: nam Apostoli prius docuerunt et deinde crediderunt christiani; iterum a doctrina tradita ab episcopis semper dependet fides fidelium.

Tandem in veritatibus *definiendis*, scilicet in definitionibus veritatum condendis, non *collaborant*, proprie loquendo, Ecclesia discens et Ecclesia docens: sed hæc sola definit seu definitivum fert judicium. Quando, ante definitionem, fit inquisitio de eo quod credunt fideles, hæc exploratio est tantum aliquod medium cognoscendi traditionem, objective spectatam; multo vero majoris valoris est cognitio de eo quod Episcopi docent, de eo quod Patres et theologi docuerunt: hæc omnia sunt media ad dignoscendum id quod in Ecclesia fuit a Magisterio traditum et consequenter a fidelibus admissum.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Quinam obligantur lege nova seu evangelica et quare?*

R. Lege evangelica obligantur *omnes homines omnium deinceps temporum, saltem in actu primo* (1).

Singula in hac propositione asserta expendamus et probemus:

Dicitur 1°/: *omnes homines,* quibus verbis exprimitur universalitas legis novæ quoad personas. Huic universalitati a priori nihil obstat: legislator enim omnes sibi subditos sua lege potest ligare; jamvero lex evangelica Christum habet auctorem, regem regum, dominum dominantium, hominibus datum omnibus, non solum ut redemptorem cui fidant, sed etiam ut legislatorem cui obediant. (Trid. Sess. VI, Can. 21).

Sed lex positiva non semper omnes subditos obligat (2); quemadmodum enim quoad esse, ita etiam quoad extensionem a libera legislatoris voluntate pendet. Manet igitur resolvenda quæstio facti: utrum ex intentione Dei et Christi pro omnibus hominibus viatoribus lata sit lex nova.

Porro hoc est fide certum, ut constat ex ipsis verbis Christi: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare quæcumque mandavi vobis* (3), i. e. omnia *præcepta* quæ dedi vobis. Ibi, ait Suarez (4), præmittit Christus potestatem universalem ut inferat legem esse universalem pro toto mundo et ideo omnibus hominibus esse prædicandam. Propositio confirmatur ex Act. Ap. et Epist. S^ti^ Pauli passim, iis præsertim locis, in quibus supponitur vel vindicatur legem novam non tantum pro Judæis latam esse sed etiam gentes comprehendere.

---

(1) Cfr. Bouquillon, *Theol. Mor. fundam.* ed. 2, n° 85; Noldin, *De principiis Theol. Moralis,* ed. 6, n° 108; Suarez, *De legibus,* lib. X, cap. IV.

(2) Van den Berghe, *Tr. de Legibus,* ed. 2, p. 4 et p. 90.

(3) Matth. XXVIII, 18-20.

(4) Lib. X, cap. IV, 2-3.

Ex his S. Scripturæ locis etiam nostræ assertionis ratio colligitur, scilicet: Christus sicùt omnes redemit, omnes sua lege obligavit, quia per observationem hujus legis salutem et redemptionem ejus participaturi erant.

Dicitur 2/: *omnium deinceps temporum*, quibus verbis asseritur nullam aliam legem positivam divinam esse secuturam usque ad consummationem temporis. Hanc perpetuitatem Deus jam in V. T. prædixerat, promittendo *fœdus quod mansurum esset in æternum* (Jer. XXXI, 31-40) et *regnum quod in æternum non dissiparetur* (Daniel. II). Ipse etiam Christus, in celebri textu Matthæi XVI, 18: *Tu es Petrus* etc., prædixit immutabilem stabilitatem regni sui; non potest autem Ecclesia durare sine lege, nec permanere in eodem statu sine eadem lege.

Denique potest etiam assertio ratione declarari: duobus enim modis potest lex generatim abrogari: vel mere negative auferendo illam, vel ferendo aliam; neutro autem modo potest abrogari lex evangelica, durante mundo et destinatione hominis ad finem supernaturalem. Non quidem primo modo, quia « necessarium fuit ut supra legem naturalem et humanam (homo) dirigeretur etiam ad suum finem supernaturalem lege divinitus lata » (S. Thom. 1-2 q. 91, a. 4). Neque etiam posteriori modo ferendo aliam, quæ esset minus perfecta vel perfectior. Minus enim perfectam introducere alienum est a Christi providentia et per se incredibile; perfectior autem nequit esse lex eâ, cujus præcepta hominem cum Deo immediate conjungunt, cujus sacramenta hominem vere sanctificant, cujus sacrificium infinitæ est dignitatis.

Dicitur 3/: *saltem in actu primo,* nam, etsi lex Evangelii omnes attingit, non omnes hic et nunc seu actualiter eâ obligantur. Subjectum enim legis duplici modo obligari potest: vel solum objective seu in actu primo, vel objective et etiam subjective seu in actu secundo. Qui subjective (actualiter) lege obligatus est, eamque

non servat, *formaliter* peccat, qui solum objective seu habitualiter lege tenetur eamque transgreditur, materialiter tantum peccat. Jamvero hæc distinctio hic etiam applicanda venit.

Dicimus omnes saltem in actu primo obligari, et hoc verum est, nam objectiva obligatio oritur ex sufficiente promulgatione legis, quæ certe quod legem novam spectat, debito modo facta est ab apostolis, cum in omnes fines terræ exiverit sonus eorum (1). In actu secundo autem singuli non prius obligantur, quam legis notitia ad eos pervenerit et ita usque ad hoc tempus infideles propter ignorantiam a legis observatione excusantur. Quod optime explicat Suarez, lib. X, c. 4, n. 25: « Fieri potuit ut notitia Evangelii per multum tempus vel omnino non pervenerit ad multas mundi provincias, vel saltem non sufficienter. Hoc vero non obstat quominus totum mundum obligaverit post transactum tempus sufficiens ad perfectam diffamationem et notitiam. Unde etiam distinguendum est id quod est per se, ab eo quod est per accidens, et distinguenda est excusatio a carentia obligationis. Per se enim promulgatio publica, cum tempore sufficiente ad integram divulgationem, est necessaria ad integram obligationem; per accidens autem potest illa divulgatio aut notitia impediri; inde tamen non impedietur obligatio, quamvis oriri possit excusatio » (2).

---

(1) Prætermittimus hic quæstionem de tempore quo lex Evangelii obligare incepit, de qua cfr. Bouquillon, *o. c.*, n° 89. Illud saltem ut certum habendum est, npe promulgationem proprie dictam, quæ ad vim legis requiritur, ab apostolis factam esse.

(2) Notandum tamen est ignorantiam legis divinæ positivæ non impedire necessitatem baptismi in re vel in voto, quamvis forte excusat a culpa personali, ut in infantibus; nam, uti docet Suarez, loc. cit. « hunc effectum lex per seipsam operatur independenter a notitia subditorum. Quod non est inconveniens, nec contra divinam providentiam, quando solum per accidens contingit, et sufficiens promulgatio cum necessaria temporis amplitudine præcessit, quia omnibus legibus hoc commune est ».

Nota. 1°/ Etsi lex evangelica recte dicitur omnibus obligatoria, singula tamen ejus præcepta non æquali modo omnes attingunt: præceptum enim suscipiendi fidem et ingrediendi ecclesiam per susceptionem baptismi omnes *immediate* obligat; alia vero præcepta ex natura sua *mediate* tantum obligatoria sunt, nimirum supposito baptismo, siquidem a solis baptizatis adimpleri possunt, v. gr. præceptum communionis et confessionis (1).

2°/ Etiam animadvertendum est quædam præcepta legis novæ, nempe præcepta moralia *naturalia* a Christo confirmata, aliunde jam omnes obligare et *ratione promulgationis* tantum ad legem divinam positivam pertinere. Quo fit ut ea violantes non contrahant malitiam specifice diversam a malitia ex ipsa naturalis legis violatione oriunda; gravius tamen peccant intensive propter spretam auctoritatem Christi *immediate* (nec tantum mediante lumine rationis) præcipientis (2).

R. De Schepper.

IV

Q. Ostendatur qua ratione virtutes infusæ distinguantur aliæ theologicæ, aliæ morales.

Prænota. Nomen virtutis moralis sæpe adhibetur sensu generico, quo complectatur omnem habitum elicitivum actuum moraliter bonorum. Hoc sensu ipsas virtutes theologicas, et potissimo jure sub se contineret. — Item juxta vocis etymon traditam a S. Thoma, I-II, q. 58, a. 1, virtus moralis sæpe dicitur virtus omnis quæ in parte appetitiva subjectatur, in oppositione ad virtutem intellectualem, quæ in parte cognoscitiva. Qua ratione tum virtutes infusæ Spei et Caritatis, virtutes morales dici possent, dum virtus, sive acquisita sive infusa, Prudentiæ virtutibus intellectualibus

(1) Cfr. Bouquillon, l. c., n. 85. Noldin, o. c., p. 129. Van den Berghe, o. c., p. 46.

(2) Cfr. Van den Berghe, l. c.

adnumeranda esset (1). — Quum autem circa rerum nomina non adeo ratio objectiva, quam potius communis hominum impositio et quid jam usu loquendi obtineat, quærendum sit, in quæstione nostra sumimus virtutem moralem in quantum adæquate virtuti theologicæ opponitur, ita ut virtutes infusæ Spei et Caritatis theologicis, Prudentia vero moralibus adjungenda sit. Cæterum nec hæc ratio vocandi ut illegitima habenda esse patebit ex ipsa expositione notionum.

R. Docet S. Thomas I-II, q. 62, art. 1, virtutes quasdam dici theologicas, « tum quia habent Deum pro *objecto*, in quantum per eas recte ordinamur in Deum: tum quia a solo Deo nobis *infunduntur* : tum quia sola *divina revelatione* in Sacra Scriptura hujusmodi virtutes traduntur ». — Ex his autem conditionibus nec 2^{a}, nec 3^{a}, sunt virtutibus theologicis præ moralibus infusis propriæ. Sunt enim virtutes morales infusæ eodem jure ac theologicæ, principia proximiora illius novæ naturæ quæ est gratia sanctificans, et proinde et ipsæ nonnisi ex divina infusione haberi possunt. — Unde ulterius sequitur sicut theologicas ita et morales infusas non posse alio modo quam revelatione divina innotescere, quum neque in se, neque in causis, neque in effectibus suis sub naturali nostra scientia cadere possint. Non in se, quia hoc modo nullus habitus a nobis cognoscitur unquam ; non in causis, quia virtutis infusæ causa est occultissima ; non in effectibus, i. e. per actus

(1) Quæ divisio virtutum in intellectuales et morales, sane adæquata esse dicenda est, ut ostendit S. Thomas, l. c., art. 3. Nec obstat quod h. l., ad 3^{m} S. Doctor concedere videatur virtutes theologicas ad neutram ex his duabus speciebus posse reduci. Agit enim h. l. S. D. de virtutibus quas vocat *humanas*, i. e. quas actibus nostris acquirere valemus, et ideo bene dicit ad 3^{m} virtutes Fidei, Spei et Caritatis (infusas) esse supra virtutes humanas, utpote virtutes hominis prout est factus particeps gratiæ divinæ. Unde simili ratione nec virtutem *infusam* Prudentiæ intellectualibus, nec reliquas virtutes morales *infusas* annumeraret moralibus. Unde dicendum est dictam divisionem esse adæquatam, eamque applicari tum virtutibus acquisitis tum virtutibus infusis. Cfr. SALMANT., *De Virtutibus*, in h. l. S. Th.

supernaturales quorum exstant principium. Conscii quidem sumus actuum nostrorum, in quantum sunt motus in objecta sua; conscii sumus nos tale verum attingere, tales passiones refrænare, etc., nequaquam autem conscii sumus, nos illa objecta attingere actu entitative supernaturali. Nec dicat quis conditionem actus cognosci ex conditione objecti, et sic actum quo attingimus objectum supernaturale, puta fidem qua credimus divinitus revelata in ordine ad visionem intuitivam, esse ut supernaturalem habendum; potest enim, supposita divina revelatione, dicta veritas attingi actu entitative naturali, i. e. propriis viribus naturæ elicito (1).

Data distinctio proin ex 1ª conditione assignata a S. Th. desumenda est, et huc redit quod virtutes theologicæ hominem proxime disponunt ad actus circa ipsum *finem* supernaturalem exercendos, morales vero directe eum disponunt ad actus connaturales circa res creatas tanquam *media ad finem* exercendos. — Ad cujus rei intelligentiam recolendæ sunt notiones hoc loco tradi solitæ. *Objectum* nimirum proprium alicujus virtutis, illud est in quo attingendo virtus illa ejusque operatio versatur. *Materialiter* spectatum est ipsa res quæ attingitur in se considerata, abstrahendo ab omni ulteriori determinatione qua sit objectum *talis* actus vel virtutis, quo modo Deus est objectum trium virtutum theologicarum. *Formaliter* spectatum est eadem materia formata seu quasi vestita omnibus formalitatibus quibus fit ut a tali actu vel virtute determinata attingatur, quo modo objectum Spei dicitur Deus ut bonum absens arduum possibile adipisci. Est autem harum formalitatum una quæ dicitur *motivum objectivum* seu *formale* actus vel virtutis, estque illud elementum objecti formalis (et ideo dicitur *objectivum* vel *formale*)

(1) *Coll. Brug.*, t. XII, 756 ss.; Billot, *De Virtutibus infusis*, 106 ss.

quod ultimo movet (et ideo *motivum*) ad exercitium actus. Quo modo ad sperandum me movet possibilitas Deum possidendi, seu omnipotentia Dei auxiliatrix (1).

Porro virtutes theologicæ, *Deum*, finem nostrum supernaturalem, habent ut objectum immediatum, tum materiale tum formale, et ut motivum formale. Ut objectum quidem materiale, quatenus Deus est ipsum objectum quod actu virtutis attingitur. Quod tamen ita est intelligendum ut Deus sit objectum *attributionis*, ita ut præter ipsum, alia quoque creata attingi valeant, prout ad Deum ordinantur, quæque proinde objecta attributa vocari possunt. Et ita quidem credimus Deum, id est veritates de Deo rebusque divinis; speramus Deum, id est obtentionem Dei ipsius et auxiliorum quæ ad illam nos perducant; amamus Deum, id est Deum ipsum, et nosmetipsos ac proximum, in quantum ad Deum ut participes beatitudinis et bonitatis ejus rela-

---

(1) Notum est magnam vigere in hujus terminologiæ usu discrepantiam apud auctores. Quod diximus motivum objectivum seu formale, alii vocant formale quo, vel formale propter quod, vel objectum pure formale (BILLOT, o. c., p. 92), vel objectum formale (BOUCQUILLON, *De Virtutibus theologicis*, p. 32), vel objectum formale sub quo (DIGNANT, *Tract. de Virt. Relig.*, p. 6) etc., quemadmodum quod vocamus objectum formale, alii vocant objectum materiale (BOUCQUILLON, o. c.), vel objectum formale quod (BILLOT, l. c.). Omittimus distinctionem motivi objectivi in motivum ut quod et motivum ut quo de qua cfr. tract. de Fide, præsertim ubi de analysi objectiva actus Fidei). Notamus in specie minime confundi posse objectum formale et motivum objectivum virtutis. Multa enim spectare possunt ad objectum formale quæ tamen non possunt dici objective movere ad exercitium actus. Et sic ad objectum quidem formale Spei pertinet, quod bonum speratum sit *absens*, (bonum sane præsens non spero, sed comprehendo) — et *arduum* (bonum enim necessitate quadam, sine ulla ratione ardui contingere natum, non spero, sed exspecto, quemadmodum sancti in cœlo non sperant, sed exspectant gloriam corporis), sed tamen non ipsa absentia aut ipsa difficultas obtinendi, uti patet, sed sola *possibilitas* adipiscendi, ratio est quæ ex parte objecti me movet ad sperandum. Et hinc quidem sequitur distinctionem virtutum non unice ex motivo objectivo esse desumendam, sed ex toto objecto formali, ut patet tum allato exemplo sanctorum, tum ex eo quod secus non esset cur specifice distingueres virtutes infusas ab acquisitis, ut supra ostensum est, t. XII, p. 755 ss.

tos (1). Præterea objectum hoc materiale variis formalitatibus determinatur, pro varia virtute theologica cujus est objectum: attingitur enim Deus a Fide, in quantum est veritas ipsa prima, eaque revelata; a Spe in quantum est Bonitas prima ut absens et ardua, tamen possibilis haberi in supernaturali beatitudine; a Caritate prout est eadem bonitas, ut nunc diligenda amore amicitiæ. Et ultima quidem formalitas, seu motivum formale, ab ipso Deo non distinguitur: ad credendum enim movet me divina auctoritas; ad sperandum, omnipotentia divina auxilians; ad amandum divina Bonitas in seipsa, spectata ut est objectum beatitudinis (2). — Virtutes morales contra omni hoc modo respiciunt *res creatas*, quibus tanquam mediis et proinde tanquam finibus proximis et intermediis ad finem ipsum homo pertingat. Sunt enim earum objectum materiale operationes humanæ vel passiones, in quibus medium aut constituunt (Prudentia) aut servant (Justitia, Fortitudo, Temperantia). Quod iterum objectum materiale variis formalitatibus determinatur, quo fiat proprium tali vel tali virtuti speciali. Quas varias rationes, et eam in specie quæ dicitur motivum, aliquid creatum esse oportet. Et sic in virtute Religionis quæ ad theologicas magis accedere videtur, objectum materiale, non ipse Deus est, sed cultus ipsi exhibitus; objectum formale, idem cultus in quantum in ipso elucet honestas quæ est in reddendo debitum ad aliquam æqualitatem; motivum formale, hæc ipsa honestas. Et ita si quis in reddendo Deo actum cultus, directe movetur ipsa Dignitate et Excellentia divina, non vero honestate quæ est in de-

---

(1) De qua distinctione objecti (seu subjecti) attributionis et attributi, cfr. philosophos, ubi de objecto (seu subjecto) scientiarum. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 186; Schiffini, *o. c.*, p. 10. — Cfr. Suarez, *De Gratia*, l. 6, c. 8.

(2) Cfr. Bouquillon, o. c., nn. 47 ss., 317 ss., 400 ss.; et *Annotationes* Ill. Waffelaert in hæc ll.

bito reddendo, hac ratione non actum Religionis, sed Caritatis ageret (1).

V

Q. *Utrum, spectata tum dignitate, tum participatione sive in eodem sive in diversis subjectis, omnes virtutes infusæ dicendæ sint æquales.*

Manifesta est ratio distinctionis in quæstione positæ. Nimirum æquale et inæquale dicuntur secundum quantitatem seu magnitudinem; quantitas autem in rebus non materialibus dicitur idem ac rei perfectio. Virtutes proinde infusæ æquales vel inæquales dicuntur secundum perfectionem. Porro virtutes infusæ sunt formæ non subsistentes, quarum esse consistit in eo quod insunt subjecto. Unde dupliciter comparari poterit earum perfectio: *uno modo, secundum se,* seu secundum rationem propriæ speciei, utrum nimirum, invicem comparatæ omnes dicendæ sint æque perfectæ seu dignæ, — et utrum eadem virtus secundum se possit esse magis vel minus perfecta; *altero modo secundum esse quod habent in subjecto*, utrum nimirum possint inæquali modo possideri. — Unde:

R. I. *Considerantur virtutes infusæ* secundum se; — et de illis hæc dicimus:

1/ *Inter se comparatæ, variæ virtutes non sunt ejusdem*

(1) Ex dictis nobis sequi videtur non adeo accurate discrimen inter virtutes theologicas et morales exponi, ab illis qui dicunt nos per virtutes theologicas accipere servitium divinum, per virtutes vero morales nos Deo de facto servire et ea quæ a nobis postulat implere, seu virtutes morales moderare modum nostrum agendi erga Deum (ctr. Ill. Lambrecht, *Verklaring van den mechelschen Catechismus*, 1881, p. 399 ss.). Nonne etiam per virtutes theologicas de facto Deo servimus? Nonne et ipsæ inclinant nos ad varia mandata implenda quæ nobis imponit? Nonne et ipsæ, et præcipuo jure, regulant modum nostrum agendi erga Deum? — Quoad rem et quoad denominationem ex dictis dicendum videtur: Sensu generico posset omnis virtus dici moralis, quatenus ad actus moraliter bonos impellit; sunt tamen quædam eminentiores, quarum actus immediate ipsum *Deum* et proinde ipsum finem nostrum pro objecto habent, et quæ proinde nomine speciali dici possunt theologicæ; cæteris vero, quæ non attingunt ipsum Deum, sed *res creatas* quibus utuntur tanquam mediis ad finem, reservatum fuit, in oppositione ad priores, nomen commune virtutis moralis.

dignitatis seu perfectionis. « Cum enim virtus sit dispositio perfecti ad optimum, illa virtus perfectior et major est quæ ad majus bonum ordinatur; et secundum hoc virtutes theologicæ, quarum objectum est Deus, sunt aliis potiores; inter quas tamen Caritas est major, quia propinquius Deo conjungit; et Spes major quam Fides, quia scilicet Spes aliqualiter movet affectum in Deum; Fides autem facit Deum in homine esse per modum cognitionis. Inter alias autem virtutes Prudentia est maxima quia est moderatrix aliarum (1) et post hanc Justitia per quam homo bene se habet non solum in seipso sed ad alium; et post hanc Fortitudo, per quam homo propter bonum contemnit pericula mortis; et post hanc Temperantia, per quam homo propter bonum contemnit maximas delectationes corporalium » (2). — Circa quæ notamus:

a/ Sic quoad virtutes morales a S. Th. definiri ordinem perfectionis inter solas virtutes *cardinales,* prout sunt quatuor virtutes *speciales*, eminentes in quatuor generibus virtutum quæ sensu generico cardinales dicuntur, non autem ordinem dignitatis inter *omnes* virtutes infusas; et nil proinde obstare quin aliqua virtus annexa virtuti cardinali (sensu specifico), hac ipsa absolute nobilior esse possit, et aliqua annexa virtuti cardinali minus nobili, nobilior esse possit aliis cardinalibus licet nobilioribus priore: et ita reipsa religio, quæ est pars potentialis justitiæ, absolute (in quantum ad bonum inclinat) nobilior virtus est virtute justitiæ, quamvis sit minus perfecta in ratione justitiæ, et simul nobilior est quam prudentia, quamvis hæc nobilior sit virtute justitiæ (3).

b/ Rationem distinctionis a S. Th. h. l. allatam talem

---

(1) Cfr. I-II, q. 66, art. 3, ubi solvitur difficultas hinc petita ad præponendam etiam fidem virtutibus theologicis.

(2) S. Th., *Quæst. disp.*, De Virt. Card., qu. unica, art. 3.

(3) Ill. Waffelaert, *De Prud.*, *Fort. et Temp.*, p. 21.

esse quæ *simpliciter* stabiliat ordinem perfectionis, inter varias virtutes; tanto enim virtus est simpliciter perfectior quo ad majus bonum inclinat. Optimas tamen rationes inæqualitatis specificæ posse etiam ex aliis capitibus desumi; quemadmodum comparant virtutes sive quoad *subjectum,* i. e. facultatem quam perficiunt, sive quoad *exercitium actus,* inquirendo np. utrum æquo modo ad actum movent, sive quoad *objectum* magis vel minus nobile quod attingunt (1).

2/ *Virtus ejusdem speciei, id est eadem specifice virtus, inæqualitatem perfectionis secundum se non admittit,* etsi possit inæquali modo possideri (cfr. II). Et revera ex ipso conceptu suo omnis virtus *perfecta* se extendit ad totam materiam suam; et ideo virtus *infusa*, puta Fidei, utpote perfecta semper se extendit ad totam materiam suam quatenus inclinat hominem ad credendam omnem veritatem Fidei, et existit principium reddens supernaturales omnes actus Fidei qui elici possunt (2).

II. Consideramus virtutes infusas *secundum inesse*, seu secundum gradum quo participantur a subjecto (3). — Et de illis hæc dicimus:

1°/ Si spectantur prout insunt **eidem subjecto eodemque tempore,** *simpliciter omnes virtutes infusæ, saltem regulariter, illi insunt æqualiter, æqualitate proportionis.* Dicitur: *æqualiter*: sicut enim ubi primo infunditur gratia sanctificans requiritur ut simul infundantur om-

---

(1) Cfr. S. Th. I-II, q. 66, art. 1 et 3 ss.; II-II, q. 23, art. 6; Ill. Waffelaert, *o. c.*, p. 22 s.

(2) Unde diximus supra, p. 171, admitti quidem posse augmentum adeoque inæqualitatem virtutum infusarum quoad objectum materiale, puta quoad numerum veritatum fide credendarum, proximorum caritate diligendorum, etc., sed hoc augmentum plane improprium et extrinsecum esse virtuti.

(3) Hic dicenda intime cohærent tum cum dictis de connexione virtutum, quum æqualitas virtutum, ut docet S. Th. I-II, q. 66, art. 2, sit quædam connexio secundum quantitatem; tum cum dictis de augmento virtutum, quum ex possibilitate augmenti oriatur possibilitas inæqualitatis.

nes virtutes infusæ utpote illius proprietates et principia operandi proximiora, ita, ob eamdem rationem, requiritur ut omnes, eodem momento spectatæ, æquali gradu insint subjecto. — *Æqualitate proportionis*: manente nimirum semper salva diversa dignitate quam virtutes secundum se habent, ut supra dictum est (1). — *Simpliciter*: id est in quantum sunt virtutes infusæ, secundum essentiam suam intrinsecam. Etenim *secundum quid*, et impropria seu extrinseca ratione possunt virtutes esse inæquales: æqualitas enim intentionis virtutum omnium in subjecto minime impedit quin idem homo sit magis *promptus ad actum* unius virtutis quam ad actum alterius, « propter majorem assuetudinem, vel propter meliorem dispositionem naturalium, vel propter perspicacius judicium rationis, aut etiam propter majus gratiæ donum » (S. Th., *De Virt. Card.* l. c.). — *Regulariter saltem loquendo*: potest enim per accidens contingere ut fides et spes in altiori præ cæteris virtutibus gradu possideantur. Sicut enim hæ duæ virtutes non sunt cum cæteris ita connexæ ut non possint abeunte caritate et aliis infusis, ipsæ manere, poterunt item sua intensitate superare alios habitus infusos, nimirum in illo qui amissam caritatem et virtutes, per pœnitentiam recuperat quidem, sed ob minorem suam dispositionem in gradu minori quam quo ante lapsum suum caritatem cum virtutibus fidei et spei possidebat (2).

2°/ Si spectantur prout insunt **diversis subjectis**, vel, quod idem est, **eidem diversis temporibus**, ex eo quod possint intrinsece augeri in quantum insunt subjecto, sequitur varios homines eodem tempore vel eumdem hominem diversis temporibus posse inæquali per-

---

(1) « Caritas secundum se est major omnibus aliis virtutibus, sed tamen, ea crescente etiam proportionaliter crescunt omnes aliæ virtutes in uno et eodem homine, sicut digiti manus secundum se sunt inæquales, tamen proportionaliter crescunt. » S. Th., *l. c. de Virt. Card.*

(2) Cfr. Billot, *De Virt. inf.*, p. 160 s., et supra p. 170, corol. 1.

fectione gratiam et virtutes possidere. Et hinc possunt duo homines justi, prout vario modo profecerint in gratia illique connexis virtutibus, actibus ejusdem virtutis, puta Caritatis, perfectionem habitus respectivi adæquantibus, meritorum gradum diversum obtinere. Et patet rursus, præter inæqualitatem hanc intrinsecam, quam S. Th. tribuit *simpliciter* virtutibus infusis, admitti posse inæqualitatem *secundum quid* seu extrinsecam, spectata np. sive extensione objecti materialis, sive facilitate seu promptitudine exercitii a variis causis accidentalibus dependente. Et hæc quidem ultima inæqualitas est ratio quare singulus sanctus, etsi habuerit virtutes suas supernaturales omnes æqualiter intensas, celebretur tamen specialiter de una virtute, sicut Abraham de fide, Moyses de mansuetudine, Job de patientia; et quare de quolibet confessore cantetur in Ecclesia: « Non est inventus similis illi qui conservaret legem Excelsi », eo quod quilibet habuit excellentiorem promptitudinem ad actum unius virtutis.

A. Vander Heeren.

VI

Q. *Quotuplex distinguitur species* Orationum *in principio Missæ dicendarum? Quot et quænam in genere dicendæ sunt* Orationes *in missis ritus duplicis, semiduplicis et simplicis?*

R. I. Triplex distinguitur Orationum species:

1/ **Oratio** *substantialis* seu **propria** *missæ* quæ celebratur, quæque eadem est ac officii corespondentis.

2/ **Commemorationes**, seu orationes quæ per se non pertinent ad eam quæ celebratur missam, sed cum officio huic missæ corespondente aliquam habent connexionem vel strictiorem vel latiorem. Unde bifariam distinguuntur:

a/ Aliæ enim sunt quæ in missa recitantur ut recolatur memoria alicujus officii quod, ob suam cum majori

officio occurrentiam, integre quidem fieri nequit, penitus tamen omitti non potest. Merito igitur dicuntur *commemorationes stricte dictæ* et generatim sunt eædem ac commemorationes in laudibus officii factæ. Et quum sint propriæ officiis quæ statuta die integre recitari vel saltem commemorari debent, quæque ideo singula die diversa sunt, merito etiam nuncupari solent *commemorationes speciales*.

b/ Aliæ sunt quæ in nonnullis missis addi debent ad complendum numerum trium orationum in missis ritus non duplicis requisitum. Ex quo apparet ratio nominis quo apposite eas vocat Dr A. Schmid (1) *Hilfsorationen* (hulporatiën, oraisons de secours). Nulli diei aut officio sunt propriæ: quare dici solent *orationes communes;* sed *Rubricæ generales*, IX, 2 ss. enumerant quænam pro temporis liturgici diversitate sint sumendæ: quare vocantur sæpe *Orationes pro tempore assignatæ*. Tandem, licet non commemorent aliquod officium speciale, habent tamen aliquam cum officio relationem, quatenus generatim (exceptis octavis et duobus temporibus anni) dicendæ sunt in missa iis diebus quibus in officio pariter addendæ sunt commemorationes communes seu suffragia: unde nuncupantur et ipsæ *commemorationes latiori sensu* seu *communes*.

3/ **Orationes** quæ nullam habent cum officio relationem et ideo **votivæ** dicuntur, quæque interdum

a/ vel addi *debent* ex speciali rubricarum aut Ordinarii præcepto et ideo vocantur *votivæ late dictæ*;

b/ vel addi *possunt* ex proprio lubitu et voto celebrantis et inde merito nuncupantur *votivæ stricte dictæ*.

II. Ad Orationum numerum quod pertinet, *per se*, h. e. spectato solo officio cujus celebratur missa, servari debet generatim numerus impar (2), et quidem:

---

(1) *Cæremoniale*, Kempten, 1906, p. 132.

(2) Rationes mysticas vide apud INNOCENTIUM III, *De mysterio altaris*, c. XXVI.

1/ ritus *duplex* unicam (1) admittit orationem, missæ propriam;

2/ in missis ritus *semiduplicis* tres requiruntur nec plures admittuntur.

Excipiuntur tamen quædam missæ: a/ in Dominica Palmarum et in vigilia Pentecostes unica dicenda est oratio (2); b/ in Dominica Passionis, in diebus semiduplicibus infra octavas Paschatis et Pentecostes et in dominica cujus officium infra octavam occurrit, duæ tantum dicendæ sunt.

3/ In missis ritus *simplicis* tres dici debent, sed potest pro lubitu celebrans dicere quinque vel septem.

Tamen in feriis a Dominica Passionis ad feriam V in Cœna Domini exclusive, duæ tantum dicendæ sunt.

III. Verum, *per accidens* sed sæpe mutatur ille numerus, vel quia faciendæ sunt commemorationes speciales officiorum occurrentium, vel quia præscribuntur orationes votivæ late dictæ. Unde in missis officio conformibus dicendæ sunt in genere orationes sequentes:

1/ Prima oratio semper est *oratio propria* missæ.

2/ Subjungendæ sunt omnes *commemorationes speciales* quæ et quo ordine dictæ sunt in laudibus officii.

Exceptiones: a/ missa dominicæ Palmarum et vigiliæ Pentecostes excludit omnem commemorationem etiam specialem (2).

b/ in missa conventuali aut cantata festi duplicis II classis omittenda est commemoratio festi simplicis (non simplificati) facta in officio.

c/ commemoratio feriæ III et IV Rogationum necnon vigiliæ occurrentis in Adventu, Quadragesima aut Quatuor Temporibus, quæ omittenda est in laudibus, nihil-

---

(1) Quo majus est festum quod Ecclesia colit, eo magis etiam vult omnem attentionem et cultum in unum, cæteris exclusis, dirigere.

(2) Specietenus tantum est exceptio. Nam officium quidem horum dierum revera est semiduplex, sed missa de facto gaudet omnibus privilegiis duplicis, imo duplicis I classis.

ominus facienda est in missa, excepto tamen festo duplici I classis.

3/ Si in missis ritus non duplicis ita nondum obtinetur numerus orationum ternarius requisitus, debet ille numerus compleri addendo unam vel duas *commemorationes communes* quæ et quo ordine in Rubricis generalibus c. IX (et in calendario) assignantur pro anni tempore in quo celebratur.

4/ Ulterius adjungendæ sunt *orationes votivæ late dictæ* quæ a rubricis aut Ordinario præscribuntur (modo hac die et in tali missa salvis rubricis permittantur) sequenti ordine: orationes nempe a/ de Venerabili exposito; b/ in anniversario creationis aut coronationis Summi Pontificis; c/ in anniversario electionis, consecrationis aut translationis episcopi diœceseos; d/ collecta ab ordinario imperata.

(1) E. P., p. 613. En versio gallica : Le culte naît d'une double nécessité, d'un double besoin : car, on l'a remarqué, la nécessité, le besoin, telle est, dans leur système, la grande et universelle explication. Le premier besoin ici, est de donner à la religion un corps sensible ; le second de la propager, à quoi il ne faudrait pas songer sans formes sensibles ni sans les actes sanctifiants que l'on appelle sacrements. Les sacrements, pour les modernistes, sont de purs signes ou symboles, bien que doués d'efficacité. Ils les comparent a de certaines paroles dont on dit vulgairement qu'elles ont fait fortune, parce qu'elles ont la vertu de faire rayonner des idées fortes et pénétrantes qui impressionent et remuent ».

religione sunt habitæ... Sic igitur in hisce libris Deus quidem loquitur per credentem; sed, uti fert theologia modernistarum, per *immanentiam* solummodo et *permanentiam vitalem* » (1). *Inspiratio* autem nihil aliud est quam vehementior impulsio, ab aliquibus habita, ad suam fidem, experientiamque religiosam verbo scriptove manifestandam (2).

Ecclesia est societas orta ex duplici *credentium* necessitate: prima est necessitas communicandi aliis fidem; altera est necessitas uniendi vires ad bonum commune tuendum, augendum, propagandum. Ecclesia est igitur partus *conscientiæ collectivæ* seu consociationis conscientiarum singularium; quæ, vi *permanentiæ vitalis*, a primo aliquo credente pendeant, videlicet, pro catholicis, a Christo (3). — Porro in omni societate requiritur *auctoritas*: hæc, in catholica Ecclesia, non provenit immediate a Deo, quemadmodum antea credebatur, sed provenit ab ipsa multitudine: sicut enim Ecclesia e conscientiarum collectivitate emanat ita et auctoritas: consequenter auctoritas subest conscientiæ collectivæ (4). — Quæ conclusio, pro modernistis, summi est momenti!

---

(1) E. P., p. 613-614.

(2) Ibid. — En descriptio *inspirationis* quam secundum catholicam doctrinam tradit Leo XIII: « Quare nihil admodum refert Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam *supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quæ ipse juberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent,* et *apte infallibili veritate exprimerent:* secus, non ipse esset auctor sacræ Scripturæ universæ ». *Encyclica* « Providentissimus ». Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 314. — In ultimo suo opere, *Simples réflexions,* p. 42, scribit D. Loisy: « Dieu est l'auteur de la Bible comme il est l'architecte de Saint-Pierre de Rome, et de Notre-Dame de Paris ».

(3) Cf. E. P., p. 614. — V. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 707 ubi exposuimus sententiam propugnatam ab Harnack qui originem Ecclesiæ explicat per necessitatem, in qua versabantur christiani, vires uniendi ad religionem defendendam ac propagandam.

(4) Cf. E. P., p. 615.

Ex dictis apparet omnia quæ ad religionem pertinent, fidem, dogmata, cultum, sacramenta, libros sacros, ecclesiam, oriri ex internis hominum indigentiis et consequenter semper esse accommodanda iis necessitatibus, denique, iterum consequenter, illa omnia perpetuæ mutationi ac evolutioni subjici quia illæ indigentiæ, utpote vitales, perpetuo mutantur ac evolvuntur. Hæc doctrina de indigentiis est quasi basis ac fundamentum theoriæ de evolutionismo (1).

3. Religionis evolutionem fuisse a Modernistis propugnatam et hanc tradi tamquam explicationem factorum, quæ in Religionis existentia occurrunt, indubium est.

D. Loisy asserebat *christianismum essentialiter subjici evolutioni radicali*: « Pourquoi ne pas mettre l'essence du christianisme dans la plénitude et la totalité de sa vie, qui, par cela même qu'elle est vie, est mouvement et variété, mais en tant que vie procédant d'un principe évidemment très puissant, a grandi suivant une loi qui affirmait, à chaque progrès, la force initiale de ce qu'on pourrait appeler son essence physique, révélée dans toutes ses manifestations ? (2)

« N'est-il pas vrai que tout est mouvement dans une religion vivante : croyance, discipline, morale et culte ? La tradition tend à la stabilité, mais la vie pousse au progrès ? (3)

De *dogmatum* evolutione : « Les conceptions que l'Église présente comme des dogmes révélés *ne sont pas des vérités tombées du ciel* et gardées par la tradition religieuse dans la forme précise où ils ont paru d'abord. L'historien y voit *l'interprétation de faits religieux*, acquise par un *laborieux effort de la pensée théologique*... Les formules traditionnelles sont soumises à un travail

(1) Cf. E. P., p. 618-619.
(2) *L'Evangile et l'Eglise*, p. XXVI.
(3) *Autour d'un petit livre*, p. 47.

perpétuel d'interprétation. — L'évolution incessante de la doctrine se fait par le travail des individus, selon que leur activité réagit sur l'activité générale; et ce sont les individus qui, pensant avec l'Église, pensent aussi pour elle » (1). — « On peut dire sans paradoxe, que pas un chapitre de l'Ecriture, depuis le commencement de la Genèse jusqu'à la fin de l'Apocalypse, ne contient un enseignement tout à fait identique à celui de l'Eglise sur le même objet » (2). — Specialiter de *Christi divinitate:* « La divinité du Christ est un dogme qui a *grandi* dans la conscience chrétienne, mais qui n'avait pas été expressément formulé dans l'Evangile; il existait seulement en *germe* dans la notion du Messie fils de Dieu. Aucun principe de théologie, aucune définition de l'Eglise n'obligent à admettre que Jésus en ait fait la déclaration formelle à ses disciples avant sa mort. Il est au contraire très conforme à la tradition catholique de supposer que la *révélation* (3) *s'en est affirmée graduellement* » (4). In ultimo opere, nuperrime conscripto, dicit D. Loisy dogma divinitatis Christi esse quasi transformationem notionis judaïcæ (de messianitate) in notionem *hellenicam* (de divinitate Christi) (5).

De *veritate:* « Mais il me semble évident, par la commune expérience, que la *vérité* est en nous quelque chose de nécessairement conditionné, relatif, toujours perfectible et susceptible aussi de diminution... Nos

---

(1) *L'Evangile et l'Eglise*, p. 158, p. 174 s.; *Autour*, p. 189.

(2) *Autour*, p. 54.

(3) Secundum D. Loisy, revelatio est actus conscientiæ humanæ, non manifestatio veritatis, a Deo facta homini, v. suprà, p. 208.

(4) *O. c.*, p. 118. V. in decreto « Lamentabili » propositiones 27 ad 31, 59 ad 65.

(5) « Il ne s'agit aucunement d'une déduction logique (de la notion de Messie à la notion de Dieu), mais d'une sorte de *traduction*, de *transposition* de la pensée juive, ou de l'idée messianique, dans la pensée hellénique, ou la divinité de Jésus ». *Simples réflexions sur le décret « Lamentabili » et sur l'encyclique « Pascendi »*, p. 68.

perceptions n'atteignent pas le fond de la réalité... La vérité, en tant que bien de l'homme n'est pas plus immuable que l'homme lui-même. Elle évolue avec lui, en lui, par lui... » (1)

De *cultu*: « Jésus n'a pas plus réglé d'avance le culte chrétien qu'il n'a réglé formellement la constitution et les dogmes de l'Eglise. C'est que, dans l'Evangile, le christianisme n'était pas encore une religion existant par elle-même... Encore est-il que l'eucharistie, au jour de sa célébration première, signifie plutôt l'abrogation du culte païen et l'avènement prochain du royaume, *que l'institution d'un nouveau culte*, le regard de Jésus n'embrassant pas directement *l'idée d'une religion nouvelle, d'une Eglise à fonder*... En matière de culte, le *sentiment religieux des masses* a toujours précédé les définitions doctrinales de l'Eglise sur l'objet du culte. Le fait est plein de signification: il atteste la loi qui réclame un culte approprié à toutes les conditions d'existence et au caractère du peuple croyant. La *communion réelle au Christ dans l'eucharistie fut exigée* aussi impérieusement par la *conscience chrétienne* que la divinité de Jésus » (2).

De sacramentis docet D. Loisy illa orta esse ex fide christianorum secundum indigentias varias excitatas ab externis adjunctis (3): « Les *réalités* et les *notions* de hierarchie, de primauté, de dogme, même de sacrement, correspondent à un accroissement de la communauté chrétienne qui a seulement son germe dans l'Evangile. Elles ne peuvent être que l'équivalent agrandi de choses et d'idées plus rudimentaires, dont on discerne la trace dans le Nouveau Testament » (4).

Sacrorum librorum confectionem et indolem explicat

---

(1) *Autour*, p. 191-192. V. in decreto « Lamentabili » propositionem 58.

(2) *Evangile et Eglise*, p. 181-190.

(3) *L'Evangile et l'Eglise*, p. 177 ss.; *Autour*, p. 222 ss. V. in decreto « Lamentabili » propositiones 39 ad 51.

(4) *Autour*, p. 16-17. V. in decreto « Lamentabili » propositionem 54.

etiam per metaphoram germinis sese evolventis : nempe qui Christum audierunt aliquam « impressionem » habuerunt, deinde illam impressionem interpretati sunt, et suam fidem seu sensum religiosum, jam evolutam, scriptis exposuerunt. « Il ne reste dans les Evangiles qu'un écho, *nécessairement affaibli* et *un peu mêlé*, de la parole de Jésus; il reste *l'impression générale* qu'il a produite sur ses auditeurs bien disposés, ainsi que les plus frappantes de ses sentences, *selon qu'on les a comprises et interprétées;* il reste enfin le *mouvement* dont Jésus a été l'initiateur » (1). « Il n'est pas moins clair que les évangélistes racontent beaucoup moins des incidents particuliers de l'histoire qu'ils n'expriment un *sentiment de la conscience* chrétienne, dans les termes qui leur semblent répondre le mieux au fait chrétien. En tous ces témoignages, l'institution divine de l'Eglise est *signifiée par la foi à la foi*, beaucoup plus que l'origine de l'Eglise n'y est décrite par l'histoire et pour elle » (2).

Tandem ipsa *Ecclesia*, ut visibilis societas, hac in terra degens, non fuit vere instituta a Christo, quippe qui hac de re ne cogitavit quidem. « *Il est certain*, par exemple, que Jésus *n'avait pas réglé d'avance la constitution de l'Eglise comme celle d'un gouvernement établi sur la terre et destiné à s'y perpétuer pendant une longue série de siècles*. Mais *il y a quelque chose de bien plus étranger encore a sa pensée...* » (3).

Modernistæ in « Responsione » ad E. P. fidei ac religionis evolutionem propugnant. Quædam e textu

---

(1) *L'Evangile et l'Eglise*, p. XX-XXI. Il faut noter que d'après le système de M. Loisy, on ne peut pas considérer comme des sentences, *réellement enseignées* par le Christ, celles qui concernent p. ex. la primauté de Pierre, l'ordre de recevoir le baptême, l'institution de l'Eucharistie, etc.

(2) *Autour*, p. 168-169.

(3) *O. c.*, p. 111. — J'ajoute ces dernières paroles citées afin que l'on constate la portée de l'assertion de M. Loisy : il faut bien la comprendre dans le sens que la constitution de l'Eglise était *étrangère à la pensée de Jésus*.

italico vertimus: « La foi voit entre l'Ancien et le Nouveau Testament la continuité d'une révélation que, *dans la conscience humaine*, le divin (?) opère de lui-même avec une intensité sans cesse croissante. Il n'importe guère à la foi de savoir si la critique peut ou ne peut pas certifier la naissance virginale, les miracles bruyants (sic), enfin la résurrection du Rédempteur; si la critique peut ou ne peut pas attribuer au Christ la révélation de certains dogmes et la fondation de l'Eglise. Ces faits échappent, par leur caractère hyperphénoménal, aux prises de la critique expérimentale et historique... Dans toute *l'élaboration psychologique* que la foi des générations chrétiennes à fait subir aux éléments simples de l'Evangile, la foi voit une œuvre non ordinaire, c'est-à-dire une œuvre qui ne s'est par réalisée sans l'assistance de cet esprit de Dieu (1) qui alimenta dès le commencement la vie du christianisme. Les *dogmes nés* de *l'expression abstraite de l'expérience chrétienne, l'Eglise organisée pour les besoins des fidèles, les sacrements nés du besoin de confier à des rites extérieurs le souvenir permanent de l'œuvre rédemptrice*... nous apparaissent ainsi comme des réalités indispensables à la fusion des âmes dans la même vie religieuse » (2).

4. Descripti evolutionismi *falsitas* elucet imprimis ex ejus connexione cum agnosticismo et immanentismo, jam suprà expositis et refutatis.

Si deinde in se ipso consideratur evolutionis systema, multiplici ratione rejiciendum apparet. a/ Imprimis importat negationem omnis valoris historici librorum illorum qui dicuntur Evangelia, et qui, abstractione omnino facta ab Inspiratione divina, demonstrantur esse veridici. In illis scriptis narrantur Christi sermones et opera: Christo attribuuntur verba quibus continetur

---

(1) Qu'est ce qui répond à cette expression?
(2) *Risposta*, p. 110-111.

institutio baptismi, eucharistiæ, ecclesiæ ejusque auctoritatis, etc.; verba quibus continetur assertio propriæ divinitatis, existentiæ SS. Trinitatis, rationis sacrificii expiatorii inhærentis morti Christi, etc.; Christo attribuuntur miracula patrata in confirmationem suæ doctrinæ ac divinæ missionis: jamvero hæc omnia ita describuntur ut nulla sit ratio prudens dubitandi de sinceritate scriptorum, nec de auctoritate documentorum quibus usi sunt: oportet igitur ut admittatur valor historicus illorum librorum (1). E contrario Modernistæ, *a priori* hoc negant, statuentes ab illis scriptoribus, utpote *credentibus*, nihil aliud exprimi quam subjectivæ fidei, jam evolutæ, cogitationes: *a priori* igitur rejiciunt omnem valorem historicum Evangeliorum.

b/ Illo systemate admisso, dicendum foret Christianismum fundari in *idololatria*, saltem materiali: præcipuum enim Christianismi dogma est Christi divinitas et præcipua cultus actio est adoratio Christi, cui *latriæ* cultus redditur: jamvero, secundum Modernistas, Christus est homo, nunquam dixit se esse Deum: sed ejus discipuli, post aliquod tempus, moti quadam necessitate conscientiæ religiosæ, excitati per contactum intellectualem cum philosophia græca, ut Deum habuerunt Christum et illum esse Deum firmiter crediderunt, necnon cultum soli Deo debitum reddiderunt illi: atqui colere hominem tamquam Deum est idololatria, ac ad idem vitium reducitur cultus latriæ tributus alicui de cujus divinitate non constat vera certitudine. — Nec possunt Modernistæ sermonem facere de Spiritu Sancto ac si sub ejus influxu facta fuisset tota evolutio: nam, in illorum theoria, non melius demonstrare valent existentiam Spiritus Sancti quam divinitatem Christi.

c/ Priores discipuli Christi firmiter inhærebant ideis religiosis et ritibus quæ vigebant in judaismo et tardi

(1) Cf. Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu*, Paris, 1905, p. LIII ss.

erant ad nova admittenda : ergo illorum « sensus religiosus » non poterat naturaliter moveri ad excogitanda dogmata, ab ipsorum mente, alienissima, qualia sunt v. gr. SS. Trinitas, Incarnatio, etc., nec ad admittenda moralia præcepta in multis opposita legibus quibus erant addicti; nec ad ritus instituendos qui partem cæremonialem Legis judaicæ abolebat; eo vel magis quod morte Christi evanuit spes qua prius exspectaverant regnum politicum quod Messias, secundum sententiam illorum, condere debebat.

Nec a posterioribus christianis potuit incipere hæc evolutio : nam invicte probatur dogmata fundamentalia et instituta essentialia christianismi, saltem pleraque, jam exstitisse sæculo II ineunte, imo sæculo primo exeunte (1).

Tandem si origo christianismi esset spontanea quædam expressio indigentiæ *divini* quæ latet in hominum natura, quomodo illa religio ubique terrarum tam acrem contradictionem imo persecutionem excitavit?

d/ Quidquid sit hoc quod designant nomine indigentiæ *divini*, quæcumque adjuncta externa, mere humana, proferantur, hæc nequunt esse causa adæquata existentiæ ac conservationis christianismi. Et sane catholica Ecclesia est *miraculum*, effectus nempe visibilis, qui sola Dei virtute produci potest. Sufficiat adducere verba Concilii Vaticani : « Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile » (2).

e/ Totum evolutionismi religiosi systema nititur notionibus valde obscuris et incertis quas Modernistæ

---

(1) Cf. Van Noort, *De vera religione*, Amstelodami, 1907, p. 101 ss.
(2) Denzinger, *Enchiridion*, n. 1642.

exprimunt vocabulis: *subconscientia, indigentia divini, sensus religiosus, fides, conscientia christiana,* quorum terminorum nullibi tradunt claram ac distinctam definitionem et ideo jam alienum a vera et proprie dicta scientia remanet illud systema. Quædam animadvertamus.

Subconscientia, quæ est status actus cognoscitivi qui hîc et nunc non cadit sub conscientia, nequit adduci ut quædam quasi nova vis, qua obtinerentur altiores effectus in materia religiosa, ita ut ubi Catholici nunc agnoscunt influxum *gratiæ,* ibi nihil aliud foret ponendum nisi subconscientia: et sane subconscientia non tollit illam intellectus ignorantiam, illam voluntatis debilitatem, ad quæ sananda conceditur gratia.

Indigentia divini certo est agnoscenda. Imprimis, in ordine mere *physico*, homo, quemadmodum omnis creatura, Deo omnino indiget ut sit, ut permaneat in existendo, ut operetur; præterea homo, ut omne ens, appetit Deum: etenim unaquæque creatura intendit consequi suum bonum, suam perfectionem; jamvero omnis perfectio est aliqua similitudo divinæ bonitatis, ergo omne ens appetit divinam bonitatem seu Deum (1). Tandem homo, quatenus intellectu præditus, appetitu elicitivo Deum appetit et ideo homini adest specialis indigentia divini in ordine *intentionali.* Et sane homo cognoscit se velle beatitudinem et cognoscit hanc beatitudinem non obtineri nisi per possessionem ipsius infiniti boni, quod Deus est; præterea homo cognoscit se *obligari* ad Deum colendum, amandum, ad Ei serviendum, et cognoscit nonnisi in satisfactione hujus debiti consistere partialem beatitudinem qua gaudere potest hac in terra: hæc omnia homini, qua tali, conveniunt. Sed, in præsenti rerum ordine, illa naturalis de Deo et de lege morali cognitio, ille de Deo amor, tot tantisque subjicitur difficultatibus ut homines, sibi si relinquantur, in miserrimum cadunt ignorantiæ et

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. XLIV, a. 4.

morum corruptionis barathrum : qualis erat status generis humani tempore adventus Christi, qualis etiam est apud Gentes ad quas nondum pervenit doctrina christiana. Ideo etiam admittendum est, in præsenti Providentiæ ordine, revelationem esse medium moraliter necessarium ut homines, communiter sumpti, possint facile, absque dubitatione et errore, cognoscere ipsæ naturalis religionis veritates (1). Inde indigentia divini nequit adduci ad explicandum ortum ac conservationem religionis christianæ.

De *conscientia* christiana non raro loquuntur quidam Modernistæ ac si ipsa in *collectivitate*, qua tali, agnoscerent rationem sufficientem originis successivæ quam statuunt, dogmatum ac rituum christianorum, ac si daretur aliqua anima (l'âme de la foule) *collective* cogitans ac volens (2). Quod evidenter falsum est. Singuli homines cogitant ac volunt : illique actus sunt omnino immanentes. Sed homines valent sua cogitata ac desideria exprimere aliis ; imo alii possunt in alios exercere magnum influxum, quatenus efficiunt ut alii cogitent et velint quod et ipsi cogitant et volunt : inde in magnis alicujus populi perturbationibus præsunt semper quidam duces (les meneurs). Etiam in re religiosa aliquis homo potest quandoque doctrinam ingerere et movere ad varios ritus exercendos : sed in re religiosa etiam populus ducitur, non collective cogitat aut vult. Ex hoc autem quod non cognoscamus quisnam originem dederit tali persuasioni, vel tali consuetudini, non possumus hanc toti communitati tribuere. Etiam mutationes,

---

(1) Cf. JUNGMANN, *De vera religione*, n. 90 ss. ; VAN NOORT, *o. c.*, n. 22 ss.

(2) Talis theoria de facto fuit propugnata : « Lamprecht, dans un long article, *Was ist Kulturgeschichte*, publié dans le *Deutsche Zeitschrift für Geschichtswissenschaft*, nouvelle série t. I, 1896, a tenté de fonder l'histoire de la civilisation sur la théorie d'une âme collective de la société qui produirait des phénomènes « socialpsychiques » communs à toute la société et différents dans chaque période ». LANGLOIS et SEIGNOBOS, *Introduction aux études historiques*, Paris, 1898, p. 213.

quæ successive afferuntur alicui historiæ quæ a generatione ad generationem transmittitur, non fiunt collective, sed per varios homines individuos qui non cognoscuntur.

Aliquid etiam notemus circa vocabulum *evolutio* (évolution) prouti nunc adhibetur. Hoc vocabulo, proprie sumpto, designatur *successiva transformatio alicujus entis in statum perfectiorem,* ita ut transierit per varios status imperfectiores, Semen, v. gr., evolvitur et fit planta aut arbor (1). Proprie evolvuntur substantiæ physicæ viventes. Sed per analogiam etiam dicuntur quandoque evolvi accidentia quæ *intrinsece* augentur: v. gr. scientia subjective spectata, virtus, vitium. Entibus autem quæ non intrinsece augentur aut perficiuntur non potest attribui *evolutio* nisi per *metaphoram.* V. gr. opera artificialia quæ, in eodem genere, producuntur magis ac magis perfectiora, per laborem humanum, non nisi metaphorice dici possunt *evolvi*: singula enim individua, in se inspecta, ab invicem sunt independentia et tota ratio ulterioris perfectionis provenit a cognitione et ab arte humana (2), in determinatis individuis habita. — Si nomine *Dogma* designatur complexus omnium veritatum a Deo revelatorum, et si admittitur, quod tenendum est (3), jam cum morte ultimi Apostolorum completam esse Revelationem, sequitur complexum veritatum a Deo revelatarum non posse in se augeri et consequenter non posse esse sermonem de *evolutione dogmatis,* ne metaphorice quidem, quia prædictus com-

---

(1) Non dicitur *evolutio* illa successiva transformatio qua aliquod vivens paulâtim vires amittit ac moritur.

(2) Si l'on considère la série des « machines à vapeur » depuis la marmite de Papin (vers 1698) jusqu'à la plus perfectionnée des locomotives, on constate les perfectionnements successifs apportés aux différentes formes de ces moteurs; cependant ce n'est que *par métaphore* que l'on peut parler d'*évolution de la machine à vapeur.* C'est l'art humain, dans tels et tels individus, qui s'est trouvé supérieur à celui des précédents, et c'est cet art qui a produit les machines de plus en plus parfaites.

(3) Cf. Propos. 21 decreti « Lamentabili » in *Collat. Brug.*, t. XII, p. 523.

plexus est omnino clausus et immutabilis (1). Progressui vero seu evolutioni subjicitur *cognitio* quam homines credentes habent de veritatibus revelatis: hæc porro cognitio exprimitur quandoque novis propositionibus quæ tamquam formaliter implicite revelatæ, vel tamquam contradictoriæ revelatis declarantur a Magisterio Ecclesiæ: inde augetur numerus propositionum credendarum vel propositionum hæreticorum, quin tamen augeatur complexus veritatum a Deo revelatorum.

CONCLUSIO.

Tres summas exposuimus theorias, *agnosticismum, immanentismum, evolutionismum*, quibus innititur integrum Modernistarum systema, et præcipuas indicavimus conclusiones.

Quum expositioni finem ponit Summus Pontifex hæc habet: « Jam systema universum uno quasi obtutu respicientes, nemo mirabitur si sic illud definimus, ut omnium hæreseum conlectum esse affirmemus. Certe si quis hoc sibi proposuisset, omnium quotquot fuerunt circa fidem errores succum veluti ac sanguinem in unum conferre; rem nunquam plenius perfecisset, quam modernistæ perfecerunt. Immo vero tanto hi ulterius progressi sunt, ut, non modo catholicam religionem, sed omnem penitus, quod jam innuimus, deleverint. Hinc enim rationalistarum plausus; hinc qui liberius apertiusque inter rationalistas loquuntur, nullos se efficaciores quam modernistas auxiliatores invenisse gratulantur » (2).

Omnium hæreseum conlectus dici potest Modernismus imprimis quia omnis veritatis *revelatæ*, qua talis, est repudiatio: non enim immediatam a Deo factam veritatis manifestationem admittit ullam, sed omni *ab*

---

(1) Nec sermo esse potest de evolutione *dogmatis*, si hoc nomine significatur una determinata veritas a Deo revelata.

(2) E. P. p. 670.

extrinseco revelatione rejecta, in ipso homine statuit originem omnis religionis, imo ut *revelationem* habet apparitionem sensus religiosi in humana conscientia (1), ita ut sermo jam nequeat esse de aliqua re credenda propter auctoritatem Dei revelantis: est igitur omnis omnino *dogmatis* negatio.

Deinde jam admitti nequit christianam religionem esse unice veram, quippe quæ, licet aliis perfectior, oritur tamen ex indigentia divini, latente in subconscientia, ex qua indigentia omnis religio oriatur necesse est.

Protestantes servabant fidem ac revelationem, licet tantum Sacram Scripturam admitterent ut fontem cognoscendæ revelationis et censerent illam esse interpretandam lumine uniuscujusque proprio, ideoque Ecclesiæ Magisterium jam non agnoscebant; Modernistæ non solum Ecclesiæ Magisterium, tamquam authenticum divini verbi præconem, sed etiam S. Scripturam, tamquam librum a Deo, ut auctore, compositum, rejiciunt: nam in illorum sententia S. Scriptura non est aliud quam expressio experientiæ religiosæ quorumdam hominum egregiorum.

Rationalistæ omne *supernaturale*, sive quoad substantiam, sive quoad modum, *a priori* rejiciunt; sed non ideo omnem religionem naturalem fundatum in vera cognitione de Deo et de lege naturali. Modernistæ vero reducunt ad aliquid naturale, utpote ad veram hominis *indigentiam* correspondens, quidquid in christiana religione invenitur; præterea jam non admittunt proprie dictam *cognitionem*, per ratiocinium habitam, de Dei existentia ejusque attributis. Imo ita explicant quidam *immanentismum* ut ad pantheismum deveniant necesse sit (2).

---

(1) Cf. suprà, p. 205 s.

(2) Cf. E. P., p. 671; Garrigou-Lagrange, *Le Panthéisme de la Philosophie nouvelle, Revue thomiste*, t. XV, p. 613 ss.

Ex dictis constat aliquod doctrinale systema fuisse a Summo Pontifice damnatum; non vero ullam scientiam, nec criticam (1), nec medium inquirendi veritatem aut acquirendi novas cognitiones: e contrario vera intellectus humani vis cognoscitiva in tuto ponitur ac vindicatur, necnon scientiarum cultura approbatur ac promovetur: « Adversarii vero Ecclesiæ his certe abutentur et veterem calumniam refricent, qua sapientiæ atque humanitatis progressioni infesti traducimur. His accusationibus, quas christianæ religionis historia perpetuis argumentis refellit, ut novi aliquid opponamus, mens est peculiare Institutum omni ope provehere, in quo, juvantibus quotquot sunt inter catholicos sapientia fama insignes, quidquid est scientiarum, quidquid omne genus eruditionis, catholica veritate duce ac magistra, promoveatur » (2).

---

(1) Critica non est aliqua scientia, sed *ars:* ars nempe *discernendi* vel pulchrum ab informi; hæc est critica artistica, vel verum a falso: hæc est critica scientifica. Quia in omni materia, circa quam versatur humana cognitio, discernendum est inter verum et falsum, ideo, ratione objectorum, critica distinguitur *philosophica, biblica, historica,* etc. Critica vero, formaliter considerata, ad logicam pertinet, quæ est *ars directiva rationis in prosecutione finis.*

Critica porro, ut patet, est conditio *sine qua non* acquirendæ cognitionis veræ de omni re scibili. Complexio theoretica præceptorum (ars critica *docens*) secundum quæ est exercenda critica, dependet imprimis a philosophia, nempe a logica et a metaphysica, deinde etiam a scientiis secundariis. Inde facile intelligitur quod si quis falsis imbuatur judiciis circa ipsam naturam veritatis ac falsitatis, circa valorem objectivum testimonii humani, sive absolute considerati, sive relate ad aliquam temporis periodum, circa ipsas causas humanarum actionum, etc. ille etiam falsas statuat conclusiones circa originem et indolem documentorum ac factorum. Hoc verificatur de modernistis qui philosophicis erroribus adhærentes illos applicuerunt in suis judiciis de origine et indole librorum sacrorum, de origine et indole factorum religiosorum: ideo in Encyclica reprobatæ fuerunt conclusiones quas modernistæ ut critici vel historici propugnabant. De critica cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, o. c., in *Collat. Brug.*, t. IX, p. 361; De Smedt, *Les principes de la critique,* Liége, 1883; Mangenot, apud Vacant, *Dictionnaire de théologie catholique,* v° *critique.*

(2) E. P. p. 685.

Sed quia modernistæ modernam philosophiam amplexi, aspernati sunt scholasticam (1) vult Romanus Pontifex et mandat ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur. Philosophiam autem scholasticam quam sequendam præscribit eam præcipue intelligit quæ a Sancto Thoma Aquinate est tradita (2). Inordinationi enim qua multorum mentes inficiuntur ex Kantii placitis, remedium est informatio illa quæ patienti ac strenuo labore obtinetur ex assidua consideratione et meditatione doctrinæ Angelici doctoris (3), quippe quæ valida est ut intellectui tribuatur et claritas in apprehendendo et perspicacitas in distinguendo et robur simul ac rectitudo in ratiocinando. Non solum quoad mentis informationem, sed etiam quoad summa principia quæ toti humanæ cognitioni præsunt, divortium est irreductibile inter Kantii systema et Thomæ doctrinam : non dari potest aliquod « medium » inter utrumque, ideoque non possunt ad veritatem reduci mentes nisi in quantum a Kantianis erroribus liberentur.

J. Van der Meersch.

(1) Cf. E. P., 674.
(2) Cf. ibid., p. 677.
(3) Cf. Richard, *Actualité de la méthode Scolastique, Revue thomiste*, t. XV, p. 770 ss.

E Sacra Congr. Concilii

ROMANA ET ALIARUM

Dubiorum circa decretum de Sponsalibus et Matrimonio.

In plenariis comitiis a S. Congregatione Concilii habitis die 1 Februarii 1908 sequentia proposita fuerunt dirimenda dubia, nimirum:

I. *An decreto* Ne temere *adstringantur etiam catholici ritus orientalis.* — Et quatenus negative:

II. *Utrum ad eosdem decretum extendere expediat.* — Et quatenus saltem pro aliquo loco decretum non fuerit extensum:

III. *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto statuta.*

IV. *An sub art. XI, § 2, in exceptione enunciata illis verbis* « nisi pro aliquo particulari loco aut regione alitér a S. Sede » sit statutum » *comprehendatur tantummodo Constitutio* Provida *Pii PP. X; an potius comprehendantur quoque Constitutio Benedictina et cetera ejusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia.*

V. *Num in imperio Germaniæ catholici, qui ad sectam hæreticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem catholicam ab ea postea defecerunt, etiam in juvenili vel infantili ætate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in decreto* Ne temere *statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus.* — Et quatenus affirmative:

VI. *An, attentis peculiaribus circumstantiis in imperio Germaniæ existentibus, opportuna dispensatione provideri oporteat.*

VII. *Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at jurisdictionem directe exercentes in personas aut familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum adsistere valeant.*

VIII. *Ubinam et quomodo parochi qui, territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis adsistere valeant.*

IX. *Ubinam et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis adsistere valeat.*

X. *Num cappellani seu rectores piorum cujusvis generis locorum, a parochiali jurisdictione exemptorum, adsistere valide possint matrimoniis absque parochi vel Ordinarii delegatione.*

XI. *An a decreto* Ne temere *abolita sit lex vel consuetudo in nonnullis diœcesibus vigens, vi cujus a Curia episcopali peragenda sunt acta, quibus constet de statu libero contrahentium et dein venia fiat parochis adsistendi matrimoniis.*

XII. *An et quousque expediat prorogare executionem decreti* Ne temere *pro nonnnulis locis juxta Ordinariorum petitiones.*

Et E^mi^ Patres ad hujusmodi dubia ita respondendum censuerunt:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Ad S. Congregationem de Propaganda Fide.*

Ad III. *Dilata, et exquiratur votum duorum Consultorum, qui præ oculis habeant leges hac de re vigentes apud Orientales.*

Ad IV. *Comprehendi tantummodo Constitutionem* Provida; *non autem comprehendi alia quæcumque decreta, facto verbo cum SS^mo^; et ad mentem.*

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *Negative, ideoque servetur decretum* Ne temere.

Ad VII. *Quoad capellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum.*

Ad. VIII. *Affirmative in territorio cumulative habito.*

Ad XI. *Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SS^mo^.*

Ad X. *Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi jurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem.*

Ad XI. *Servetur solitum.*

Ad XII. *Ad E^mum^ Præfectum cum SS^mo^.*

Die vero quarta dicti mensis et anni SS^mus^ D^nus^ Noster Pius PP. X, audita relatione infrascripti Præfecti S. C. Concilii, supra relatas resolutiones ac declarationes ratas habere et confirmare benigne dignatus est easque vulgari mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

† Vincentius Card., Ep. Prænest., *Præfectus.*
B. Pompili, *Secretarius.*

Adnotationes.

Ita habet tenor solutionis, die 1ª Febr. 1908, a S. C. Conc. datæ ad varia dubia proposita circa decretum *de Sponsalibus et Matrimonii*: juxta hunc tenorem reformandus est et complendus textus apud *Anal. eccl.*, 1908, p. 14, relatus, quo truncato textu pro posse jam usi sumus suprà, p. 186 ss.

Sufficiet quædam breviter adnotare: quæ enim suprà non sunt præoccupata, minus practica sunt pro nostris regionibus.

I **Prima responsa** (1-3) spectant *extensionem* Decreti *Ne Temere* ad *Orientales*, et absolutè decernitur, applicato principio quod p. 186 invocavimus, *catholicos ritus Orientalis* laudati Decreti statutis hucusque non adstringi, pertinere autem ad S. C. de P. F. judicium de opportunitate novam disciplinam ad dictos Orientales extendendi.

Hucusque igitur manent catholici orientales (et a fortiori acatholici), *inter se nubentes*, sub œconomia apud ipsos antea vigente, juxta quam etiam nunc judicandum est de valore matrimonii necnon de valore sponsalium.

Porro dubitari posset utrum hujusmodi sit illa Orientalium a novo decreto exemptio ut personas sequatur ubicumque contrahant, non tantùm scilicet in communitate orientali ritui obnoxia, sed etiam in loco ritus latini: quod innui videtur in tenore responsi catholicos ritus orientalis absolute et absque restrictione exemptos proclamantis: ex alia autem parte, cum exemptio afficiat personas ad ritum orientalem pertinentes potius quam locum ritui orientali addictum, non foret a lege *Ne Temere* liberum matrimonium inter latinos ineundum in communitate orientali, etiamsi nulla ibi fuerit communitas latina (1).

---

(1) Contrarium sentiebat R. P. VERMEERSCH, *De Forma sponsalium ac matrimonii post Decretum Ne Temere*, n. 89.

Ad quæstionem vero quid sentiendum sit de nuptiis *inter partem Orientalem et partem latinam* celebrandis, etiam non ita in promptu est solutio.

Nimirum a/ circa matrimonium catholici latini cum catholica orientali, interrogata S. Congr. respondet solutionem differendo et votum exquirendo duorum consultorum, « qui præ oculis habeant leges hac in re vigentes apud Orientales » : quasi in hoc inclinans ut nempe matrimonium declaretur a nova disciplina liberum vel ipsi subjectum, prouti apud Orientales viget vel non principium communicationis exemptionis ab una parte ad alteram.

b/ Quodsi validum dicatur, non servata forma Decreti *Ne Temere*, matrimonium partis catholicæ latinæ cum parte *catholica* Orientali, haud ægre validæ dicentur nuptiæ celebrandæ ab eadem parte latina cum parte Orientali *acatholica*, siquidem mirum foret severius in hac re tractari Orientales acatholicos quam catholicos (1).

Tandem c/ vix negari posset valor matrimonii extra dictam formam ineundi inter partem orientalem sive catholicam sive acatholicam et partem acatholicam latinam, cum, in casu, utraque pars esset legi subducta.

II/ **Responsa 4^{m}, 5^{m} et 6^{m}** spectant interpretationem *clausulæ derogantis* regulæ statutæ ad art. XI, § 2, quatenus scilicet disciplina nova applicetur etiam matrimoniis *mixtis et disparis Religionis,* « *nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum* ».

Et quidem

1° quemadmodum notavimus p. 190, hæc exemptio hucusque soli favet Imperio Germanico, in cujus gratiam servantur dispositiones Constitutionis *Provida*.

2°/ in applicatione harum dispositionum quoad ma-

---

(1) Aliter dubium solvendum proposuit Consultor, in *Voto*, l. c., p. 7, reputans in hoc casu non esse applicandum principium communicationis immunitatis.

trimonia mixta, vox *acatholici* est intelligenda juxta determinationem datam in paragrapho 1ª, art. XI : id jam eruimus, p. 191 seq., ex integra œconomia novi juris, nitendo auctoritate consultoris in *Voto*.

3°/ censuit S. Congr. non esse annuendum precibus Card. Archiep. Coloniensis, nomine plurium Episcoporum, rogantis ut, « attentis peculiaribus circumstantiis in Imperio Germaniæ existentibus, dispensatione opportuna providere dignaretur » (1).

III/ **Responsa 7ᵐ, 8ᵐ, 9ᵐ et 10ᵐ** solvunt plura dubia circa jus et habilitatem ad matrimonio assistendum quibus gaudeant, sub nova œconomia, capellani castrenses, rectores piorum locorum, aliive parochi jurisdictionem exercentes personalem, vel territorium cum alio parocho cumulative retinentes.

Decernitur nempe

1°/ nihil esse immutatum quoad *capellanos castrenses*, et *parochos illos personales*, qui, absque territorii definitione, jurisdictionem directe exercent in personas aut familias, puta determinatæ nationalitatis. Possunt igitur eadem latitudine qua antea militum ac respective personarum sibi creditarum matrimoniis assistere, terminos servando concessionis aut muneris commissi; et, si vigebat antea in illorum favorem exemptio a jurisdictione parochi loci in quo præfatæ personæ degunt,

---

(1) Exponit quod in Germania, ad tramites responsi C. S. O. anni 1859, « non solum illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in hæresi educantur ac hæresim profitentur, sed etiam apostatæ, ab Ecclesia catholica ad hæreticam sectam transeuntes, tanquam hæretici habiti sunt ». Post quæ addit: « Quod si nunc aliter tenendum esset, haud pauca incommoda ne proveniant timendum est. In hisce enim regionibus multi inveniuntur qui, e matrimoniis mixtis exorti, quamquam catholicè baptizati, postea, parte catholica mortua a parte superstite etiam septennio non expleto a fide catholica abducti et in hæresi educati sunt, vel etiam, patre acatholico e vita sublato, juxta leges civiles in ejusdem confessione educantur, quin ullam cum Ecclesia catholica retinuerint relationem. Pejor itaque facta esset conditio acatholicorum in nostris regionibus si norma Decreti *Ne Temere* etiam ad Imperium Germaniæ extendi deberet ». *Anal. Eccl.*, l. c., p. 53.

huic parocho loci non acquiritur, per Decretum *Ne Temere*, jus, quo prius carebat, illorum matrimoniis assistendi.

Singuli proinde casus singillatim sunt examinandi, hoc speciatim præ oculis habito *capellanos militum* non habere, vi muneris sui, jus quasi-parochiale respectu matrimonii celebrationis (1), sed illud, in quantum habetur, ipsis derivare ex privilegio vel speciali commissione Ordinarii aut etiam S. Sedis (2).

2°/ Quod attinet parochos *qui cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent,* in dicto territorio cumulative habito, matrimoniis assistere valent tam non subditorum quam subditorum: tales sunt parochi qui in solidum ad instar collegii parochias administrant (3).

3°/ Quoad parochos qui *in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas aut familias sibi subditas* retinent: ex una parte habent aliquo sensu territorium, etsi non exclusive, proprium, cum determinatæ personæ, alicujus ritus v. gr. vel nationalitatis, ipsis subjiciantur ratione loci, (et in hoc differunt a parochis de quibus sub 1°, qui sibi obnoxias habet quasdam personas unicè ratione personæ et non ratione territorii); ex alia autem parte non sunt stricto jure parochi loci, adeoque non potest ipsis applicari dispositio

---

(1) Cf. Gasparri, *Tractatus canon. de matrimonio,* II, n. 930; Wernz, *Jus Decretalium*, l. IV, n. 179, sub VIII; *Thesaurus Resolutionum S. C. Conc.*, VI, in *Napolitana,* 29 Aug. 1733.

(2) Dubium hoc movit Capellanus Major exercitus Borussiæ, qui, ex apostolico indulto, pollet in eos omnes qui Borussiæ vexillis militant terra marique ubicumque gentium fuerint, atque in omnes et singulos fideles qui ad Borussiæ exercitum secundum leges pertinent. Ab eo deputantur minores capellani ac jurisdictionem accipiunt, ac talis est eorum jurisdictio, ut milites ipsis exclusive sint obnoxii, ac a parochi auctoritate exempti. In nostra diœcesi eleemosynarius Brugensis accipit ab Ordinario jurisdictionem et facultatem administrandi sacramenta, etiam matrimonii, militibus præsidii; ita tamen ut ipsius jurisdictio non sit privativa, nec adeo excludat validum exercitium jurisdictionis parochi loci in quo degunt præfati milites.

(3) Wernz, o. c., l. II, n. 821.

Decreti *Ne Temere*, vi cujus, intra limites dicti territorii, possent matrimonia celebrare subditorum et non subditorum.

Porro S. Congr., facto verbo cum SS^mo^, concedit ut hujusmodi parochi assistentiam suam præbeant validè, *ubique in territorio,* ast *respectu subditorum dumtaxat.*

4°/ Tandem *rectoribus piorum locorum,* puta nosocomii vel orphanotrophii, permittitur ut, infra terminos loci in quo jurisdictionem exercent, matrimoniis assistant illarum personarum, quæ ipsorum curæ sunt concreditæ: ad hoc autem præsupponitur ipsis « commissam fuisse plenam potestatem parochialem »: quod in nostris regionibus rarius obtinet.

IV/ **Responsa 10^m^ et 12^m^**, 1°/ solvunt dubium exoriens circa interpretationem art. V^i^ *Decreti*, sub par. 1^a^, exigentis, pro licita parochi assistentia, ut ipsi prævià constiterit de libero statu contrahentium: utrum nempe exinde abrogata sit lex vel consuetudo in nonnullis diœcesibus vigens, vi cujus a curia episcopali peragenda sunt acta, quibus constet de statu libero et dein venia fiat parochis assistendi matrimoniis. Respondetur servandum esse solitum.

2°/ Remittendos volunt ad S. Sedem illos Ordinarios dissitarum regionum, qui, attenta peculiari difficultate tempestive monendi et docendi fideles de novæ disciplinæ applicatione, gratiam prorogationis sollicitant (1).

A. De Smet.

---

(1) Ita Vicarius Apostolicus Mackensis in Canada petit ut, in suo Vicariatu, non vigeat Decretum ante festum Omnium Sanctorum currentis anni; alii, cum Vicario Apostolico Kiang-Si septentrionalis in Sinis, vellent ut executio Decreti pro sua Missione vim legis habere non incipiat nisi a Paschate anni 1909; alii optant ut Decreti vigor prorogetur usque ad Pascha anni 1910. Cf. *Anal. Eccl.*, l. c., p. 52.

E Secretaria Brevium

Sacerdotibus qui operam suam impendent pio operi Propagationis fidei conceditur facultas benedicendi Rosaria eisque adnectendi indulgentias a Patribus Crucigeris appellatas.

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam,

Cum Nobis Apostolorum Principis Cathedram obtinentibus antiquius nihil sit magis, quam ut Catholicum nomen latius per orbem propagetur, et inter gentes longo terrarum marisque spatio disjunctas errorum umbram Evangelii lumen depellat, pias Fidelium societates, quæ ad sacras expeditiones provehendas intendunt, et divini verbi præcones stipe corrogata sustentant, peculiaribus privilegiis ac spiritualibus gratiis cohonestare ac ditare satagimus. Hoc quidem consilio, cum Conciliorum centralium Præsules Pii Operis Propagationis Fidei Nos enixis precibus flagitaverint ut sacerdotibus, qui operam suam prædicto Operi impendent, veniam largiri dignaremur benedicendi Rosariis, sive Coronis precatoriis, eisque applicandi indulgentias, quæ a Patribus Crucigeris vulgo appellantur, Nos piis hujusmodi precibus annuendum libenter existimavimus. Quæ cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. Ejus auctoritate confisi, cuicumque Sacerdoti cui nunc et in posterum ubique terrarum munus demandatum fuerit, in aliqua Parœcia aut in aliqua Communitate, colligendi eleemosynas pro pio Opere Propagationis Fidei, quantacumque sit pecuniæ vis quæ ab ipso colligatur, autem etiam illi, qui de propria stipe in capsam ejusdem Pii Operis inferat pecuniæ summam illi parem quam una Decuria solveret, et cuique pariter Sacerdoti, qui ad quodcumque Concilium seu Comitatum ipsi Pio Operi dirigendo vel promovendo pertinet, aut etiam qui ab Episcopo designatus

Rector Diœcesanus omnibus fungitur muneribus quæ forent explenda per Concilium seu Comitatum ejusdem Pii Operis, nec non Sacerdoti qui in anno summam respondentem mille subscriptionibus in capsam Pii Operis intulerit, undecumque eam acceperit, durante respectivo munere, facultatem concedimus benedicendi unico Crucis signo, de consensu Ordinarii loci in quo dictam facultatem exerceat, Rosaria, sive Coronas precatorias, eisque adnectendi Indulgentias a Patribus Crucigeris appellatas, nempe indulgentiam quingentorum dumtaxat dierum, defunctis quoque applicabilem, a Christifidelibus lucrandam quoties aliquam ex ejusdem Coronis manu gerentes Orationem Dominicam vel Salutationem Angelicam devote recitaverint, dummodo tamen Coronæ ita benedicendæ juxta typum Coronarum SSmi Rosarii B. M. V. fuerint confectæ. Tandem largimur, ut, si forte contingat pecuniæ summam durante anni curriculo colligendam esse præstituta minorem, nihilominus Sacerdoti, qui anno præcedente summam integram collegerit, fas esto dicta benedicendi coronis facultate uti, ad finem usque vertentis computationis. Et Sacerdoti similiter, qui una vice ex ære proprio in capsam pii Operis summam intulerit quæ illam æquet quam mille adscripti solverint, ut sua naturali durante vita prædicta facultate gaudere possit ac valeat præsentium tenore concedimus.

Præsentibus perpetuo valituris.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die I Februarii MDCCCCVIII Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Loc. Sig.

Card. Merry del Val.
ex Secretis Status.

E Sacra Indicis Congregatione.

DECRETUM

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA X *Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravæ doctrinæ, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica præpositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 17 Martii 1908, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referre mandavit et mandat quæ sequuntur opera:*

Il Programma dei Modernisti, Risposta all' Enciclica di Pio X « *Pascendi dominici gregis* ». Roma, 1908.

Paul Bureau, La crise morale des temps nouveaux. Préface de M. Alfred Croiset. Paris, s. a.

P. Saintyves, La réforme intellectuelle du clergé et la liberté d'enseignement. Paris, 1904.

— Les Saints successeurs des dieux. Ibid. 1907.

— Le miracle et la critique historique. Ibid. 1907.

— Le miracle et la critique scientifique. Ibid. 1907.

Franc. Regis Planchet, El absolutismo episcopal en la república mexicana. Apuntes para la historia. Chihuahua, 1907.

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis prædicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub pœnis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPÆ X *per me infrascriptum Secretarium relatis,* SANCTITAS SUA *decretum probavit, et promulgari præcepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romæ die 18 Martii 1908.

FRANCISCUS CARD. SEGNA, PRÆFECTUS

Loco ✠ Sigilli.

Fr. THOMAS ESSER, Ord. Præd. a Secretis.

Die 20 Martii 1908 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Henricus Benaglia, *Mag. Curs.*

E Suprema Congr. Sancti Officii

Circa cantum sacrum puellarum schismaticarum una cum catholicis in functionibus ecclesiasticis.

Beatissime Pater,

Vicarius Apostolicus Sophiæ et Philippopolis in Bulgaria, ad pedes Sanctitatis Tuæ provolutus, humillime exponit quæ sequuntur :

Sophiæ Sorores quædam religiosæ Institutum puellarum *(Pensionnat)* dirigunt, in quo cum catholicis etiam schismaticæ admittuntur. Mos invaluit ut in functionibus ecclesiasticis ac præsertim in expositione ac benedictione cum Sanctissimo, uti etiam ante et post illam, puellæ schismaticæ una cum catholicis in Ecclesia parochiali (1) canant. Unde petit orator an hic usus tolerari possit, habitis sub oculis sequentibus animadversionibus :

1. Agitur de loco in quo numerus catholicorum, relate ad schismaticos est valde exiguus.

2. Nullum adest periculum scandali, namque idem usus servatur in fere omnibus Orientis regionibus.

3. Adest contra spes conversionis acatholicorum.

4. Durum esset Sororibus, quæ Institutum dirigunt, puellis schismaticis sponte ac lubenter (2) in Ecclesia cum catholicis cantantibus silentium imponere.

5. Denique eædem puellæ schismaticæ, utpote bona fide in schismate viventes, non videntur uti excommunicatæ esse habendæ.

Feria IV, die 24 Januarii 1906.

Emi Patres, attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, respondendum mandarunt : Prout exponitur a Vicario Apostolico Sophiæ et Philippopolis, tolerari posse.

---

(1) Ibi, horis statutis, ducebantur a Sororibus, ob rationem disciplinæ et spem conversionis.

(2) Non positive invitabantur, nec adigebantur ad illam communicationem in sacris. Cf. *Collat. Namurcen.*, t. VI, p. 237 ; *Nouv. rev. théol.*, 1908, t. 40, p. 173 ss.

In sequenti vero feria V ejusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his SSmo D. N. Pio PP. X relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum adprobavit et confirmavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

PETRUS PALOMBELLI, *S. R. et U. Inquis. Not.*

Consultationes

I

Quær. Hic et in plurimis ecclesiis existit consuetudo ut in processione Rogationum ter repetatur in Litaniis: *Ut fructus terræ dare et conservare digneris*. An hæc consuetudo legitima est et servari potest?

Resp. Nemini dubium quin, v. g. in longiori processionis itinere, repeti possint nonnullæ litaniarum invocationes.

Litaniarum postulatio, de qua sermo, exprimit diserte unum ex præcipuis finibus in celebratione litaniarum in Rogationibus intentis. Jamvero identidem jubet Ecclesia in recitatione litaniarum vel inserere (1), vel repetere (2) invocationes hujusmodi. Præfata igitur repetitio videtur non contraria litteræ rubricarum et conformis spiritui liturgiæ. Adeoque prædictam consuetudinem servari posse censemus.

II

Quær. Juxta De Herdt, t. III, n. 75, 2° et *Calendarium liturgicum,* si missa Rogationum sit *unica* missa,

(1) Puta in consecratione altaris et ecclesiæ et in ordinatione subdiaci, diaconi et presbyteri.

(2) Ita in consecratione altaris et ecclesiæ « in litaniis suo loco bis nominetur sanctus ille in cujus honore et nomine ecclesia vel altare dedicatur, et illi quorum Reliquiæ in eo includuntur ». Pontif. Rom.

facienda est commemoratio festi occurrentis. Quid si præter missam Rogationum celebretur altera missa quæ sit *de Requie?*

Resp. Magis conforme videtur spiritui liturgiæ ut etiam in hoc casu in missa Rogationum — idem valet de festo S. Marci — fiat commemoratio festi occurrentis, cujus secus nulla fieret memoria. Et revera hoc innuere videtur decretum S. R. C. diei 13 jan. 1869, *De Caceres*, n. 4006[5], quod statuit: « Nisi habeatur missa conventualis aut parochialis *officio currenti respondens,* commemoratio Dominicæ fiat in missa de Rogationibus » quando occurrit die 25 aprilis Dominica in Albis (1).

C. Callewaert.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 228 ss.

Notæ Bibliographicæ

Cardinal Mercier, Archevêque de Malines. *A mes Séminaristes.* Bruxelles, A. De Wit; Paris, Lecoffre, 1908. In-12, VII-271 p. Prix: 3 fr.

Le livre, que vient de publier Son Eminence le **Cardinal Mercier,** Archevêque de Malines contient une première série de conférences faites aux élèves de son Séminaire; on y trouve développée cette pensée: *Le séminaire est une maison de retraite* (1).

Voici les titres des sept conférences: I. La retraite; II. Le recueillement et le silence, au point de vue religieux; III. Le recueillement et le silence, au point de vue moral; IV. La voix de Dieu; V. Entretiens avec Dieu; VI. La paix de l'âme; VII. Emmanuel: Dieu est avec nous. L'éminent Auteur a résumé lui-même, dans une exhortation finale (p. 269) les idées maîtresses: « Appliquez-vous à la vie intérieure, avec d'autant plus de zèle que les temps où vous devrez exercer votre ministère réclament de vous une plus grande dépense d'action au dehors. — Affectionnez la solitude où Dieu se réserve de vous parler au cœur. — Apprenez-y à discipliner la langue, afin de vous rendre maîtres de votre pensée. — Soyez attentifs et dociles à la direction de l'Esprit-Saint. « *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei* » (Rom. VIII, 14). — Aux pieds du crucifix dans votre chambre de travail, devant le tabernacle, à travers les occupations et les distractions de la vie, appliquez-vous avec avidité, énergie, persévérance à vous entretenir avec Dieu. « *Sine intermissione orate* » (1 Thess. V, 17). — Ayez des mœurs austères. Dans la mesure où vous dompterez vos passions, vous assurerez le triomphe de votre volonté libre, l'efficacité de la grâce, la sérénité de votre intérieur. — Enfin, ne séparez jamais en vous ces deux sentiments en lesquels se résument les aspirations à la sainteté: Une humble défiance de vous-mêmes et le total abandon d'une confiance filiale en Celui que nous avons le droit et la joie d'appeler *Notre Père, Pater noster* ».

Au sortir de ces conférences, que l'on a presque l'illusion d'entendre, tant la plume ici semble parler, il serait difficile de traduire en paroles l'impression qu'on ressent. La profondeur et l'originalité de la pensée révèlent à chaque page le philosophe et le penseur; la précision et la netteté de l'exposition évoquent naturellement le souvenir de l'ancien professeur de l'Alma Mater; et par-dessus tout, l'onction de piété, la charité communicative rappellent l'ancien président du Séminaire Léon XIII, qui, devenu évêque, consacre le meilleur de sa sollicitude à « modeler sur le Christ ceux qui, par état, sont chargés d'imprimer aux âmes la « forme » de Jésus-Christ » (p. 5).

---

(1) La seconde série développera la pensée suivante: *Le séminaire est une école de formation.*

Heureusement nous avons, pour recommander ce livre, comme il convient, le témoignage autorisé entre tous du Vicaire même de Jésus-Christ. Voici les paroles de Sa Sainteté Pie X : « J'accepte avec le plus grand plaisir la dédicace des conférences, que Votre Eminence a faites aux élèves du Séminaire de Malines ; en l'acceptant, je veux surtout donner, si possible, plus d'autorité aux enseignements et aux exhortations qu'elles contiennent et *que les bons séminaristes regarderont désormais comme leur étant spécialement adressés par le Vicaire même de Jésus-Christ* ».

Les bons prêtres, tant séculiers que réguliers, auront à cœur eux aussi de lire et de méditer ces enseignements. C'est surtout au milieu des occupations et des distractions de l'action au dehors, que le prêtre a besoin de retraite, de recueillement et de silence ; c'est par l'union avec Dieu dans l'oraison, qu'il doit vivifier et féconder son apostolat ; c'est la discipline de la langue, qui doit assurer à sa parole la délicatesse morale, la réserve prudente, la discrétion, le respect de l'autorité, la charité fraternelle. Ces vérités, et bien d'autres, sont développées avec une maîtrise et une hauteur de vue qui font réfléchir et produisent la conviction ; le style, nous l'avons dit, est vivant et les nombreux emprunts faits à la liturgie et à l'Ecriture, surtout au psautier et à Saint Paul, charment et font prier.

Nous ajoutons qu'on fera bien de faire lire ces conférences aux laïques. L'un d'eux nous disait tout récemment : « Quel livre ! c'est la vraie, la grande spiritualité ! On devrait recommander ces conférences aux laïques ». Il parlait d'or.

H. MAHIEU.

Ouvrages envoyés à la Rédaction des Collationes (1).

J. **Halleux**. *La philosophie condamnée*; Bruges, Desclée, De Brouwer et Cie, 1908, in-16, 53 p. Pr. 0,60 fr.

P. **Ladeuze**. Chan. *La résurrection du Christ devant la critique contemporaine*. (Collection Science et Foi). Bruxelles, Action Catholique, 1907, in-12, 60 p. Fr. 0,50.

Thesaurus sacerdotis devote celebrantis. Diepenveen, in monaster, Sion, 1908. In-32, 240 p. Fr. 1.

Selectæ preces in præparationem ad missam et gratiarum actionem (p. 1-170) ; accedunt aliæ quædam preces et formulæ benedictionum quæ frequentius usuveniunt. Grata est nitidaque impressio.

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii

—

I

Interpretare Mt XI, 16-19.

II

Demonstra Ecclesiam esse societatem *supernaturalem*.

III

Describe in genere officium confessarii erga pœnitentem qui laborat conscientia erronea.

IV

Expone quinam fuerint in materia virtutum errores a fautoribus Americanismi propositi.

V

Eosdem errores refelle, et quid juxta doctrinam catholicam tenendum sit eis oppone.

VI

Quænam jam nunc existunt adjumenta et labores præparatorii codificationis juris canonici? Enumera hujus codicis varias partes quæ hucusque prodierunt?

Vient de paraître chez BEYAERT, Editeur à Bruges:

Le Pain de Vie. *Vie surnaturelle-Communion quotidienne*, par JÉR. MAHIEU, S. T. L., Directeur du grand Séminaire. Un vol. de 300 p. Prix: 1,50 fr. Cartonné: 1,80 fr. Par 12 exempl., remise de 20 %.

A. De Smet, S. T. L. *Commentarius in decretum 2 Aug. 1907 de Sponsalibus et Matrimonio.* (Ex periodico COLLATIONES BRUGENSES, t. XIII) Brugis, Ad. Maertens-Matthys, 1908, 48 p. Prix: 0,50 fr.

PROOSTENBOND. Cœtus celebrabitur Rollarii feria V proxima, 9a hujus, hora 2a.

Canisiusblad. — **Dat is een maandblad over godsdienstig onderwijs en christelijke opvoeding, uitgegeven onder het toezicht en met de goedkeuring van Zijne Doorl. Hoogweerdigheid den Bisschop van Brugge.** — Men schrijft in bij JULIUS DE MEESTER, drukker te Rousselare (West-Vlaanderen). PRIJS: 2 fr. 's jaars. — Met St. GREGORIUSBLAD erbij: 2 fr. 50.

Inhoud van Februari: Eenige raadgevingen en oefeningen over de dagelijksche Communie ten dienste der jeugd. (Vervolg op bl. 11.) — Lessen van Gewijde Geschiedenis. — Vragen en Wenken.

Inhoud van Maart: Godsdienstonderwijs. (Vervolg op 6de jaarg. Bl. 187.) — Over Palestina. (Vervolg op bl. 6). — Een voorstel en een voorbeeld. — Over het gebruik van het gebedenboek.

Inhoud van April: Het aanleeren en opzeggen der gebeden in de school. — Over het gebruik van het Gebedenboek. (Vervolg op bl. 48.) — Aanbevolen. — Over Palestina. — Kampstrijd voor eerste Communiekanten in 1908. — Allerlei.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. *Quisnam est scopus evangelii S. Matthæi. Proba responsum.*

I. **Respondetur.** Scopus peculiaris quem intendebat auctor primi evangelii, erat *historico-apologeticus:* Tribus hisce propositionibus adæquate delineari posse videtur:

1° *Jesus Nazarenus est verus Messias a Deo in Vetere Testamento promissus et a Judæis expectatus, adeoque cœtus spiritualis ab Ipso fundatus est regnum messianum in prophetiis V. T. descriptum;*

2° *Populus judaicus, in genere spectatus, illi regno non fuit cooptatus, propter inexcusabilem ejus incredulitatem a populi ducibus præsertim causatam, deicidio et calumnia de Christi sepulchro violato adauctam;*

3° *Loco Judæorum Gentiles regnum messianum ingrediuntur: etenim omnes homines ad salutem vocantur, ac Evangelium prædicabitur omni creaturæ* (1).

II. **Probatur responsum.** A. Scopus quem auctor intendit non est pure historicus nec mere dogmaticus, sed *historico-dogmaticus.* Nimirum facta quædam vitæ Christi historica auctor selegit eaque determinato ordine disposuit, ut ad thesim suam demonstrandam seu ad divinam in negotio salutis christianæ providentiam

(1) Cf. Jacquier, *Histoire des livres du Nouveau Testament*, t. II, (Paris 1905), p. 387 ss. Eumdem fere scopum prosecutus est S. Paulus in ep. ad Romanos.

justificandam apte concurrerent (1). Tempore enim quo auctor scriptum exaravit, populus Israel qua talis Messiam rejecerat, ejusque obstinata incredulitas consummata videbatur. Gentiles contrà alacri animo ad salutem messianam properabant. Apostoli enim, cùm Judæi « verbum Dei repulissent et sese indignos æternæ vitæ judicavissent, ad gentes sese converterant », et « euntes docebant omnes gentes » (2).

Porro, variis indiciis suadetur librum pro Judæis tùm credentibus tùm etiam adhuc incredulis fuisse conscriptum (3). Etenim multis Judæis offensioni fuerit quod major pars populi, cui primò et per se promissus fuerat Messias, imò duces nationis ipsum agnoscere noluerint, quodque Gentiles partem in regno Messiæ obtinerent. Præterea alia difficultas removenda erat ut Judæi in Jesu Messiam agnoscere et fidem semel susceptam firmiter tenere potuerint, communis sc. expectatio messiana, quæ tunc vigebat. Populus enim Messiam expectabat regem temporalem qui regnum Israel collapsum restauraret, ità ut reliquæ omnes potestates mundanæ novo Israelis regno subjicerentur, omnes ethnici vel ad Jehova converterentur et felicissimam omnigenisque deliciis abundantem nationem Judæorum ingrederentur, vel exterminarentur (4).

Voluit igitur auctor vera et genuina Messiæ regnique messianici imagine delineata, *demonstrare* Jesum quidem verum esse Messiam, cœtumque spiritualem ab eo fundatum esse ipsum regnum messianum a prophetis

---

(1) Unde evangelista non adeo studuit texere historiam Christi completam, nec stricte ubique servavit ordinem chronologicum, maxime in descriptione ministerii Christi galilæi.

(2) Cf. *Act.* XIII, 46 et *Mt* XXVIII, 19.

(3) Cf. Knabenbauer, *Evangelium secundum Matthæum,* Parisiis 1892, p. 39 s.; Zahn, *Einleitung in das Neue Testament,* Leipzig 1907, t. II, p. 295.

(4) Hunc conceptum regis potentissimi ac regni politici et materialis deprompserant tùm e libris apocryphis, tùm e prophetiis Veteris Testamenti, quarum metaphoricas locutiones sensu literali præpostere intellexerant. Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 579.

promissum (1), nec tamen esse mirandum quod hic Messias a principibus populi sui magnaque ejus parte non fuerit agnitus, cùm suis ipsi præjudiciis et peccatis a salute messiana se excluserint; pariter non esse mirandum quod gentiles alacri festinatione illud regnum ingrederentur, cùm omnes homines Christus ad salutem vocaverit.

B. Hunc revera fuisse auctoris scopum ipsa evangelii interpretatione elucere debet. Hic sufficiet summa quædam rerum capita indicare quæ tribus enuntiatis propositionibus complectimur.

1° *Jesus Nazarenus est verus Messias a Deo in Vetere Testamento promissus et a Judæis expectatus.* Ipse titulus operis hunc scopum innuit: « Liber generationis i. e. historia (2) Jesu Christi filii David, filii Abraham ». Addendo nomini *Jesu* nomen *Christi* i. e. Messiæ ac *filii David*, *filii Abraham,* mentem aperit se ea ratione conscripturum esse Jesu historiam, ut pateat Jesum esse Messiam progeniei Abrahæ et Davidis promissum. Dein per totum evangelii decursum, varia affert oracula messiana quibus ostendatur Jesum esse Messiam promissum. Ità in ejus conceptu et partu virgineo (I, 22 s.) impletum dicitur gravissimum oraculum Isaiæ (VII, 14 s.); pariter prophetia impleta declaratur cæde infantium (II, 18; *Jer.*, XXXI, 15); ipso loco (Nazareth II, 23) quo adolevit; præcursore qui instans regnum ejus annuntiat (III, 1; *Is.* XL, 3); commoratione ejus in Capharnaum (IV, 14; *Is.* IX, 1 s.); sanatione omnium ægrotorum (VIII, 16 s.; *Is.* LIII, 4); doctrinâ ejus in

(1) Hoc omnes exegetæ admittunt et plures antiqui Patres jam docuerunt. Ità S. Iren., *Fragm.* XXIX, apud Migne, *Patrol., græca,* t. VII, col. 1244; S. Chrysost., *In Matth.*, Hom. II, 3, *ib.*, t. VII, col. 17; Theophylact., *Enar. in Ev. Matth.*, præf., ib. t. CXXIII, col. 145; Euthym., *Comment. in Matth.*, ib., t. CXXIX, col. 113.

(2) βεβλος γενίσεως in græcitate, maxime Veteris Testamenti, nunquam significat tabulam genealogicam sed *historiam.* Cf. Zahn, *o. c.*, p. 276 s.

parabolis propositâ (XIII, 3; *Is.* VI, 9); ejus triumphali ingressu in Jerosolymam (XX, 4 s.; *Is.* LXII, 11), passione (XXVI, 54-56) etc. (1).

Præterea, quamvis pedetentim Christus discipulos ad genuinam Messiæ ejusque regni notionem adduxerit et ex prudenti œconomia quandoque indolem suam messianam haud manifestaverit (2), nihilominus se Messiam promissum aperte proclamavit. Cf. e. g. *Mt.* XVI, 16 ss.; XXVI, 63 (3).

Jesus pariter ostendit *regnum ab ipso fundatum esse regnum messianum in prophetiis delineatum.* Ab initio vitæ publicæ prædicabat « appropinquasse regnum cœlorum » IV, 17 (4); in sermone montano legem illius regni fundamentalem promulgat; in parabolis indolem ejus spiritualem exhibet; in responsione ad legatos a Baptista ad ipsum deputatos regnum messianicum eo modo quo Isaïas illud descripserat, adesse proclamat (XI, 2 ss.), et XII, 28 aperte dicit: « Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Deí ».

2° *Populus judaicus in genere spectatus regno messiano non fuit cooptatus propter inexcusabilem ejus incredulitatem a populi ducibus provocatam.* Neminem qui librum perlegerit attente, fugisse puto auctorem explicare voluisse rationem qua factum sit, ut filii domus sint ejecti, in eorum autem locum extranei successerint. Diligenter ducum Judæorum i. e. sacerdotum, seniorum et Scribarum culpam, necnon oppositionem Pharisæorum contra evangelicam doctrinam describit. Jam apparet socordia « principum sacerdotum et Scribarum » erga

---

(1) Viginti vaticinia disertis verbis docet adimpleta esse, alia verò non pauca lectoris animo obversari supponit.

(2) Cf. Rose, *l'Evangile selon S. Marc*, Paris 1904, p. XV ss. Cf. resp. I mensis seq.

(3) Cf. Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu*, Paris 1905, ch. III.

(4) De regno cœlorum cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 587 ss.; Rose, *Etudes sur les Evangiles*, Paris 1905, ch. III.

Regem natum : ipsi Magis viam monstrant sed incuriosi in vicinis Jerosolymis manent (II, 1 ss.). Turbæ ad fidem pronæ et inquirenti : « numquid hic est filius David » seu Messias, « Pharisæi » calumniâ respondent Jesum in « principe dæmoniorum ejicere dæmones » (XII, 23 s.). Vixdum Petrum caput Ecclesiæ suæ instituerat, prædixit Dominus discipulis suis se multa oportere pati « a senioribus et Scribis et principibus sacerdotum » quam prædictionem repetiit ante ultimum suum iter Hierosolymitanum (XVI, 21 ; XX, 18 ss.). Paucis ante passionem suam diebus « Pharisæos et Scribas » acriter increpat, « qui claudunt regnum cœlorum ante homines, neque ipsi intrant nec introeuntes sinunt intrare » (XXIII, 1-39).

Inexcusabilis illa incredulitas aggravata est deicidio et calumnia de sepulchro ab apostolis violato. In tota historia passionis « seniores et principes sacerdotum » primas egisse partes refert ; qui præterea, ut efficacius populum a prædicatione apostolica averterent, resurrectionis famam custodibus corruptis et calumniis in apostolos sparsis supprimere studuerunt. Si verò ducum culpam multis refert, non prorsus tacet populi peccatum : solus enim nobis servavit horrendam illam populi imprecationem : « sanguis ejus super nos et super filios nostros » (XXVII, 25). Profectò Judæi, qui hanc patrum ducumque suorum culpabilem agendi rationem perpendebant, non poterant non admirari justa Dei judicia : « Quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus » (1). Etenim

3° *Loco Judæorum Gentiles regnum messianum ingrediuntur.* Quamvis in primo Evangelio Christus variis locis præcipuum aliquod jus ad regnum messianum Judæis concedat (2), nihilominus auctor pluries bonum

---

(1) XXI, 43. Cf. Cornely, *Introductio in V. T. libros sacros,* t. III, Parisiis 1886, p. 62 s.

(2) e. g. I, 21 ; V, 17 ss.; X, 5 s.; XV, 24.

animum Gentilium erga Evangelium notat (1), atque universale esse Christi regnum omnibusque populis destinatum clare et frequenter docet (2). Ita Gentilium vocatio apertè prænuntiatur VIII, 11 s.: « Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac et Jacob in regno cœlorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores ». Ager in quem « Filius hominis seminat bonum semen est *mundus* » (XIII, 37 s.). « Dominus vineæ vineam suam locabit aliis agricolis qui reddant ei fructum temporibus suis » (XXI, 40 s.). « Et prædicabitur hoc Evangelium regni *in universo orbe*, in testimonium omnibus gentibus ». Mulier, quæ unxit caput Christi, laudabitur « ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium *in toto mundo* » (XXVI, 13). Demùm Christus resuscitatus undecim Apostolis apparens, missionem universalem injungit, « omnesque gentes » per baptismum regno messianico aggregare jubet (XXVIII, 18 ss.).

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone quisnam sit* finis *Ecclesiæ Christi.*

R. I. **Prænotanda** *ad statum quæstionis definiendum. Societas* humana est plurium hominum conspiratio ad communem consecutionem boni (3). Dicitur: *plurium hominum*: societas enim ex uno non fit, duo saltem requiruntur. *Conspiratio ad communem consecutionem boni:* hæc est unio voluntatum in volitione alicujus boni (quod evidenter præsupponitur cognitum) et conse-

(1) Cf. v. g. II, 1; IV, 13, 23; VIII, 10.

(2) Quomodo ille sic dictus particularismus cum universalismo primi Evangelii conciliari possit ac debeat, v. apud Jacquier, *o. c.*, p. 393 ss.

(3) Cf. Taparelli, *Saggio di dritto naturale*, Prato, 1883, T. I, n. 307; Schiffini, *Disputationes philosophiæ moralis*, Augustæ Taurinorum, 1891, T. I, n. 209; Ferretti, *Institutiones philosophiæ moralis*, Romæ, 1891, t. III, p. 5; De San, *De Ecclesia*, Brugis, 1906, p. 4, n. 6.

quenter conjunctio virium seu cooperatio in usu communi mediorum. Et sane ut existat societas non sufficit ut plures uniantur physice et extrinsece, v. gr. in eodem loco, puta in eodem theatro; sed requiritur unio *moralis et intrinseca;* porro non sufficit ut plures velint idem bonum, necesse est etiam ut velint hoc bonum tamquam *omnibus* et *communiter* acquirendum (1).

Non distincte percipitur essentia societatis nisi distinguatur *actualis* et *habitualis* conspiratio. Actualis conspiratio habetur in communi *exercitio* virium ad bonum acquirendum; habitualis vero consistit in aliqua *permanente dispositione,* quam plures inter se habent, et ratione cujus, tametsi minime socialiter operantur, proxime tamen ordinati sunt ut in talem operationem transeant. Illa porro dispositio est ordinis intentionalis seu moralis et consistit in *vinculo morali:* hoc vinculo plures ad invicem referuntur tamquam partes componentes unum quoddam totum et singulorum vires ordinantur ad bonum totius procurandum (2).

Inde causæ *intrinsecæ* societatis dignoscuntur: causa *materialis* est multitudo personarum; causa *formalis* est ipsa conspiratio, nempe habitualis, quæ est vere vinculum sociale.

Finis autem societatis est illud bonum ad cujus consecutionem conspirant personæ associatæ. Ut obtineatur, in humana societate, conspiratio actualis seu vera cooperatio membrorum in finem, requiritur *auctoritas,* quæ definitur *jus obligandi et cogendi socios ad certo aliquo modo operandum vel non operandum, in*

---

(1) Apto exemplo res sic illustratur: supponamus plures doctos laborare ad interpretandum aliquod manuscriptum, singuli illud cognoscunt, interpretari volunt et iisdem forsitan mediis utuntur: inter illos tamen non consistit societas: tunc hæc constituetur quando sibi invicem manifestant voluntatem illius interpretationis conficiendæ et conveniunt ut hanc *communiter* obtineant conjungendo vires ad hunc scopum. Cf. Taparelli, *o. c.*, n. 304.

(2) Cf. Schiffini, o. c., l. c.

ordine ad proprium societatis finem. Auctoritas ergo formaliter ad *operationem* ordinatur qua *finis* est obtinendus. Quum autem ex natura finis dependeat natura conspirationis socialis, necnon natura auctoritatis, ideo recte dicitur ex fine specificari societates.

De Ecclesia nunc inquirimus quisnam sit ejus *proprius finis*, seu illud bonum ad cujus obtentionem ipsa existit et operatur.

II. Ecclesiæ proprius finis *proximus* est sanctificatio hominum; *remotus* æterna hominum salus seu beatitudo.

Hoc demonstrabimus 1/ ex verbis Christi manifestantis suam *intentionem* in condenda Ecclesia; 2/ ex doctrina S. Pauli; 3/ ex ipsa vita Ecclesiæ quatenus omnibus est cognoscibilis.

1. Finis proprius Ecclesiæ est idem ac finis missionis Christi hac in terra; atqui finis missionis Christi hac in terra est sanctificatio hominum et ulterius beatitudo ipsorum æterna; ergo.

Declaratur *major*. Apostolis dixit Christus: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (1): apostolos proinde constituit successores suos et opus suum continuandum tradidit (2). Igitur apostoli exercendo munus suum ad id operantur ad quod ipse Christus operatus est; et homines, Apostolorum auctoritati subjecti, reguntur in operando ad idem ad quod Apostoli operantur: ergo tota Ecclesia, præpositi et subditi, qua tales, conspirant ad illum finem quem Christus hac in terra prosecutus est.

Declaratur *minor*. Dixit Christus: « *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut*

---

(1) Jo. XX, 21.

(2) Hæc missio respicit *omnes* homines quemadmodum constat ex his verbis: « Euntes ergo docete omnes gentes... etc. Matth. XXVIII, 18. Cf. R. De Schepper, suprà, p. 241.

Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam » (1). Ergo *vita æterna* hominum est finis missionis et mortis Christi; fides est conditio *sine qua non* obtentionis hujus boni. Idem docet Christus: « *Ego veni ut vitam habeant et abundantius* (h. e. abundanter) *habeant* » (2).

Hæc porro vita æterna complectitur et *sanctificationem* hac in terra, et, tamquam sequelam, *æternam beatitudinem* in cœlis. Etenim hæc vita, quam attulit Christus, incipit per aliquam *renascentiam spiritualem:* « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* » (3); *Fides* in Christum requiritur ut aliquis possit fieri particeps vitæ illius (4); etiam *observatio mandatorum:* « *Si autem vis ad vitam ingredi serva mandata* » (5); etiam sumptio corporis et sanguinis Christi: « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis* » (6); tandem requiritur vitalis unio cum Christo in ordine ad opera bona facienda: « *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere* » (7). Hæc omnia requiruntur hac in terra ad hoc ut homines participes fiant *vitæ* quam Christus attulit et hæc vita est sanctitas, quippe quæ consistit in supernaturali rectitudine voluntatis coram Deo. — Qui autem recte vixerint secundum Christi præcepta, illi obtinebunt æternam beatitudinem: « *Nolite mirari hoc quia venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* » (8).

---

(1) Jo. III, 14-16.
(2) Id. X, 10.
(3) Id. III, 5.
(4) Cf. Jo. III, 14-16.
(5) Matth. XIX, 17.
(6) Jo. VI, 54.
(7) Id. XV, 5.
(8) Id. V, 28-29. Idem docetur a Christo apud MATTH. XXV, 46.

2. « Et ipse (Christus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi » (1). Docet S. Paulus præpositos ideo a Christo constitutos esse ut laborent ad sanctificationem membrorum Ecclesiæ ita ut *totum corpus Christi mysticum,* quod est Ecclesia, tendat ad perfectionem moralem (2): ergo finis Ecclesiæ est sanctificatio hominum.

Duplex finis proximus et remotus indicatur his verbis: « Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam » (3). Comparat Apostolus statum hominum ante conversionem ad Christum cum statu ipsorum post conversionem, in Ecclesia. « Sicut *tunc* in pristino eorum statu servitus peccati fructus pudendos malorum operum tulit, quæ ad mortem æternam ducunt, ita *nunc* in novo eorum statu servitus justitiæ fructus fert bonorum operum, quæ proxime ad perfectiorem sanctitatem et tandem ad vitam æternam ducunt » (4).

3. Si vita socialis Ecclesiæ consideratur, manifestum est auctoritatem, quæ residet in Summo Pontifice et Episcopis, exerceri in docendo veritates religiosas, in administrando sacramenta, in præscribendo opera bona et socios movendo ad veram et semper majorem perfectionem: quæ omnia tendunt ad sanctitatem in membris producendam; fideles etiam cognoscunt se intantum

(1) Ephes. IV, 11-14.
(2) Cf. Prat, *Théologie de Saint Paul,* Paris, 1908, p. 412.
(3) Rom. VI, 20-22.
(4) Cornely, *Comment.* in h. l.

vitæ propriæ Ecclesiæ esse participes in quantum laborant ad propriam sanctitatem et cooperantur ad aliorum perfectionem producendam ; cognoscunt etiam perfectissima Ecclesiæ membra esse illos homines qui per excellentiam *sancti* vocantur et, ut tales, ab ipsa Ecclesia honorantur et coluntur ; tandem sciunt se ideo debere ad Ecclesiam pertinere ut in ea et per eam possint æternam consequi salutem. Non ad bonum temporale, sive divitias, sive scientiam, per se et immediate, ordinatur Ecclesia : hæc enim est regnum Christi, quod *non est de hoc mundo* (1), nec habet rem mundanam ut *proprium* finem.

Thesis demonstrata sic docetur a Leone XIII : « Hoc igitur sine ulla dubitatione est officium Ecclesiæ, christianam doctrinam tueri eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequaquam in isto sunt omnia : imo ne *finis* quidem, cujus caussà est Ecclesia instituta, officio isto concluditur. Quandoquidem ut Jesus-Christus pro salute humani generis se ipse devovit, atque huc, quæ docuisset quæque præcepisset, omnia retulit, sic jussit Ecclesiam quærere in veritate doctrinæ, quo homines cum *sanctos* efficeret, tum *salvos* » (2).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Explica dictum S. Bonaventuræ* (3) : « Conscientia est sicut præco Dei et nuntius, et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco cum divulgat edictum regis ».

R. Sensus obvius illius dicti est : Conscientia inde

(1) Jo. XVIII, 36.

(2) Encyclica de unitate Ecclesiæ : « Satis cognitum ». Cf. *Collat. Brug.*, t. I, p. 453. — Si civis terrenam patriam, e qua mortalem habet vitam, amare debet, catholicus multo majori amore Ecclesiam prosequi, e qua æternam habet vitam. Cf. Leonis XIII, Encycl. « Sapientiæ Christianæ » apud *Acta Leonis XIII*, Brugis, Desclée, t. IV, p. 8.

(3) Cit. ap. Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 250.

habet vim obligandi quod regulam remotam et objectivam seu legem applicet. Idem dicit S. THOMAS, *De verit.*, q. 17, a. 3, adducta alia comparatione, np. cum vinculo physico: sicut res corporalis non ligatur nisi per applicationem vinculi ad ipsam, ita nec voluntas ligatur aliquo præcepto (vinculo morali) nisi per applicationem præcepti ad ipsam, quæ applicatio fit per scientiam. « Unde, concludit ipse, cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiæ ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi præcepti divini » (1).

Ut autem hoc penitius intelligatur, quæri ulterius potest utrum conscientia vim suam obligandi mutuetur ex ipsa lege particulari, circa quam determinate versatur judicium conscientiæ. Nam statim oritur difficultas pro conscientia erronea, quæ ex definitione non applicat regulam objectivam particularem, sicuti revera est, quæ tamen conscientia, si error sit invincibilis, est regula legitima et obligatoria operationis (2). Ita qui putat se teneri ad mentiendum, ut liberet proximum e periculo vitæ, peccat peccato formali contra misericordiam, si non mentiatur, quamvis objective non teneatur mentiri. In casu igitur ipsa lex particularis, cum non existat, non valet inducere obligationem. Neque proficeret dicens, sine ulteriori explicatione, vim obligandi oriri ex lege particulari existimata: semper enim verum manet quod lex mere existimata, sed vere inexistens, non possit ex se necessitatem inducere moralem.

At recurramus oportet *ad legem generalem et altiorem,* quæ jubet nos sequi dictamen conscientiæ sive verum sive erroneum. Videlicet considerandus est ordo statutus ab Auctore naturæ inter facultates, quibus homo constituitur capax actuum humanorum. Voluntas np., utpote potentia cæca, duci debet ab intellectu; attingit

(1) Hunc textum, in hac materia vere classicum, relatum invenies ap. BOUQUILLON, *l. cit.* Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 443.

(2) Cf. *Collat, Brug.*, t. I, p. 227.

quidem immediate suum objectum, conditio tamen sine qua non attingat istud est cognitio præcedens intellectus proponentis objectum. Unde voluntas non participat « moralitatem objecti nisi prout ei ab intellectu proponitur » (1). *Lex* igitur *naturalis* dictat non esse agendum contra id quod judicatur præceptum vel prohibitum, sive hoc judicium sit verum sive erroneum. Unde obligatio sequendi conscientiam oritur ex ipso jure naturæ; sed hæc vis obligatoria est per se *communis,* non autem specifica (2); specificatur vero per legem particularem apprehensam, etiam erronee, et ex hac apprehensione habetur bonitas vel malitia *specialis* actuum voluntatis.

Ex dictis intelligitur textus S. BONAVENTURÆ, in II Sent., disp. XXXIX, a. 1, q. 3, ad 3, ubi præcise respondet ad difficultatem supra positam: Quod fit contra conscientiam erroneam, non fit contra legem, adeoque non est peccatum. « Dicendum, ait, quod facere contra legem Dei hoc potest esse dupliciter: vel *vere*, vel *interpretative*, sive secundum veritatem, sive secundum reputationem, et utroque modo est peccatum mortale; utroque enim modo contemnitur Deus (3). Et quamvis faciens contra conscientiam non faciat semper contra legem Dei secundum veritatem, facit tamen vel secundum veritatem, vel secundum reputationem (4); quia *conscientia est sicut præco Dei et nuntius, et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco cum divulgat edictum regis.* Et hinc est, quod conscientia habet virtutem ligandi in his quæ possunt aliquo modo bene fieri ».

Eodem modo dicit S. THOMAS, *De verit.*, q. 17, a. 4,

---

(1) ILL. AC REV. WAFFELAERT, *De dubio solvendo in re morali*, Lovanii, 1880, n. 89, coll. etiam n. 187 sqq. — Cfr. S. Th. 1-2, q. 19, a. 5.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 447.

(3) *Contra* legem Dei: intellige, juxta usum scholasticorum, simpliciter contra, et non tantum *præter* legem Dei. Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 336.

(4) S. THOMAS, *De verit.*, q. 17, a. 5, ait: « Conscientia non ligat nisi vi præcepti divini, vel secundum legem scriptam, vel secundum legem naturæ inditam ».

ad 2 : « Si præceptum imperatoris nunquam ad aliquem pervenire posset nisi mediante proconsule, et proconsul non præciperet nisi recitans imperatoris præceptum... idem esset contemnere præceptum imperatoris et proconsulis, *sive proconsul verum diceret, sive mentiretur* ». Conscientia obligat, quia est præco Dei, nuntians legem Dei. « Diversimode tamen, ait Angelicus ibid. in corp., recta [id est vera] conscientia et erronea ligat; recta quidem ligat simpliciter et per se; erronea autem secundum quid et per accidens ». Si igitur conscientia deprehendatur erronea, jam non ligat, quia tunc non mandat *quasi ex Deo*, sicut cum præco aut proconsul convincitur fuisse mentitus.

H. Mahieu.

IV

Q. *Paucis expone* 1°/ *quandonam virtutes supernaturales infundantur.*

R. Hac in re alia sunt vario gradu certa et ab omnibus admissa, alia sunt controversiæ subjecta. De quibus sic dicimus:

I. **Certum est eo ipso momento quo quis quovis modo a statu peccati transit ad statum justitiæ, ipsi infundi omnes virtutes quæ de facto in ipso nondum existerent.** Nequit enim aliquis esse justus, quin eo ipso omnes virtutes supernaturales possideat. — Dicitur: *omnes virtutes quæ de facto in ipso nondum existerent.* Cujus additionis hæc est ratio: certum est in eo qui a statu justitiæ jam habitæ decidit, posse interdum remanere virtutes Fidei vel et Spei (cfr. qu. V). Quo casu sane, dum quis de novo justificatur, habitus Fidei vel Spei ipsi de novo non infunduntur, sed unice, ex accessu Caritatis ex informibus formatæ et in ratione virtutis perfectæ evadunt (1).

(1) Et idem esset dicendum in sententia quorumdam (infra rejiciendam) juxta quam eædem virtutes possent *infundi* informes ante ipsam justificationem.

Quod assertum, quod **virtutes morales** attinet, indubie colligitur ex iis quæ t. VI coll., pp. 407 ss., dicta sunt de connexione harum virtutum tum inter se, tum cum Caritate. Quæ enim solitarie *esse* nequeunt, nec possunt solitarie fieri seu infundi. Hæc est omnium theologorum, existentiam virtutum moralium admittentium, concors sententia. — Quod attinet **virtutes theologicas**, res est saltem theologice certa eas existere in omnibus justis, non tantum in adultis sed etiam in parvulis. Quod patet de **Caritate**, sive cum aliis dicatur reipsa non distingui a gratia sanctificante, sive dicatur esse proprietas de lege ordinaria cum gratia inseparabiliter nexa. Caritas enim supponit amicitiam cum Deo (S. Th., 2-2, q. 23, a. 1), quæ non existit nisi per gratiam sanctificantem (1-2, q. 110, a. 1, 2). Habitus vero **Fidei** et **Spei** de fide constat inesse cuivis justo adulto. Concilium enim Trid., sess. VI, post declaratum modum præparationis ad justificationem, qui in *actibus* fidei, amoris, etc. consistit, statim c. 7 subdit: « Hanc dispositionem... justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et *donorum* ». Unde habetur hæc dona, condistincta ab actibus, esse ut *habitus* intelligenda. Inter hos autem habitus enumerantur *Fides*, *Spes* et Caritas: « Unde in ipsa justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo... Fidem, Spem et Caritatem ». Et quod hæc per modum habituum intelligenda sint confirmatur ex eo quod Conc. statim addit: « Hanc *fidem* ante Baptismi Sacramentum... catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præstantem ». Fides enim hæc non actualis, utpote quam jam habent, sed habitualis intelligitur. — Quoad parvulos autem baptizatos, Innocentius III, in cap. *Majores*, de Baptismo, etsi inclinans in sententiam affirmantem virtutes etiam ipsis infundi, rem tamen tanquam disputabilem reliquit; concilium autem Viennense definivit

« tanquam probabiliorem et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem » esse eligendam (1); quum autem Conc. Trid. textu allato jam non distinguat inter parvulos et adultos, jam communiter tenetur esse saltem theologice certum virtutes Fidei et Spei etiam ipsis infantibus infundi (2).

II. **Dubium movent auctores utrum quædam saltem virtutes, nominatim Fides et Spes, ante ipsam justificationem, non possint adultis infundi.** Et triplex est circa hoc sententia: 1ª, pro qua citantur præsertim Banez in 2-2, q. 6, a. 2; Suarez, de Fide, disp. 7, sect. 3, n. 4, Vasquez, 1-2, disp. 203, n. 117; et alii, affirmat hos habitus infundi quoties eliciuntur actus iisdem respondentes, etsi ob defectum dispositionis requisitæ, non infundantur gratia et caritas. Quam sententiam propugnat Schiffini, *Tract. de Virt. Infusis,* n. 31 ss.; 2ª sententia pro qua citatur Soto, *De natura et gratia*, l. 1, c. 8, affirmat hos habitus posse infundi sive in ipsa justificatione, sive extra justificationem dum quis, per actus Fidei vel Spei dispositus sed cum obice ad gratiam recipit Sacramentum Baptismi. Quod ultimum iterum admittit Schiffini, n. 32, et ex eo deducit argumentum in favorem primæ sententiæ. 3ª tandem sententia, quæ fuit communis inter veteres, Albertum magnum, in 2, dist. 26, art. 9; Bonaventuram (in IV, O. 14, part. 1, a. 2, q. 3; Durandum, in 3 dist. 23, q. 6; S. Thomam (in III, D. 23, a. 4; I-II, q. 62, a. 4; III, q. 85, a. 6), pro qua item citantur De Lugo, *De fide divina*, disp. 16, sect. 2; Ripalda, *De ente supernaturali*, disp. 128, sect. 2, tenet hos habitus extra justificationem nunquam infundi. Quam sententiam propugnat Billot, o. c. pp. 135 ss.

1am et 2am sententiam excludimus et 3am probamus his argumentis:

---

(1) Denzinger, n. 411.

(2) Cfr. Billot, *De Virtutibus infusis*, pp. 104 ss.

1. Dicit *Conc. Trid.*, sess. 6, c. 7 : « Unde *in ipsa justificatione*... hæc omnia *simul* (1) accipit homo... fidem, spem et charitatem ». Jamvero in 1ª et 2ª sententia, Fides et Spes non semper infunderentur *in ipsa* justificatione, sed ante eam, eo np. momento quo homo elicit actus Fidei vel Spei (sent. 1ª), vel saltem quo cum tali dispositione actuali Baptismum, quin tamen justificetur, recipit (2ª sent.). Unde nec *simul* cum Caritate infunderentur (2).

2. Dicit Conc. Trid., ibid.: « Hanc Fidem (i. e. habitum Fidei, vide supra p. 327), ante Baptismi sacramentum... catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem vitam æternam præstantem ». Hinc ruit 1ª sententia. In hac enim per Baptismum posset quidem augeri fides, sed *nunquam* infundi. Catechumenus enim ad Baptismum accedens, vel jam elicuit actum Fidei, et sic jam accepisset ipsum habitum Fidei ; vel nondum actu credit, et sic nec in Baptismo virtutem Fidei accipiet, sed postea tantum vi reviviscentiæ accipere posset. Baptismus enim a non credente susceptus habitum supernaturalem Fidei non potest infundere.

3. Tum 1ª tum 2ª sententia ad absurdum ducunt. Si enim, uti volunt, Fides actualis sive extra (1ª sent.), sive intra sacramentum (2ª sententia), esset dispositio sufficiens ad infusionem habitus, idem dicendum esset de

---

(1) Quæ vox *simul* habet certe sensum suum nativum et ordinarium, de tempore np. simultaneo infusionis, et certe nequit intelligi *pariter*, quum conc. in toto capite agat de ordine seu processu justificationis.

(2) Objicit Schiffini, p. 40, Conc. post. allata verba addere: « nam Fides nisi ad eam accedat Spes et Caritas, neque unit perfecte cum Christo neque corporis ejus vivum membrum efficit ». Hinc, ait, conc. loquitur de Fide et Spe per Caritatem *formatis* et affirmat has virtutes *formatas* non posse existere ante infusionem Caritatis ; minime vero negat ante infusam Caritatem dari posse Fidem aut Spem *informem*. Ast respondetur Fidem et Spem informes a formatis non differre in quantum sunt habitus, sed formatas addere informibus extrinsecam relationem, quatenus per Caritatem positive in finem ultimum supernaturalem referuntur. Unde si ante justicationem jam existerent habitus Fidei et Spei, immerito diceret Conc. eos *infundi* in ipsa justificatione.

infideli positivo qui ab ipsa Fide positivo actu defecit. Hinc si talis de novo actum Fidei eliceret, quin tamen ad justificationem ipsam se ultimo disponeret, infunderetur ipsi habitus Fidei, coexistens cum culpa infidelitatis. Videtur autem absonum aliquem recipere a Deo habitum Fidei et simul esse in statu in quo præcise propter defectum Fidei esset damnandus.

4. Ratio autem intrinseca est quod virtutes infusæ ad gratiam habitualem referuntur sicut potentiæ naturales ad naturam. Atqui non dantur potentiæ naturales ante naturam, et ideo nec ulla virtus infusa ante gratiam. Ast notandus est valor hujus argumenti: inter ordinem enim naturalem et supernaturalem *stricta* paritas non datur, quum in ordine naturæ sit plane *impossibile* potentias existere ante naturam, contrà in ordine supernaturali est tantum *inconveniens* seu contra ordinem connaturalem; stante tamen tali inconvenientia, nequit admitti virtutes infundi ante gratiam, nisi solide probetur (1).

V

Q. *Paucis expone 2°/ quamdiu durent virtutes infusæ in homine.*

Q. Virtutes infusæ eatenus deficere possunt, quatenus deficere intelligatur influxus divinæ virtutis, qui unica est earum causa efficiens. Hunc autem influxum Deus non subtrahet nisi propter subjecti indispositionem. Talis autem est una *ratione status*, et sic virtutes propriæ viatoribus in beatis aut damnatis permanere non possunt; altera, *ratione contrariæ operationis*, prout np. quis peccando mortaliter obstaculum ponit super-

(1) Circa objectiones quæ contra hanc sententiam moventur, et argumenta quæ adducuntur in gratiam 1ae vel 2ae sententiæ, quædam infra notabuntur, in responsis ad quæstiones IV et V, in conferentiis mensis Junii propositas.

naturali illuminationi divinæ sicut lumen cessat in aere per hoc quod obstaculum aliquod ponitur illuminationi talis. Quæ contrarietas peccati non est *physica efficienter*, cum peccatum nihil physice efficiat nisi habitum vitiosum acquisitum aut dispositionem ad illud, habitus autem vitiosus et habitus infusus virtutis sint compossibiles, ut patet in eo qui post vitam vitiosam ad statum gratiæ unico actu caritatis convertitur; — nec est *physica formaliter* ita ut actus peccanimosus et habitus infusus essent duæ formæ contrariæ se invicem excludentes, qua ratione sibi mutuo repugnant habitus acquisitus bonus et habitus acquisitus malus circa eamdem materiam; talis enim oppositio non datur inter *habitum* eumque *supernaturalem* et *actum* eumque *naturalem*. Influxus proinde peccati in tollendam virtutem *moralis* est: sicut np. debiti actus humani boni non ipsi physice producunt vel augent habitum infusum sed existunt unice causa meritoria et dispositiva, ita peccata quædam quasdam virtutes tollunt *demeritoric et dispositive*, impediendo quominus a Deo conservetur. Dicitur: *et dispositive*: non enim sufficit demeritum ut virtus expellatur. Sic enim ob odium Dei, quod gravius est quam infidelitas, destruendæ essent Fides et Spes, sicut ob odium abominationis, quod gravius est quam infidelitas, destruenda esset Fides. Præter demeritum igitur requiritur ut ex peccato resultet moralis quædam indispositio in subjecto ad habitum virtutis retinendum. Quæ indispositio in eo est quod peccatum directe opponatur motivo formali virtutis (1). — Quibus præmissis dicimus:

I. **In hac vita** 1/ Virtus theologica **Caritatis** manet in homine quousque durat gratia sanctificans (vide supra p. 327). Et ideo, quum ex Conc. Trid. sess. VI, cap. 15 et can. 27, doceamur gratiam amitti per quodcumque peccatum mortale, tenendum est Caritatem amitti per quodcumque peccatum mortale. — 2/ Virtu-

(1) Cfr. SCHIFFINI, *o. c.*, pp. 55 ss.

tes Fidei et Spei possunt permanere in peccatore (1). Sic enim Conc. Trid., can. 28 : « Si quis dixerit, amissa per peccatum mortale gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine Caritate habet non esse christianum, A. S. » Hinc dogma fidei est saltem *actum* Fidei posse in peccatoribus permanere. Quoad *habitum* vero saltem fidei proximum est, et a variis post Suarez de fide dicitur. Sic enim fert sensus obvius verborum, quum in eis juxtapponantur fides et gratia, fides et Caritas, et gratia et Caritas de habitibus intelligantur. Quod item confirmatur ex doctrina parallela cap. 15, ubi legitur per *infidelitatem* ipsam *fidem* amitti : est enim nimis evidens per peccatum *infidelitatis* amitti *actum* fidei, ut concilium tale quid affirmare intenderit ; unde et hic fides de ipso habitu intelligitur (2). Excluditur autem Virtus Fidei per peccatum *infidelitatis*, quo aliquis veritatem revelatam sibi sufficienter propositam rejicit ; Virtus vero Spei non directe sed de consequenti tantum excluditur per *infidelitatem*, sic np. ablato Spei fundamento ; directe autem per peccata Spei contraria, scil. per *desperationem*, quæ est recessus a bono ut futuro arduo et impossibili, sive absolute impossibili sive nimis difficili et sic moraliter impossibili, et per aliquam *præsumptionem*, et notatim per præsumptionem quæ dicitur *pelagiana*, qua quis sperat beatitudinem propriis viribus consequendam, et per præsumptionem quæ vocatur *Lutherana*, quæ est fiducia quæ nititur in sola misericordia Dei sine nostra cooperatione, et sic bona supernaturalia exspectat contra universum ordinem Providentiæ : prior excludit Spem quatenus inducit ad omissionem actus Spei præ-

---

(1) Quod sufficiet probasse pro ipsa fide sola, quum quæstio de amissione sicut et de infusione Fidei et Spei ab auctoribus pari ratione solvatur.

(2) Cfr. De Lugo, *De Fide divina*, disp. 16, n. 38, disp. 17, n. 56.

cepti, imo ad contemptum præsumptuosum divini auxilii Spei oppositum eamque destruentem; altera destruit Spem quia destruit media necessaria. Non excludi autem *per aliud quodvis peccatum* actum et habitum Fidei, inde habetur quod minime repugnat credere veritates quaslibet Fidei et practice suam vitam creditis non conformare; actum et habitum Spei vero inde quod assecutio beatitudinis est tantum impossibilis in sensu composito cum peccato, ita ut communis peccator Spe informi possit sperare *futuram* remissionem peccatorum, et beatitudinem per merita sua *futura*. — 3/ Virtutes tandem **morales** omnes amittuntur cum ipsa Caritate, quacum sunt inseparabiliter connexæ. Ratio est quia sicut in ordine naturæ ita et in ordine gratiæ, non ponuntur in aliqua re instrumenta optime disposita, nisi simul insit altior virtus iis utens eaque movens. Jamvero virtutes morales præcise sunt instrumenta propria Caritatis, quibus nim. Caritas, virtus altior, utitur quasque movet in ordine ad finem ultimum (1).

II. **Post hanc vitam** 1/ in **damnatis,** quum non damnentur nisi ob defectum culpabilem justitiæ, patet ex dictis deficere virtutes **Caritatis** et **morales.** Ipsæ autem **Fides** et **Spes,** si forte usque ad momentum mortis perseveraverunt, auferuntur. Habitus enim operationis bonæ et supernaturalis repugnat statui ipsorum, utpote obfirmationis in malo; tum in specie Fides proprie dicta, qua quis credit ob auctoritatem Dei revelantis, involvit obsequium erga Deum, et ideo in damnatis dari non potest; unde fides quæ ipsis interdum tribuitur (Jac., II 19; S. Th., 2-2, q. 18, a. 3 ad 2) fundatur in evidentia quam habent infallibilitatis et veracitatis divinæ et facti revelationis, et est proinde actus *naturalis fidei latius dictæ* (cfr. S. Th., 2-2, q. 5, a. 2 ad 2; de veritate, q. 14, a. 9 ad 4^{m}); spes item quoad actum et habitum deficit, quum apprehendant quidem beatitudi-

(1) Cfr. Ill. Waffelaert, *De Prud. Fort. et Temp.*, p. 19 s.

nem ut bonam, absentem et arduam, sed ut impossibilem (cfr. S. Th., 3, q. 63 a. 5 ad 1m, ubi solvitur difficultas mota ex permanentia caracteris sacramentalis in damnatis). — 2/ **In beatis** deficiunt **Fides**, quoniam incompossibilis cum visione ejus quod creditur, et **Spes**, quum deficiat essentialis ratio absentis de suo objecto primario. Unde Fidei in beatis succedit visio, Spei comprehensio. Quidam tamen post Suarez, *De Spe*, disp. 1, art. 8, n. 3, putarunt manere Spei habitum quoad substantiam, quamvis non eliciat in eis actus Spei beatitudinis essentiales, sed secundarios tantum. Revera deficit actus præcipuus circa objectum primarium, ipsam possessionem Dei, adeoque deficiunt actus omnes circa media ad illam; gloriam sane corporis desiderare possunt, et exspectare; sed eam proprie sperare non possunt, utpote quam jam tenent in sua causa, adeo ut sit futura quidem sed jam non ardua; item si dici possunt salutem aliorum hominum adhuc viventium *sperare*, hic tamen actus in beatis videtur actus Caritatis, elicitus ex Caritate erga Deum (1). Manet autem **Caritas** quæ teste Apostolo nunquam excidit (I Cor. XIII), eaque eadem numero cum Caritate viæ. Caritas enim viæ imperfecta sane est, utpote non habiti et non visi, sed imperfectio non est de essentia ejus, adeo ut Caritas patriæ unice perficiatur secundum quod fit de objecto jam habito et jam viso. — Virtutes quoque **morales** in patria manere communius docent theologi, etsi concedant eas eosdem proprios actus non exercere quos in via, sed alios perfectiores, convenientes statui termini (2). — 3/ In **animabus**

---

(1) Cf. S. Thomas, *De Spe*, q. un, art. 4.

(2) Sic S. Thomas, 1-2, q. 67, a. 1: « Virtutes morales in futura vita non manent quantum ad id quod est *materiale* in eis: non enim habebunt in futura vita locum concupiscentiæ et delectationes ciborum et venereorum, neque etiam timores et audaciæ circa pericula mortis; neque etiam distributiones et communicationes rerum quæ veniunt in usum præsentis vitæ; sed quantum ad id quod est *formale*, remanebunt in beatis

purgatorii, adest sane **Caritas** eaque inamissibilis, quum quantum ad immobilizationem voluntatis in ultimo fine jam sint in statu termini; remanent quoque **Fides**, quum adhuc sint a visione Dei elongatæ, et **Spes**, quum maneat ipsis beatitudo ardua quamvis certa. Virtutes item **morales** remanent, sicut manent in beatis, etsi rursus, pro conditione subjecti, ad varios actus capaces quorum determinationem nos latet (1).

A. Vander Heeren.

VI

Q. Quid intendit Pius PP. X Motu proprio 19 Martii 1904 « Arduum sane » de legibus Ecclesiæ in unum redigendis, et quænam est necessitas hujus novæ juris canonici codificationis (2).

R. I. Juxta documenta Romana quæ hucusque prodierunt (3), duplex sibi proposuit opus Pius X,

---

perfectissime post hanc vitam, in quantum ratio uniuscujusque rectissima erit circa ea quæ ad ipsum pertinent secundum statum illum, et vis appetitiva omnino movebitur secundum ordinem rationis in his quæ ad illum statum pertinent ». Et bene notat Billot, *o. c.*, p. 166: « Actus diversos (in patria eliciendos) non valemus determinate assignare, cum omnem nostram experientiam futurus ille status transcendat, sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit ». Et idem sane dicendum de actibus quos hæ virtutes elicerent in *animabus separatis* purgantibus vel exspectantibus in cœlo gloriam corporis.

(1) Pro qua tota solutione, cfr. S. Th., 1-2, q. 67.

(2) Facilitatis causa, venia sit huic dicto, quod ceteroquin jam in postulato Archiepiscoporum et Episcoporum provinciæ Quebecencis et Halifuxiencis Patribus Conc. Vatic. oblato reperitur. Cf. Laemmer, *Zur Codification des canonischen Rechts*, p. 104 s. Freiburg-i-Br. 1899.

(3) Motu proprio *Arduum sane*, 19 martii 1904, ap. *Collat. Brugen.* 1904, t. IX. p. 307 ss. Nomina Cardinalium, ex quibus constat Commissio Pontificia, de qua agebat Motu proprio in § 1ª, via diariorum comperta sunt; hujus consilii secretarius est Emmus Card. Gasparri, cf. *Revue des sciences ecclésiastiques*, 1904, t. LXXXIX, p. 281. Cardinalis Secretarius Status, die 25 maii 1904 litteras dedit circulares ad omnes episcopos, quibus ad normam § 3 Motu proprio, prima series 17 consultorum Romæ

codificationis scilicet et compilationis (1).

A. Codificatio erit: Totius juris canonici communis, hodiernis temporum adjunctis accommodati, redactio in articulos ~~claros~~, ~~concisos~~ et generales, ad modum systematis congestos in codice authentico, uno, universali et exclusivo.

Hæc operis descriptio paucis evolvatur. Dicitur:

a/ *Totius juris canonici communis hodiernis temporum adjunctis accommodati redactio.* Intenditur reformatio totius et solius juris communis, sive non scripti, sive

---

commorantium referebatur (his dein alii 25 adjuncti sunt), et partes Episcoporum totius orbis in hoc opere feliciter complendo statuebantur, *ibid.*, p. 539-543. Demum produiit epistola Em^ni Cardinalis Gasparri d. d. 6 Aprilis ejusdem anni ad Rectores Universitatum, qua mandatum est antecessoribus, qui juri canonico tradendo incumbunt huic gravissimo operi allaborare, *ibid.*, p. 545 ss. — De hac re optime scripserunt: Boudinhon, *De la codification au droit canonique* in *Le canoniste contemporain*, 1904, t. XXVII, p. 641 ss., 1905, t. XXVIII, p. 18, 76, 139, 207, 302, 473, 563; Saegmüller, *Die formelle Seite der Neukodifikation des Kanonischen Rechts* in *Theologische Quartalschrift*, 1905, t. LXXXVII, p. 401-424, ubi optima et quasi completa invenietur bibliographia. Nuperrime prodiit: Friedberg, *Ein neues Gesetzbuch für die Katholische Kirche* in *Deutsche zeitschrift für Kirchenrecht*, 1908, t. XVIII, p. 1-74; cf. Saegmüller in *Theol. Quartalschrift*, 1908, t. XC, p. 166.

(1) Motu proprio *Arduum sane*: « At illustres Ecclesiæ præsules, iique non pauci etiam e S. R. E. Cardinalibus, magnopere flagitaverunt ut universæ Ecclesiæ leges, ad hæc usque tempora editæ, lucido ordine digestæ, in unum colligerentur, amotis inde quæ abrogatæ essent aut obsoletæ, aliis, ubi opus fuerit, ad nostrorum temporum conditionem proprius aptatis; quod idem plures in Vaticano Concilio Antistites postularunt. Hæc nos justa sane vota probantes ac libenter excipientes, consilium cepimus eadem in rem tandem deducendi ». Scribit vero Em^mus Card. Gasparri, epist. cit.: « Ea quippe Sanctitatis suæ mens est, ut universum jus canonicum in canones seu articulos, ad formam recentiorum codicum, apte distribuatur, eodemque tempore, documenta, post authenticas Corporis Juris collectiones prodita, ex quibus præfati canones seu articuli desumpti sunt, simul colligantur. Ordo autem servandus hic plus minusve erit: præmissa parte generali complectente titulos *De Summa Trinitate et fide catholica, De Constitutionibus, De Consuetudine, De Rescriptis,* quinque habebuntur libri: *De Personis, De Sacramentis, De Rebus et Locis sacris, De delictis et pœnis, De Judiciis;* qui tamen ordo, pro laboris a Consultoribus perficiendi commoditate ab initio constitutus, poterit, si progressu studiorum opportunum videbitur, immutari ».

scripti, intra collectiones authenticas existentis aut extra illas vagantis, ita, ut legislatio canonica, demptis obsoletis et mutatis vigentibus legibus, nostro tempori magis aptata appareat. Juris particularis tunc tantum rationem habebit legislator, si exinde normam pro universali Ecclesia desumere opportunum duxerit. Inde a publicato Motu proprio *Arduum sane,* multum disseruerunt Auctores de hac materiali parte codificationis. Notatim expostulaverunt plures ut juxta varietates temporis et regionum respectus haberetur ad jus publicum externum, seu maxime ad relationes Ecclesiæ et Statuum. At, præter principia fundamentalia quæ sive in regimine unionis sive in regimine separationis hanc materiam moderantur, præter articulos de juribus constitutivis societatis religiosæ, de officio reciproquo societatis civilis, et de Concordatis, impossibile videtur singula juris publici externi, pro toto ambitu orbis catholici, attingere (1).

b/ *redactio in articulos claros, concisos et generales,* ad formam recentiorum Codicum, præprimis Codicis napoleonici. Novus codex non erit liber doctrinalis, definitionibus, divisionibus refertus; sed liber legalis, praxi disciplinari et judiciariæ aptatus; nec antiquiorum collectionum caracterem induet. Hæ, pro majori sua parte, constant responsionibus et decisionibus Romanorum Pontificum ad causas *particulares* sibi propositas, ita ut ex illis casibus Doctores et Judices legem *generalem* aliis factis applicabilem educere teneantur; quod sine magno incommodo incertitudinis et controversiarum fieri nequit (2). Juxta scripta Em^mi^ Card. Gasparri, pro intento haberet Supremus legislator

(1) Cf. LAEMMER, *o. c.,* cap. V de schematibus, quæ pro Concilio Vaticano a theologis et ecclesiastici juris consultis præparata fuerunt, p. 55 s., 59 ss., coll. c. IX, de postulatis episcoporum quoad jus publicum, p. 131 ss.

(2) BOUDINHON, *o. c.,* p. 18 ss., 76 ss.; cum additionibus et correctionibus SAEGMÜLLER, *o. c.,* p. 409.

statuere, una cum ratione legis, normas generales, abstractas, casuum particularium quam maxime comprehensivas, relinquendo magistratibus ecclesiasticis applicationem ad causas concretas, imo forsan et adoptationem legis ad nova adjuncta (1).

c/ *ad modum systematis congestos.* Distributio materiæ quam, modo tamen non definitivo, sibi et consultoribus præfixit Commissio Pontificia optime videtur conjungere tum ordinem Institutionum canonicarum (introductio, de personis, de rebus, de judiciis), tum ordinem quinque librorum Decretalium (judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen), tum etiam ordinem a canonistis modernis plerumque adhibitum (introductio, jus constitutionis, jus administrationis). Præmissa enim parte generali seu introductoria complectente titulos: De Summa Trinitate et fide catholica (2), de Constitutionibus de Consuetudine, de Rescriptis, sequentur quinque libri: De personis (jus constitutionis), de Sacramentis, de rebus et locis sacris, de delictis et pœnis, de judiciis (jus administrationis).

d/ *In codice authentico, uno, universali et exclusivo.* Ille enim codex legalis, eodem tempore promulgatus, continebit omnes leges communes, universalem. Ecclesiam ligantes, ad exclusionem omnium earum, de quibus mentio non fiet.

B. Simul tamen intenditur a Legislatore — ut constat ex allatis litteris Card. Gasparri — opus compilationis, quo sc. in unum colligentur omnia documenta, post authenticas Corporis Juris collectiones prodita, ex quibus canones seu articuli novi codicis desumpti sunt. Illa compilatio Decretorum Conciliorum, Bullarum, Decisionum Congregationum una cum antiquioris

---

(1) Optime Saegmüller disserit de forma redactionis, *o. c.*, p. 417 ss. Cf. G. Van den Bossche, *La notion et l'interprétation au droit civil positif dans les théories modernes, Revue catholique de droit*, 1907-1908, t. X, p. 308 ss.

(2) Sub hoc titulo, ni fallor, agetur de relationibus Ecclesiæ et Status.

juris publici collectionibus, valorem legalem non habebit, sed doctrinæ adjumenta interpretationis, tribunalibus vero adminicula applicationis præstabit.

II. Necessitas hujus codificationis (1) quam inde a Concilio Tridentina agnoverunt doctores privati, Episcopi in Concilio Vaticano coadunati (2), ipsique Romani Pontifices, non unico ostenditur argumento (3). Hæc patet imprimis ex multiplicitate legum. Quot enim exstant collectiones authenticæ, quot privatæ; quam multæ leges extra collectiones vagantur, quam multæ consuetudines! Plures centenæ enumerantur Constitutiones Pontificiæ inde a Concilio Tridentino ad Pium X, quin mentio fiat de declarationibus, decisionibus generalibus Congregationum (4). Ex illa multiplicitate nascitur difficultas, tam pro superioribus quam pro fidelibus, cognoscendi legem et non observatio disciplinæ; inde exsurgunt inutiles repetitiones, confusiones, contradictiones (5). Præterea ab Ecclesia fere omnes præscriptiones decursu sæculorum latæ integræ servatæ sunt; paucæ vero formaliter abrogatæ.

---

(1) Hæc habet Motu proprio « *Arduum sane:* » Verum per hæc (per publicatas collectiones authenticas) si quid allatum est quo pro temporum adjunctis difficultates minuerentur, rei tamen haud satis prospicitur. Ipsa namque Collectionum congeries difficultatem parit; sæculorum decursu, leges prodiere quam plurimæ, in multa congestæ volumina; non paucæ suis olim aptatæ temporibus, aut abrogatæ sunt aut obsoleverunt; denique nonnullæ, ob immutata temporum adjuncta, aut difficiles ad exequendum evaserunt, aut communi animorum bono minus utiles ».

(2) En, verbi gratia gratia postulatum Episcoporum Belgii: « Expleto Concilio Vaticano, committere velit SS^mus^ viris in sacris canonibus versatis, munus redigendi integrum complexum legum ecclesiasticarum, in novum codicem hodiernæ praxi accommodatum, et in varios titulos, capita etc. pro materiarum varietate distributum ». Cf. LAEMMER, *o. c.*, p. 104.

(3) Præter auctores citatos cf. *Sulla codificazione del diritto canonico* in *Rassigna Guiridica ecclesiastica,* 1904, t. II, p. 278 ss.

(4) LAEMMER, *o. c.*, p. 36 ss.

(5) Quod confessus est suo tempore Gregorius IX, Bulla *Rex pacificus,* 5 sept. 1234, explicando rationes novæ compilationis Decretalium, hoc a fortiori fatendum sæculo vigesimo.

Quo fit ut scripta legislatio, temporum adjunctis, populi moribus, juris civilis hodierni conditionibus, abrogato jure romano, minus aptata appareat. Fatente ipso S. Pontifice: « plures leges obsoleverunt, nonnullæ vero ob mutata temporum adjuncta aut difficiles ad exequendum evaserunt aut communi animorum bono minus utiles ». Perlustranti titulos et capita Corporis Juris, hoc clare patebit.

Hujus ardui laboris a Pio PP. X incœpti, quanta sit amplitudo et moles neminem fugit; sed quo plus difficultatis habet, eo magis est tanto Pontifice dignum (1).

A. De Meester.

(1) Postulatum de nova redactione juris canonicis et 33 Patribus Concilio Vaticano oblatum, cf. Laemmer, *o. c.*, p. 106 s.

E Sacra Congregatione Rituum

I

De lucis electricæ usu et mulierum cantu in ecclesiis.

ANGELOPOLITANA.

R^mus D^nus Raymundus Ibarra et Gonzalez, Archiepiscopus Angelopolitanus in republica mexicana, a S. Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter exposcit:

I. Per decretum S. R. C. n. 3859 die 4 Junii 1895 declaratum fuit, « lucem electricam adhiberi posse in templis non ad cultum, sed ad tenebras depellendas, seclusa omni theatrali specie ». Jamvero cum a nonnullis tale decretum nimis latè interpretari videatur, ad controversias dirimendas, quæritur in particulari:

1. Licebitne apponere in altari in quo SS. Sacramentum publicæ fidelium patet venerationi electricas lampades, sive tabernaculum circa, sive in vasis florigeris quæ inter candelabra locantur?

2. Fasne erit imagines SS. Cordis Jesu, vel B. Mariæ Virginis iisdem electricis circumcingere luminibus, ad instar scilicet fulgidæ coronæ circa caput, lunæ sub pedibus, vel ad modum solarium radiorum ad latera; et in capitibus duodecim Apostolorum linguas igneas effingere rubeis lampadibus?

3. Permittine demum poterit, quod in lampadibus, quæ ex ecclesiæ fornicibus pendent, candelæ ex cera fictis candelis electricis substituantur? (1)

II. Per decretum n. 3964 *De Truxillo*, die 17 Septembris 1897 prohibitum fuit, ut « mulieres ac puellæ intra vel extra ambitum chori canant in missis solemnibus », idemque confirmatum est die 19 Februarii 1903 (2). Attamen cum in *Motu proprio* SS. D. N. Pii PP. X. *Inter pastoralis officii,* de

---

(1) Sensus debet esse, ut patet: utrum loco candelarum ex cera poni possint fictæ candelæ electricæ.

(2) *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 452.

musica sacra, d. d. 22 Novembris 1903 (1), præcipiatur, ut « cantus gregorianus in populi usus restituendus curetur, quo ad divinas Laudes mysteriaque celebranda magis agentium partem, antiquorum more, fideles conferant » quæritur: Licebitne permittere ut puellæ ac mulieres in scamnis sedentes, ipsis in ecclesia assignatis separatim a viris, partes invariabiles missæ cantent; vel saltem extra functiones stricte liturgicas, hymnos aut cantilenas vernaculas concinant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitis votis utriusque Commissionis tum Liturgicæ tum de musica et cantu sacro, omnibusque sedulo perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Pro tribus quæstionibus particularibus dentur et serventur decreta, juxta alias similes resolutiones (2).

Ad II. Affirmative ad utrumque, et ad mentem. Mens est: 1° ut intra christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis Laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis; et 2° ut ubi officiatura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum, præsertim in cathedralibus ecclesiis, non admittatur, nisi ex gravi causa ab Ordinario agnoscenda; et cauto semper ut quævis inordinatio vitetur.

Atque ita rescripsit, die 17 Januarii 1908.

L. S. S. Card. CRETONI, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Animadversiones *in secundam partem decreti.*

Attentis præscriptionibus *Motu proprio* de musica sacra (II, 3; V, 13, 14), decisionibus S. C. R. ante actis, et præsente decreto, ita paucis possumus complecti disciplinam Ecclesiæ circa cantum mulierum in Ecclesia.

1° Prohibetur ne mulieres confunctæ cum viris admittantur in chorum musicum *(maitrise)*, ita ut simul

(1) *Ibid.*, t. IX, p. 111.

(2) Quas resolutiones exhibent vel indigitant *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 224 et t. XI, p. 369. Ex quibus apparet respondendum esse: Ad primum, n. 1: negative; n. 2: modò non veniat loco luminis a rubricis præscripti, et non præ se ferat speciem quamdam theatralem, et Ordinarius non contradicat affirmative; n. 3: affirmative.

efforment choros mixtos, seorsim a fidelibus v. gr. in loco separato ubi organum est *(jubé)* canentes.

2° Si munus cantorum liturgice institutum est, sc. si in choro seu in sacratiori ecclesiæ loco expletur a levitis vel a laicis loco clericorum; feminas, hujus functionis liturgicæ expertes, in hoc musico choro ullo modo admitti vetitum est (1).

3° Permittitur ut puellæ et mulieres, extra chorum, intra christifideles (chant collectif du peuple chrétien) simul aut alternatim cum pueris et viris partes suas in cantando agant; imo ipsis absentibus aut imparatis solæ canant in ecclesia.

4° Ubi officiatura choralis, uti in cathedralibus ecclesiis, instituta est, solæ mulieres ad cantum non admittantur; nisi ex gravi causa ab Ordinario cognoscenda et extra chorum, servatis præterea omnibus præscriptionibus *Motu proprio* de musica sacra ut cantus ordinate procedat.

A. De Meester.

II

Ritus brevior ad Campanas in usum sacrum benedicendas.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
Psal. 50. Miserere mei, Deus....
Psal. 53. Deus, in nomine tuo....
Psal. 56. Miserere mei Deus, miserere mei....
Psal. 66. Deus misereatur nostri....
Psal. 69. Deus in adjutorium meum....
Psal. 85. Inclina Domine aurem tuam....
Psal. 129. De profundis clamavi....
℣. Kyrie eleison.
℟. Christe eleison.

---

(1) Cf. Animadversiones Cl^mi Mancini, quas uti præses Commissionis liturgicæ apud S. C. R., ex officio exaravit, apud *Ephemerides liturgicæ*, 1908, t. XXII, p. 140 s.

℣. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te neniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui per beatum Moysen, legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri præcepisti, quibus dum sacerdotes tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret præparatus; et ad celebrandum conveniret: præsta quæsumus; ut hoc vasculum, sanctæ tuæ Ecclesiæ præparatum, a Spiritu Sancto per nostræ humilitatis obsequium sancti✠ficetur, ut per illius tactum et sonitum fideles invitentur ad sanctam ecclesiam et ad præmium supernum. Et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei, procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, prosternat aëreas potestates dextera tuæ virtutis: ut hoc audientes tintinnabulum contremiscant et fugiant ante sanctæ crucis vexillum in eo depictum. Quod ipse Dominus noster præstare dignetur, qui absorpta morte per patibulum crucis regnat in gloria Dei Patris cum eodem Patre et Spiritu Sancto, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Nunc Officians ponit incensum in thuribulum et benedicit; et primum aqua benedicta aspergit circumeundo campanam, choro dicente:

Asperges me Domine hyssopo et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor.

Dein incensat circumeundo campanam, choro dicente:

Dirigatur Domine oratio mea: sicut incensum in conspectu tuo.

Officians prosequitur:

OREMUS

Omnipotens dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in navi, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato et imperante dissiluit: tu necessitatibus populi tui benignus succurre: tu hoc tintinnabulum Sancti Spiritus rore perfunde; ut ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus, invitetur ad fidem populus christianus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per illud populus tuus convocatus, ac sicut davidica cithara delectatus desuper descendat Spiritus Sanctus: atque ut Samuele agnum lactentem mactante in holocaustum regis æterni imperii, fragor aurarum turbam repulit adversantium; ita dum hujus vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiæ tuæ conventum manus conservet angelica, fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per te, Christe Jesu, qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. In honorem Sancti N.

℟. Amen.

Tum Officians producit super campanam benedictam signum crucis et discedit cum ministris.

ROMANA

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

An præter ritum *de benedictione simplici novæ campanæ, quæ tamen ad usum ecclesiæ non inserviat;* uti in *Appendice ad Rituale Romanum, et ritum de benedictione signi vel campanæ* (1) pro ecclesia vel sacello, uti in Pontificali Romano (de quo utroque ritu agitur in decreto n. 3770 *Sedunen.* (2) 4 Martii 1892), adhiberi possit alter brevior ritus ad campanas in usum sacrum benedicendas. Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis

(1) Utraque benedictio est reservata Episcopo, qui in diœcesi Brugensi delegatam decanis impertitur facultatem benedicendi nolas recenter fusas in usum diœcesis Brugensis. Cf. *Collat. Brugen.*, t. VI, p. 395.

(2) Dum hæc verba dicit sacerdos se signet signo crucis.

Liturgicæ sententia omnibusque accurate perpensis, ita rescribendum censuit: Affirmative cum ritu adprobato, prouti extat in superiori exemplari. Attamen hæc benedictio ab Episcopo, vel ab aliis facultatem habentibus facienda est; et quod attinet ad ecclesias *consecratas* in benedictione signi vel campanæ decentius servetur ritus Pontificalis Romani.

Quam resolutionem SS^mo^ Domino Nostro Pio Papæ X per infrascriptum Cardinalem Sacræ Rituum Congregationi Præfectum relatam, Sanctitas Sua in omnibus ratam habere atque approbare dignata est. Die 22 Januarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Præfectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

III

De usu corollæ ligneæ in altari, de cantu « Tantum ergo » et de SS. Eucharistiæ asservatione.

DUBIORUM

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt, nimirum:

I. Utrum adhiberi possint corollæ ligneæ (1), quæ super tobaleas altarium aras circumcingunt?

II. Utrum, non obstante consuetudine, in functione benedictionis cum SS^mo^ Eucharistiæ Sacramento liceat, dum exponitur, vel postquam expositum fuerit idem SS^mum^ Sacramentum, statim canere primam stropham *Tantum ergo* usque ad *Genitori,* inde Litanias Lauretanas cum relativa Oratione, ac tandem alteram stropham *Genitori* etc.?

III. Utrum liceat asservare SS. Eucharistiam in altari baldachinum habente, quamvis super illud habeatur habitaculum cum lectulo?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative, juxta Cæremoniale Episcoporum, lib. I, cap. XII, n. 11.

---

(1) Des cadres de bois.

Ad II. Negative, juxta Cæremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII, n. 27, et decretum n. 3513 *Delegationis Apostolicæ Peruvianæ,* 15 Aprilis 1880.

Ad III. Negative, ex decreto n. 3525 *Papien.* 23 Novembris 1880 ad II.

Atque ita rescripsit, die 24 Januarii 1908.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

IV

Per octavam principalis patroni loci, alio titulo celebrandam debent Regulares dicere Symbolum.

Ex Decreto Ordinis Fratrum Minorum provinciæ Germanicæ Inferioris, diei 24 januarii 1908:

An infra Octavam Patroni principalis, quæ apud Regulares jam alio titulo seu causa celebratur, debeat in Missa Symbolum adjungi, sicut additur in ipso die festo; ita nempe ut apud eosdem Regulares debeat per totam Octavam Nativitatis Dominici Præcursoris in Missa Symbolum recitari, si ipse Sanctus sit præcipuus loci Patronus, vel etiam si de ipso Reliquia insignis asservetur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, reque sedulo perpensa, propositæ quæstioni respondendum censuit: *Affirmative.*

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Bulletin Ascétique.

I. Ouvrages généraux.

1. **Aug. Poulain**, S. J. *Des grâces d'oraison. Traité de théologie mystique.* Cinquième édition, Paris, Retaux, 1906. Gr. in-8, XVI-602 pp. Prix: 7,50 fr.

2. **E. J. Jansen**, Ord. Præd. *De ware Weg ter christelijke Volmaaktheid volgens de leer van den H. Franciscus de Sales.* Nymegen, Malmberg, [1905]. Twee deelen in-12, XXIV-512 en 542 bl.

3. **A. Saudreau.** *La voie qui mène à Dieu.* Conseils pratiques pour tous ceux qui aspirent à une solide piété, 1904. In-12, 575 pp. 3 fr. — **Id.** *Les degrés de la vie spirituelle.* Méthode pour diriger les âmes suivant leurs progrès dans la vertu. 3e éd. (1905) 2 vol. In-12, 584 et 508 pp. 7 fr. — **Id.** *La vie d'union à Dieu et les moyens d'y arriver*, 1900. In-12, 613 pp. 3,50 fr. — **Id.** *L'état mystique. Sa nature, ses phases*, 1903. In-12, 260 pp. 2 fr. — Angers, Germain et Grassin; Paris, Vic et Amat.

La *théologie ascétique* est la théologie morale supérieure, scientia *perfectionis;* pour la distinguer de la *théologie mystique,* on ajoute les mots: *per vias ordinarias* assequendæ. La mystique étudie les voies extraordinaires de la perfection. Le point de contract qu'a l'ascétique avec la mystique, c'est qu'elle traite aussi de l'oraison; mais, par convention, elle se contente d'étudier l'oraison *ordinaire,* c'est-à-dire celle qui, comme les vertus, dépend du travail de l'homme, soutenu par la grâce divine offerte à tous. La mystique, au contraire, étudie l'oraison *extraordinaire,* c'est-à-dire celle que nos efforts ne peuvent réussir à produire, et cela même faiblement, même un instant, sans une grâce toute spéciale de Dieu.

C'est à étudier ces *grâces d'oraison* extraordinaire que le R. P. **Poulain** consacre un volume de 600 pages. Comme le sous-titre l'indique, c'est un *traité de théologie mystique,* au sens restreint du mot. Il n'entre pas dans nos intentions d'analyser et d'examiner ce savant ouvrage: nous n'avons ni les loisirs, ni surtout la compétence. Force nous est de nous contenter de donner une idée générale, assez sommaire.

Les auteurs, qui traitent de la mystique, restent souvent dans le vague, leur exposé est presque toujours obscur. Le P. Poulain a voulu éviter ce défaut : il a tâché de donner des *descriptions* très claires, très précises, avec des *règles de conduite* bien nettes. Son but est donc avant tout pratique, et pour le réaliser, il a adopté le *genre descriptif*. Sans vouloir mépriser le genre *spéculatif*, qui travaille à systématiser théologiquement les faits mystiques, en les rattachant, comme l'ont fait d'éminents théologiens, à l'étude de la grâce, des facultés de l'homme, des dons du Saint-Esprit, etc., il a trouvé qu'il serait plus utile de décrire les actes ou états mystiques d'après « les saints ou grands contemplatifs, qui ont observé en eux-mêmes les grâces extraordinaires ». Ces saints sont surtout S. Thérèse, S. Jean de la Croix, S. François de Sales (1). Le P. Poulain n'a pas seulement lu quantité de traités, il a encore interrogé longuement bon nombre de personnes recevant des grâces d'oraison, et d'autres qui étaient dans l'illusion. On comprend que ces dernières aussi sont utiles à connaître. Il se trouvait donc bien documenté ; son travail est consciencieux, ses descriptions et définitions sont claires et précises.

C'est une idée assez repandue que les livres de mystique peuvent monter la tête de certaines personnes et leur suggérer l'idée qu'elles sont favorisées de grâces mystiques, p. e. de révélations. Nous sommes heureux de reconnaître que l'ouvrage du P. Poulain, loin de présenter ce danger, est plutôt un remède énergique à ces divagations, parce qu'il appuie sur les illusions que renferment ces voies et surtout parce qu'il revient souvent sur cette vérité que la grande préoccupation de l'âme doit être l'abnégation et l'amour de la croix. Ce qui est dangereux, ce n'est pas de parler des révélations, mais de le faire de manière à donner le désir d'en avoir ; ici c'est la tendance contraire qui est favorisée. La conclusion très nette de son étude sur *les révélations et visions* est celle-ci : « Défiez-vous des révélations ». Cette partie est vraiment remarquable ; tout au plus, pourrait-on regretter que l'auteur se soit montré si peu défiant à l'endroit des faits, sur lesquels d'ailleurs il raisonne fort justement.

---

(1) On lira avec profit dans le *Traité de l'amour de Dieu*, les chap. VI-VII.

Le livre du P. Poulain est sans doute un guide excellent dans l'étude de la mystique; de plus, bien que l'auteur se défende de donner des conseils ascétiques, il est naturellement amené à en donner : ainsi, en voulant établir la distinction entre l'oraison ordinaire et l'oraison mystique, il expose les deux degrés supérieurs d'oraison ordinaire, l'oraison affective et l'oraison de simplicité (p. 7 ss.); ainsi encore, la description des épreuves (p. 395 ss.) est très utile pour la direction des âmes, qui suivent la voie ordinaire. La sixième partie (désir de l'union mystique, qualités que doit avoir un directeur, quiétisme, rareté ou fréquence des états mystiques, terminologie, etc.) présente aussi un intérêt général.

Enfin, la liste d'auteurs mystiques nous a paru très intéressante et instructive, surtout à cause des courtes appréciations ajoutées par l'auteur.

Avec l'ouvrage du P. **Jansen** nous entrons dans le domaine de l'ascétisme proprement dit. Il y a lieu de féliciter l'auteur d'avoir entrepris de composer pour les lecteurs de langue néerlandaise une somme de la vie spirituelle, d'après les enseignements de S. François de Sales. Il serait difficile de trouver un guide plus sûr : « iter ad christianam perfectionem tutum ac planum demonstrat » (Brev. Rom.).

Le saint Docteur est vraiment le *Docteur de la perfection* : dans ses écrits il trace les règles précises et pratiques de la conduite des âmes, soit pour diriger leur marche dans les sentiers unis de la dévotion *(Introduction à la vie dévote)*, soit pour guider leur vol vers les plus hautes cimes de la perfection évangélique *(Traité de l'amour de Dieu)*. Ses *Lettres* appliquent les mêmes principes à tous les cas particuliers qui peuvent se présenter dans la vie spirituelle (1). Ses *Entretiens spirituels* l'amenèrent à expliquer, sous une forme familière, la vie religieuse dans ses différents aspects.

La traduction des textes est, en général, heureuse, et c'est le mérite principal du travail du P. Jansen. Il s'est peut-être attaché trop exclusivement à ce travail de traduction, et partant il a quelque peu sacrifié le fond à la forme. Il est clair qu'il ne s'est pas suffisamment assimilé la doctrine

---

(1) Dom Mackey, O. S. B. *Œuvres de Saint François de Sales* (Edit. d'Annecy), t. I (1892), *Introd. générale*, p. LVIII.

spirituelle de S. François de Sales. Il a composé une anthologie, une espèce de mosaïque, bien plus qu'un traité de spiritualité : c'est une longue suite d'extraits, peut-être bien choisis, mais assez mal agencés, et disposés d'après un plan peu logique, où d'ailleurs on ne trouve rien de bien saillant, où tout se succède sans aucun relief. Bref, le lecteur ne parvient pas à saisir l'esprit de S. François de Sales.

Ajoutons qu'il est impossible d'identifier aucun passage, car l'auteur écarte systématiquement les renvois ou références. Tout au plus, un habitué des œuvres du saint Docteur pourra-t-il reconnaître certains extraits de l'*Introduction à la vie dévote* ou du *Traité de l'amour de Dieu*. Enfin, l'auteur ignore, semble-t-il, l'existence d'une édition complète des œuvres de S. François de Sales, publiée par les soins des Religieuses de la Visitation d'Annecy. Cette édition, qui comprend déjà 14 volumes (1892-1906), est une édition *critique*, faite d'après les autographes et les éditions originales, et chaque écrit est l'objet d'une étude approfondie, où l'on apprend notamment à connaître le caractère et *l'esprit* de la doctrine spirituelle, enseignée par S. François de Sales.

Les ouvrages de M. l'abbé **Saudreau**, aumônier du Bon-Pasteur d'Angers, sont fort estimés en France ; ils sont moins connus chez nous. Ils se rattachent à la théologie ascétique et mystique

La voie qui mène à Dieu à un caractère essentiellement pratique ; c'est ce qui explique peut-être le défaut d'enchaînement dans les différentes parties. Le livre contient une série d'instructions, la plupart solides et pratiques ; mais ce n'est pas un traité méthodique sur la perfection.

Les degrés de la vie spirituelle. Le sous-titre indique la nature de ce second ouvrage : *Méthode pour diriger les âmes suivant leurs progrès dans la vertu*. L'auteur, tout en admettant comme base la distinction classique des trois voies, la voie purgative ou des commençants, la voie illuminative ou des progressants et la voie unitive ou des parfaits, a tâché de classifier plus en détail les états d'âme par où passent ceux qui travaillent à leur perfection. Il a pris comme guide Sainte Thérèse. Il distingue sept degrés : les âmes croyantes, les bonnes âmes, les âmes pieuses, les âmes ferventes, les âmes parfaites, les âmes héroïques, les grands Saints. Il est clair

qu'il n'est guère possible de bien caractériser chaque degré : p. e. les bonnes âmes pourraient bien, semble-t-il, être des âmes pieuses, et les âmes parfaites des âmes héroïques. Cette classification à outrance peut donner le change à plus d'un lecteur. Les conseils toutefois sont utiles et pratiques ; mais tel point traité à propos de tel degré pourrait fort bien trouver sa place dans un autre degré : p. e. le vœu du plus parfait est rattaché au degré des âmes parfaites, il pourrait aussi bien servir à caractériser l'héroïsme, qui constitue le degré suivant.

Avec la seconde partie de ce livre et les deux autres ouvrages, nous entrons dans le domaine de la Mystique. *La vie d'union avec Dieu* est plutôt un travail historique : l'auteur expose la vie d'union avec Dieu et les moyens d'y arriver *d'après les grands Maîtres de la spiritualité*, depuis Clément d'Alexandrie jusqu'à nos jours. On peut se demander si l'auteur était suffisamment documenté, et surtout s'il était suffisamment armé au point de vue critique. A en juger par la bibliographie, qui est presque nulle, la réponse à cette question n'est guère douteuse. On trouvera cependant dans ces pages beaucoup de renseignements utiles.

L'état mystique traite la question fondamentale : quelle est la nature de l'état mystique ? L'auteur se sépare, en plus d'un point, des idées défendues par le P. Poulain. Il préconise notamment la théorie de la conception large, en ce sens qu'il place plus tôt que ne le fait le P. Poulain la frontière qui sépare la voie commune et la voie mystique. Celle-ci se trouve ainsi ouverte à un plus grand nombre d'âmes. Faut-il étendre le nom de mystique même à l'oraison de simplicité ? En tout cas, il semble difficile d'admettre avec M. Saudreau que la voie unitive est toujours une voie mystique, à moins de donner au mot mystique un sens qui ne permet plus de distinguer la théologie mystique de la théologie ascétique.

II. Ouvrages spéciaux sur divers sujets.

1. **J. M. L. Monsabré**, Ord. Præd. *La prière. Philosophie et théologie de la prière.* 2e éd. Paris, Lethielleux, s. d. [1906]. In-12, XI-434 pp. Prix : 3,50 fr. En vente chez Beyaert, Bruges.

2. **R. De Maumigny**, S. J. *Pratique de l'oraison mentale.*

Premier traité : *Oraison ordinaire*. 4e éd. (1907). In-16, III-367 pp. Prix : 2,50 fr. — Deuxième traité : *Oraison extraordinaire*. 3e éd. (1906). In-16, VI-333 pp. Prix : 2,50 fr. Paris, Beauchesne et Cie.

3. **P. D. Mézard**, Ord. Præd. *Medulla S. Thomæ Aquinatis per omnes anni liturgici dies distributa seu Meditationes ex operibus S. Thomæ depromptæ*. Paris, Lethielleux, s. d. [1906]. Deux vol. in-18, VIII-502 et 392 pp. 3 fr. les 2 vol. En vente chez Beyaert, Bruges.

4. **Jos. De Harbe**, S. J. *Examen ad usum cleri in gratiam præcipue sacerdotum sacra exercitia obeuntium*. Ed. 7a, curante Aug. Lehmkuhl, S. J. Ratisbonæ, Pustet, 1906, In-8, VIII-311 pp. Prix : 2,50 fr. En vente chez Beyaert, Bruges.

5. **Ad. Petit**, S. J. *Templum spirituale sacerdotis*. T. II, Bruges, Soc. St Augustin, 1907. In-16, 492 pp. Prix : 1,50 fr.

Le livre du **P. Monsabré** est un traité *sur la Prière*, quoique rien n'y soit d'apparence didactique. Il a voulu, pour les âmes qui ne veulent pas ou ne savent pas prier, rappeler le grand devoir de la prière : la nécessité et la dignité de cet acte religieux, ses formes diverses, ses qualités, son objet, son efficacité et la raison d'être de sa puissance. C'est vraiment, comme le sous-titre l'indique, *la philosophie et la théologie de la prière*.

Ce livre sera utile à tous : les prêtres par exemple trouveront des pages admirables sur le ministère de la prière, *Sacerdos persona publica et totius Ecclesiæ os ;* ils trouveront aussi la matière d'instructions multiples sur la prière.

Le P. Monsabré excelle dans l'art d'exposer, avec clarté et précision, les vérités dogmatiques et morales. C'est le grand merite de ses œuvres oratoires. Son traité sur la Prière n'a pas été prêché tel qu'il nous est offert, il a été écrit ; mais on peut dire que sa plume parle quand elle écrit.

Le R. P. **De Maumigny** a publié des éditions nouvelles de ses deux volumes sur la *Pratique de l'oraison mentale*. Nous sommes heureux de pouvoir les recommander.

Le premier traité expose la pratique de l'*oraison ordinaire*. Il est divisé en cinq parties : *excellence* de l'oraison en général ; *principaux actes* de l'oraison mentale, surtout la demande et la charité ; *oraison affective*, dans laquelle les actes de la

volonté sont notablement plus nombreux que ceux de l'entendement; *difficultés* de l'oraison (distractions, aridité, ennui etc.); enfin, méthodes d'oraison des *Exercices spirituels* de Saint Ignace.

Le second traité: *Oraison extraordinaire*, n'est pas un traité théorique, mais pratique. C'est comme une introduction à la théologie mystique, destinée à éclairer les directeurs dans la conduite des âmes appelées à la contemplation infuse. A signaler surtout la partie qui parle des épreuves auxquelles ces âmes sont soumises tôt ou tard; celle aussi qui a pour objet les vertus nécessaires aux contemplatifs: il est nécessaire de faire ressortir l'importance souveraine des vertus solides, d'autant plus que dans les voies mystiques les illusions sont plus fréquentes et plus dangereuses.

C'est une vérité d'expérience, on peut dire un axiome reçu en ascétisme, que la perfection est impossible sans l'oraison. Ce qu'on semble oublier un peu, c'est qu'il faut apprendre à prier, à méditer. Aux débutants on conseille d'ordinaire la lecture méditée et l'emploi d'un manuel. Pour les prêtres, leur manuel de méditation devra être théologique, et dans ce genre pourrait-on trouver un meilleur guide que Saint Thomas d'Aquin?

On ne peut que féliciter le P. **Mézard** d'avoir entrepris d'offrir sous forme de manuel de méditations la moëlle de la doctrine du Docteur Angélique. Il nous donne le texte même du Saint Docteur, avec l'indication de l'ouvrage d'où la matière est tirée. Il y a une méditation pour tous les jours de l'année liturgique. Voici l'ordre suivi: *tome premier*, de l'Avent à la fête du Sacré-Cœur. Méditations sur l'Incarnation, la naissance, l'enfance et la vie publique; sur la passion, la vie glorieuse, la descente du S. Esprit, l'Eucharistie. Le *second volume* traite les matières suivantes: Dieu et ses attributs; la vie purgative, la vie illuminative et la vie unitive; les fins dernières pour le mois de Novembre.

Le nom de Saint Thomas suffit à lui seul à recommander cet ouvrage, qui est une synthèse dogmatique, ascétique et mystique de ses œuvres. Ce manuel de méditations, il faut bien le dire, paraît un peu aride, car l'auteur a de propos délibéré renoncé à nous offrir des méditations toutes faites; il fournit les idées, et il laisse à ceux qui se servent du

manuel le soin de faire oraison. Nous est avis que son travail aurait reçu un meilleur accueil, s'il avait au moins indiqué ce qui constitue l'oraison proprement dite, à savoir la partie affective. Les esprits sérieux cependant, ceux qui veulent « réfléchir pour mieux agir », ne se laisseront pas décourager par les difficultés du début. C'est surtout de Saint Thomas qu'on peut dire : plus on le lit, et plus on veut le lire.

Voici encore deux ouvrages à l'usage du clergé. Le premier, du P. **De Harbe,** est un examen à faire pendant la retraite : *Qualis fuisti ratione Dei, ratione tui ipsius, ratione proximi? Qualis fuisti pastor?* L'auteur ne se contente pas de poser une série de questions, il appuie chaque question sur des textes tirés de l'Écriture, des Pères ou des conciles. C'est dire que ce petit livre sera utilement employé comme texte de méditation, même en dehors de la retraite. — La seconde partie (p. 179-308) est un directoire pour la retraite même.

Le *Sacerdos* du R. P. **Petit** est bien connu de nos prêtres ; son *Templum spirituale* se recommande par les mêmes qualités. Après avoir considéré dans le 1r volume, paru en 1902, la structure extérieure du temple, il décrit dans le 2d volume l'intérieur du temple : le sanctuaire, la chaire de vérité, le confessionnal, le baptistère. Cette division empruntée au cérémonial prescrit pour l'installation du curé permet de méditer les devoirs essentiels du prêtre, occupé dans le ministère des âmes.

III. La dévotion au Sacré-Cœur de Jésus.

1. **Auguste Hamon.** *Vie de la bienheureuse Marguerite-Marie d'après les manuscrits et les documents originaux.* Paris, Beauchesne et Cie, 1907. In-8, xxxix-537 pp., illustrations. Prix : 7,50 fr.

2. **J.-V. Bainvel.** *La dévotion au Sacré-Cœur de Jésus. Doctrine-Histoire.* Paris, Beauchesne et Cie, 1906. In-16, viii-373 pp. Prix : 3,50 fr.

3. **Joseph Boubée.** *Les promesses du Sacré-Cœur. Réflexions et prières.* Tournai-Paris, H. et L Casterman, 1907. In-16, xii-196 pp. Prix :

L'heure semble venue d'écrire l'histoire de la dévotion au Sacré-Cœur de Jésus : cette dévotion est établie partout, elle

apparaît, au début du vingtième siècle, comme la grande dévotion des temps modernes. M. l'Abbé **Hamon** a entrepris d'écrire cette histoire; il vient de publier la *Vie de la bienheureuse Marguerite-Marie,* quitte à exposer plus tard les manifestations antérieures à 1675, lesquelles d'ailleurs n'ont eu presque aucune influence sur notre culte actuel.

M. Hamon s'est proposé de mieux faire que les premiers historiens de la bienheureuse (p. XI). Il avait lui-même, dans un article paru dans les *Études* (1), montré les qualités et les défauts de ces historiens, Mgr Languet, au XVIIIe siècle, Mgr Bougaud et le Père Daniel, au XIXe siècle, pour ne citer que les plus connus. Un défaut, commun à tous, c'est d'avoir trop négligé l'ordre chronologique; de plus, et ce défaut est impardonnable, ils ne citent presque jamais exactement les textes qu'ils avaient sous les yeux.

M. Hamon, nous nous hâtons de le dire, a mieux fait, beaucoup mieux que ses devanciers. Tout d'abord, il a rétabli l'ordre chronologique et mis en relief le milieu dans lequel s'est écoulée la vie de la Bienheureuse. De son travail patient et minutieux est sortie une Marguerite-Marie assez différente de celle que ses premiers historiens nous avaient représentée. C'est, croyons-nous, le grand mérite de cette biographie. Il en est un autre, celui-ci plus facile peut-être: le soin scrupuleux à citer et à rétablir les textes dans leur exactitude primitive. L'auteur a pensé que, pour édifier, il lui suffisait d'être historien fidèle.

Voici en résumé le plan du volume. On peut dire qu'à partir de 1670, tout au moins, c'est la dévotion au Sacré-Cœur qui est l'âme de la vie de la Bienheureuse: sa mission n'est sans doute pas toute sa vie, mais toute sa vie est pour sa mission. Les années de Lautecour, le noviciat sont une *préparation;* viennent ensuite les *grandes révélations*, c'est le cœur du récit. Des grâces reçues, de la mission acceptée par la sœur Marguerite-Marie, la Mère de Saumaise, de 1675 à 1678, la Mère Greyfié, de 1678 à 1684, font l'*épreuve*. Quand des miracles répétés ont confirmé le choix divin, l'*apostolat* commence et il se continue jusqu'aux *derniers jours*. L'unité est manifeste, et elle est créée par les faits.

---

(1) *Les vies de la bienheureuse Marguerite-Marie Alacoque. Études*, 20 juin 1902.

Cette *Vie* se présente-t-elle comme un travail définitif? Nous n'oserions le dire, surtout quand nous entendons l'auteur lui-même nous avertir qu' « il n'est pas de livre historique définitif » (p. VII). On a regretté que M. Hamon n'ait pas donné un portrait plus vivant de la bienheureuse (1). On peut admettre que cela tient peut-être un peu au modèle lui même, on a néanmoins l'impression d'une certaine faiblesse dans l'analyse psychologique.

Au demeurant, le livre nous a paru excellent. Sans doute, pour certains points de détail et notamment pour certaines appréciations ou explications qui relèvent de la psychologie et de la théologie ascétique ou mystique, il pourra provoquer la contradiction. Mais quiconque voudra connaître la vraie dévotion au Sacré-Cœur, devra l'étudier dans ce livre : il n'y trouvera pas seulement cette dévotion racontée et décrite, il y verra cette dévotion vécue par une âme, formée, pétrie, pour ainsi parler, par le divin Maître lui-même.

A ceux qui voudraient se faire une idée exacte du développement historique de la dévotion au Sacré-Cœur, nous recommandons l'ouvrage de M. l'abbé **Bainvel.** Dans la troisième partie, il nous dit ce qu'a été cette dévotion avant la B. Marguerite-Marie, ce qu'a fait la Bienheureuse, et comment s'est développé le culte depuis sa mort jusqu'à nos jours. Ce sujet est traité de seconde main, mais fort bien.

Les deux autres parties sont surtout théologiques : l'auteur étudie la nature de la dévotion d'après les écrits de la B. Marguerite-Marie, la pratique de la dévotion et les promesses, telles que la Bienheureuse nous les présente ; il discute dans la deuxième partie l'objet propre, les fondements et l'acte propre de la dévotion. A signaler l'excellente bibliographie.

Le petit livre du P. **Boubée** a surtout pour but d'aider à sanctifier le premier vendredi de chaque mois. Chacune de ces méditations ou lectures pieuses explique, sous forme de réflexions et de prières, une des douze *promesses du Sacré-Cœur,* et est suivie d'une courte *préparation à la mort,* en vue de la retraite mensuelle. Le P. Boubée est un poète et il le fait voir : plus d'un lecteur, sans doute, lui en saura gré.

H. Mahieu.

---

(1) *Analecta Bollandiana,* t. XXVII, p. 123.

Notæ Bibliographicæ

A. Vermeersch e S. J. *De Forma Sponsalium ac Matrimonii* post Decretum « Ne Temere », Brugis, Beyaert, 1908. In-8, 64 p.

A. Boudinhon. *Le mariage et les Fiançailles.* — Nouvelle législation canonique. Paris, Lethielleux, 1908. In-8, 106 p. (1).

R. D. Besson, N. R. th., 1908, p. 170, ad calcem sui in Decretum *Ne Temere* commentarii, ad felicem exitum deducti, tres libellos commendat, eamdem novam disciplinam illustrantes, « dûs, tous les trois, à des maitres bien connus et autorisés », Card. scilicet Gennari, Boudinhon, et R. P. Vermeersch (2). Hosce libellos libenter commendamus, illos notatim qui in capite inscribuntur, utpote qui reliquis præstant tum apta materiæ distributione ac dicendi methodo, tum amplitudine doctrinæ. In hoc etiam commendenda opella R. P. Vermeersch quod a provido Auctore ejus editio fuerit dilata donec, uti ipse præfatur, « plures viros qui in Urbe vel extra Urbem doctrina et loco sunt conspicui, opportune consultum adire » potuerit, atque aliorum interpretum sententiis et argumentis in diversum sensum adductis sapienter uti valuerit.

Sponsalia non ritè scripta censet A. V. prorsus invalida ac omni penitus effectu, etiam coram jure naturali, destituta, licet tenorem legis quoad hoc, subobscurum fatetur, n. 23. Contrà A. B., n. 36, hujusmodi sponsalibus solos denegat effectus canonicos, coram foro ecclesiastico. Uterque Auctor, n. 57 ss., respective et n. 69, inhæsitanter uti parochum proprium denuntiant parochum menstruæ commorationis, utpote ad quasi-demicilium acquirendum sufficiens; juxta A. V., n. 86, non autem juxta A. B., n. 92, sublata est pœna suspensionis a Tridentino, sess. XXIV, cap. 1 statuta contra parochi proprii jura violantes in celebratione nuptiarum. A. V., n. 90 controversiam circa ambitum derogationis ad art. 11, par. 2ª, solvit in sensum strictæ interpretationis, eam restringendo ad sola loca vi dispensationis exempta (3); A. B. vero dictam clausulam derogatoriam extendebat etiam ad loca vi declarationis Benedictinæ exempta.

---

(1) Præsens opusculum quintam jam attigit editionem.

(2) Inter illos qui, ultra laudatos AA. ac ipsum Besson, in relatum Decretum scripserunt, quorum plures in nostro Commentario citavimus, memorari possent Leitner, *Die Verlobungs-und Eheschliessungsform*, Regensburg, 1908; Haring, *Das neue Ehedekret* Ne Temere, Graz, 1907; Knoch, *Rev. eccl. de Liége*, t. III, p. 222 ss. et 277 ss.; Hizette, *Collationes Namurcenses*, t. VII; Van Messem, *Vie Diocésaine*, 1908, p. 57 ss.; Scharpman, *Ned. Kath. Stemmen*, 1907, p. 325 ss.; Schmidt, *Pastor Bonus*, 1907, p. 60 ss.; Pelt, *Rev. eccl. de Metz*, 1908, p. 18 ss.; Mc Nicholas, *Ecclesiast. Review*, 1908, p. 133 ss.; Knecht, *Die neue eherechtliche Dekrete*, Cöln, 1907; Rousseau, *Rev. des sciences ecclés. et Science Catholique*, 1908, p. 151 ss.; Pillet, *Les Questions ecclés.*, 1908.

(3) Nuperrime, die 1ª Febr. currentis anni, strictius adhuc illam clausulam interpretata est S. Sedes, adeo ut soli Imperio Germanico applicetur, attentis tamen dictis apud *Collat. Brug.*, suprà, p. 190 s.

Pro coronide proponit egregius A. V. quædam vota in favorem quarumdam moderationum vel declarationum quas opportune concedendas exoptat. Nominatim vellet ut a S. Sede efficaciter occurratur difficultati quæ, in Belgio et aliis regionibus facilè oritur ex dispositione Codicis Pœnalis, art. 267, mulctam et carcerem minitantis in sacerdotem qui, ante matrimonium civiliter initum, nuptiis benedicere præsumpserit (1); agnoscit etiam opportunitatem dispositionis, quam indicavimus, suprà, p. 104, quatenus amplientur facultates, anni 1888, dispensandi cum moribundis concubinariis, adeo ut omnibus deinceps suffragentur sacerdotibus qui, ad tramites novi juris, assistere valent matrimoniis in extremis.

A. De Smet.

E. Vacandard. *L'Inquisition, Étude historique et critique sur le pouvoir coercitif de l'Église.* Paris, Bloud et Cie, 1907, grand in-16, XIX-340 p. Pr. 3,50 fr.

Une première partie donne une esquisse, lestement tracée, des opinions catholiques touchant le pouvoir coercitif et de leurs manifestations pratiques depuis St Paul jusqu'à la Renaissance. La théorie des écrivains catholiques, d'après M. V., s'est singulièrement développée : elle est partie du principe de la tolérance absolue pour aboutir à la peine de mort par le feu. Aussi les théologiens Moyen Age n'ont ils trouvé pour justifier la peine de mort infligée pour délit d'hérésie, que des arguments de convenance, arguments qui prouvant trop, ne prouvent rien. Ces arguments en effet, toujours d'après M. V., amènent logiquement la conclusion que tout péché mortel mérite la mort temporelle. Nous croyons que la plupart des théologiens n'ont pas raisonné, comme l'auteur, en dehors de toute considération sociale : le délit d'hérésie n'est pas seulement une injure faite à Dieu, il est en plus subversif de la société chrétienne. Cette considération aurait dû également guider l'auteur dans la 2me partie de son étude, où il fait la critique des faits et des doctrines. Il nous y expose d'abord très bien comment le mécanisme et la rigueur de l'Inquisition s'expliquent par les idées et les mœurs du temps. Mais l'Inquisition, bien qu'elle s'explique, se justifie-t-elle ? A cette question M. V. répond, qu'elle n'est pas conforme « à l'idéal de justice que nous avons maintenant ».

---

(1) Sat intricata videtur formula quam A suggerit, nec proficeret ejus solutio pro casu quo periculum est in mora, siquidem exigit recursum ad Ordinarium. Nonne ad difficultatis solutionem sufficeret quod alteri ab Auctore proposito voto fiat satis, quodque adeo facultates anni 1888 extendantur ad quoslibet sacerdotes, pro casu quo eos ad assistendum moribundi matrimonio vocari contingat? Eo ipso valerent dispensare in impedimento clandestinitatis, adeoque possent ad matrimonium procedere absque testibus, atque hac ratione, remotis testibus, vitare sanctionem legis civilis, quemadmodùm iterata vice id inculcavimus apud *Collat Brug.*, t. V, p. 424 et VII, p. 137.

Cæterùm, pro nostro Belgio, jam non esset locus prædictæ difficultati, si in legem assumeretur propositio nuperrimè facta a D. Woeste, in qua nempe propositione statuitur : « Cette disposition (de l'art. 267) ne sera pas applicable lorsque la personne réquérant le mariage était en danger de mort, et que tout retard apporté à la bénédiction nuptiale eût pu avoir pour effet de rendre le mariage religieux impossible ».

Cette réponse nous a paru un peu vague; malgré les explications données nous nous demandons si l'auteur distingue deux justices, ou s'il admet que l'Eglise s'est trompée..... Bien que nous devons rendre hommage à la sincérité et aux bons sentiments, qui ont guidé l'auteur dans son *essai* de solution, nous croyons cependant qu'il aurait pu mieux dégager le principe des abus et des erreurs, qui se sont glissés dans son application. Son livre néanmoins contient de bonnes vues d'ensemble et des aperçus nouveaux dont l'apologétique pourra se servir.

L. Cristiani. *Luther et le Luthérianisme.* Paris, Bloud et Cie, 1908, grand in-16, 387 p. Pr. 3,50 fr.

Ce livre bien mené, facile à lire et peu coûteux, expose combien le Luther de la légende diffère du Luther de l'histoire. Après une étude préliminaire sur les signes précurseurs de la Réforme, l'auteur étudie en dissertations distinctes les dix questions suivantes, dont le titre seul marque l'intérêt: Genèse de la doctrine de Luther, — Variations de Luther sur l'utilité des bonnes œuvres, — La grossièreté de langage de Luther, — L'état d'âme de Luther après 1517, — Luther et le démon, — Le mariage et la virginité, — L'Église et l'État dans l'enseignement de Luther, — Luther et le Miracle, — L'expérience religieuse dans le Luthéranisme. M. Cristiani a repris et clairement exposé les principales conclusions du célèbre ouvrage du R. P. Denifle, O. P., *Luther und Luthertum*, qui a mis en émoi l'Allemagne protestante, toute désillusionnée de voir le peu qui restait du « grand allemand » et de son message au peuple chrétien.

R. De Schepper.

Ouvrages envoyés à la Rédaction des Collationes (1).

P. Lintelo, *La communion fréquente et quotidienne.* Appel aux hommes. Tournai, Casterman.

Idem. *De heilige Communie der mannen.* Mechelen, Ryckmans.

Duo opuscula valde utilia, sicut et sequens, ad propagandum usum frequentioris communionis apud viros. Pretium: 0,15; pro 25: 3 fr.; pro 100: 10 fr.

De Temmerman, S. J. *Op, mannen op! Meer te communie! God wil het!* Lier, Taymans.

Schaepman, *Het Aangaan van het Huwelijk en de Trouwbeloften.* Utrecht, 1908.

Ferreres, *La mort réelle et la mort apparente,* Traduction française avec notes et appendices, par le Dr *Geniesse.* Paris, Beauchesne, 1906.

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii

—

I

Explica quid sit parabola in S. Scriptura, in specie in Novo Testamento, et ostende quomodo differat a fabula (e. g. *Jud.* IX, 9-15), a proverbio (v. g. in libro *Prov.*) et ab allegoria (v. g. *Jo.* XV, 1 ss.).

II

Demonstra Christi Ecclesiam esse societatem realiter distinctam a Synagoga.

III

Solve sequentem objectionem: Ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur saltem illam opinionem amplecti, quæ propius ad veritatem accedit; ergo probabilior opinio est sequenda.

IV

Solve sequentem difficultatem: Sicut non repugnat virtutes Fidei et Spei solas servari in peccatore, ita nec repugnat eas solas infundi. Ad talem autem infusionem, actus Fidei vel Spei videtur esse dispositio sufficiens, sicut actus Caritatis est ultima dispositio ad infusionem gratiæ et Caritatis. (Quod est argumentum præcipuum in favorem sententiæ 1ª circa infusionem Fidei et Spei extra justificationem, expositæ supra, p. 326 ss.).

V

Solve sequentem difficultatem: Sicut non repugnat virtutes Fidei et Spei solas servari in peccatore, ita nec repugnat eas solas infundi. Ad talem autem infusionem, actus Fidei vel Spei videtur esse dispositio sufficiens, in eo qui cum obice ad gratiam, accedit ad Sacramentum. Sacramenta enim conferunt effectus in quantum obex non opponitur; in casu autem exposito, ponitur obex habitui Caritatis, sed non habitibus fidei et Spei. (Quod est argumentum præcipuum in favorem sententiæ 2ª circa infusionem Fidei et Spei extra justificationem, expositæ supra, p. 326 ss. cfr. SCHIFFINI, *o. ibid. c.*, p. 37).

VI

Quomodo et quandonam debet celebrans osculari altare in missa? Expone rationem præcepti et osculi significationem in diversis adjunctis.

Vient de paraître chez BEYAERT, Editeur à Bruges:

Le Pain de Vie. *Vie surnaturelle-Communion quotidienne*, par JÉR. MAHIEU, S. T. L., Directeur du grand Séminaire. Un vol. de 300 p. Prix: 1,50 fr. Cartonné: 1,80 fr. Par 12 exempl., remise de 20 %.

A. De Smet, S. T. L. *Commentarius in decretum 2 Aug. 1907 de Sponsalibus et Matrimonio.* (Ex periodico COLLATIONES BRUGENSES, t. XIII) Brugis, Ad. Maertens-Matthys, 1908, 48 p. Prix: 0,50 fr.

PROOSTENBOND. Cœtus celebrabitur Rollarii feria V proxima, 9ª hujus, hora 2ª.

Canisiusblad. — **Dat is een maandblad over godsdienstig onderwijs en christelijke opvoeding, uitgegeven onder het toezicht en met de goedkeuring van Zijne Doorl. Hoogweerdigheid den Bisschop van Brugge.** — Men schrijft in bij JULIUS DE MEESTER, drukker te Rousselare (West-Vlaanderen). PRIJS: 2 fr. 's jaars. — Met St. GREGORIUSBLAD erbij: 2 fr. 50.

Inhoud van Februari: Eenige raadgevingen en oefeningen over de dagelijksche Communie ten dienste der jeugd. (Vervolg op bl. 11.) — Lessen van Gewijde Geschiedenis. — Vragen en Wenken.

Inhoud van Maart: Godsdienstonderwijs. (Vervolg op 6de jaarg. Bl. 187.) — Over Palestina. (Vervolg op bl. 6). — Een voorstel en een voorbeeld. — Over het gebruik van het gebedenboek.

Inhoud van April: Het aanleeren en opzeggen der gebeden in de school. — Over het gebruik van het Gebedenboek. (Vervolg op bl. 48.) — Aanbevolen. — Over Palestina. — Kampstrijd voor eerste Communiekanten in 1908. — Allerlei.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. *Ex facto quod Christus sæpe, maxime apud S. Marcum (I, 24 s., 34, 43; III, 11 s.; V, 43; VII, 36; VIII, 26, 30; IX, 8), silentium injunxit servandum circa miracula, suam messianitatem ac divinitatem, contendunt quidam* « Christum non semper habuisse conscientiam suæ dignitatis messianicæ ». — *Ostende ex ipsis Evangeliis hanc propositionem (35am) in Decreto « Lamentabili sane exitu » jure merito fuisse reprobatam ac proscriptam* (1).

I. **Respondetur.** *A. Certò constat e quatuor Evangeliis rite intellectis Jesum, vel a pueritia et a prædicationis suæ exordio conscientiam suæ dignitatis messianicæ habuisse, suamque messianam missionem, pro variis personarum et temporis adjunctis modo clare, modo implicite etsi non obscurè asseruisse, ea nempe sibi vindicando quæ in V. T. de Messia prædicta erant* (2).

B. Christus in suo munere Messiæ patefaciendo ac sua divinitate revelanda prudenti quadam œconomia usus est, silentium quandoque injungendo, donec conceptum Messiæ purgaverat a notione temporali et politica, quam Judæi coævi præpostere ei tribuebant.

C. S. Marcus in hoc silentio imposito plus reliquis evangelistis inhæserit, quia secundariò concivium suorum Judæorum incredulitatem explicare intenderit.

---

(1) Eam docuit Wrede, *Das Messiasgeheimniss in den Evangelien. Zugleich ein Beitrag zum Verständniss des Marcus Evangeliums*, 1901. — Cf. Loisy, *l'Evangile et l'Eglise*, Paris 1904, p. 90 s.; *Simples réflexions* etc. Ceffonds, 1908, p. 78 s.

(2) Cf. *Collat. Tornac.*, n. 458, p. 87 ss.

II. **Probatur responsum** per partes.

A. Ad 1m assertum probandum præcipua quædam Evangeliorum loca adducimus (1).

1° Verba *Jesu duodennis* in Templo reperti ad Mariam et Joseph *Lc* II, 49. « Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt oportet me esse? » conscientiam divinitatis adeoque messianitatis haud obscure produnt.

2° *In ipso vitæ Jesu publicæ exordio* plura facta, ut prædicatio Baptistæ (*Mt* III, 2), ejus de Messia mox venturo testimonium (*Mt* III, 11-12; *Mc* I, 6b-8; *Lc* III, 15-20), testimonium miraculosum Spiritus Dei in Christi baptismo (*Mt* III, 16-17; *Mc* I, 10-11; *Lc* III, 21-22), tentatio diaboli in qua implicite se « filium Dei » i. e. Messiam (2) profitetur (*Mt* IV, 3 ss.; *Lc* IV, 3 ss.), ostendunt Christum suæ missionis messianæ non potuisse non esse conscium.

3° *In priore ministerii sui parte*, sc. usque ad confessionem Petri Cæsareæ (*Mt* XVI, 16). Christus indirecte et implicite potius, np. sua prædicatione, suis miraculis, magis quam directe *munus suum* messianum populo materialibus et politicis præjudiciis imbuto proponit. Ita Christus « venit in Galilæam prædicans *regnum Dei* et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: pœnitemini et credite Evangelio » sc. bono nuntio de regno quod advenit *Mc* I, 14 s.; *Mt* IV, 17, 24. Regnum cælorum seu regnum Dei (3) est objectum ejus prædicationis in sermone montano (*Mt* V-VII; *Lc* VI, 20-49) et in parabolis

---

(1) Cùm in Q. agatur de *conscientia* ipsius Christi circa dignitatem suam messianam, ea consultò omittimus loca Evangelii infantiæ quæ dignitatem Christi messianam docent, sed ipsius Christi testimonium non perhibent. Cf. v. g. *Lc* I, 31 ss.; 54 s.; 67 ss.; II, 11; 26 ss.; 38; *Mt*, I, 21-23; II, 4 ss. Videsis Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu*, Paris 1905, Ch. II.

(2) Cf. Lepin, *o. c.*, p. 89 et Rose, *Etudes sur les Evangiles*, Paris 1905, p. 183 ss.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 578 ss.

(*Mc* IV, *Mt* XIII, *Lc* VIII). Docebat « quasi potestatem habens, et non sicut Scribæ » (*Mc* I, 22; *Mt* VII, 29; *Lc* IV, 32). Declarat aperte se venisse ut « evangelizaret regnum Dei » (*Lc* IV, 23; *Mc* I, 38). Se propheta Jona, Salomone et Joanne Baptista digniorem proclamat (*Mt* XII, 41 s.; *Lc* XI, 31 s.; *Mt* XI, 9-11; *Lc* VII, 26-28). Sibi vindicat divinam potestatem dimittendi peccata (*Mc* II, 1-12; *Mt* IX, 1-8; *Lc* V, 17-25); revelat secreta cordis (*Lc* VII, 36-50). Legatos Joannis Baptistæ inquirentis utrum sit Messias, an alius sit expectandus, remittit ad testimonium miraculorum, respiciens ad oracula Isaiæ de futuro Messia dicta (*Mt* XI, 2-6; *Lc* VII, 18-23). Apertè declarat: « Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei » (*Mt* XII, 28; *Lc* XI, 20). In synagoga Nazarethana prophetiam Isaiæ de venturo Messia sibi applicat (*Lc* IV, 16 ss.). Demùm, ut alia loca omittamus (1), Jesus, ab initio ministerii nomen « Filius hominis » sibi applicando, se esse conditorem regni Dei de quo prophetavit Daniel, significavit (2).

4° *In altera sui ministerii parte* Jesus, dissipata quantùm fieri poterat falsa populi existimatione, jam magis aperte se Messiam profitetur. Ità in agro Cæsareæ Philippi exquisivit a discipulis quid de se vulgus sentiret (3). Post expositas ab Apostolis honorificas vulgi de Filio hominis opiniones, Jesus eas tacite reprobrans et quid præclarius de se sentiendum innuens: « Vos autem, inquit, quem me esse dicitis? » Tunc illico Petrus: « Tu es Christus, filius Dei vivi ». Quam confessionem Jesus non tantum approbat laudatque, sed et egregiè remunerat.

Pariter indoles messiana Jesu clare declarata est in

---

(1) *Mt* X, 32 s.; *Mc* VIII, 38; *Lc* XII, 8 s.; — *Mt* XIII, 16 s.; *Lc* X, 23 s. Plura loca ex Evangelio S. Joannis adduci possent, v. g. IV, 25 s.; VI, 9 etc.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 633 ss.; Lepin, *o. c.*, p. 110 ss.

(3) *Mt* XVI, 13-19; *Mc* VIII, 27-29; *Lc* IX, 18-20.

transfiguratione (*Mc* IX, 6; *Mt* XVII, 5; *Lc* IX, 35), a duobus cæcis Jerechuntinis (*Mc* X, 47 s.; *Mt* XX, 30 s.; *Lc* XVIII, 38 s.) et præsertim in triumphali ingressu in Hierosolymas (*Mc* XI, 1-11; *Mt* XXI, 1-11; *Lc* XIX, 29-44; *Jo* XII, 12-19). Demùm, ut plura taceamus (1), Christus a Synedrio tanquam blasphemator ad mortem crucis est condemnatus, quia se Christum et vere Filium Dei apertè professus est (*Mc* XIV, 61; *Mt* XXVI, 63; *Lc* XXII, 70; *Jo* XIX, 7). Pariter coram procuratore Pilato se regem Judæorum i. e. Christum regem (*Lc* 23, 2 s.) proclamavit (2).

Denique Jesus pluries passionem et resurrectionem suam prædixit, in fine ministerii inimicorum insidias jam non declinavit, et hoc modo ultrò se morti piaculari crucis obtulit, optime sciens « quoniam oportet Filium hominis (3) pati multa, et... occidi: et post tres dies resurgere » « et (ita) intrare in gloriam suam » (*Mc* VIII, 31; IX, 11; *Mt* XVI, 21; *Lc* IX, 22; XXIV, 26). Quæ prædictiones conscientiam muneris messiani produnt.

E quibus omnibus abunde liquet dictam propositionem XXXV in decreto « Lamentabili » jure meritò fuisse proscriptam.

B. Superfluum foret, ostendere Judæos Christo coævos Regnum Messiæ præpostere ut materiale, terrenum præcipue et *politicum* concepisse, locutiones sc. quæ sensu metaphorico a Prophetis regno Dei applicatæ erant, in sensu literali intelligentes (4). Jesus verò prævalida ista et adulta præjudicia eradicare debebat, ideam inculcando regni spiritualis et religiosi quod duplex habeat stadium, inchoationis sc. in terra et consummationis in cœlo.

Christum autem in variis adjunctis prudenter circa

---

(1) Cf. Lepin, *o. c.*, p. 124.

(2) Cf. *Mt* XXVII, 11; *Mc* XV, 2; *Jo* XVIII, 37.

(3) i. e. Christum: cf *Lc* XXIV, 26.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 579; Rose, *Evangile selon S. Marc*, Paris 1904, p.

miracula sua et indolem suam messianam imposuisse silentium facile dabit qui, ex una parte perpendit nomini Messiæ significationem politicam adnexam fuisse, et ex alia parte observat frequentes apud Judæos, extraneum jugum ægre ferentes, ortas esse tunc temporis seditiones ac tumultus populares.

Nonne Jesus pluries turbæ admiratione commotæ se subtrahere coactus est, ità ut quadam die *cum vellent Eum regem facere* fugerit in montem solus? (*Jo* VI, 15). Prudenti sua Messiæ revelatione non obstante, nonne *politicæ* seditionis coram Romanorum procuratore accusatus fuit? (*Lc* XXIII, 5).

Sapiens Jesu consilium a contrario in sanatione dæmoniaci Geraseni comprobatur: cùm extra fines Palestinæ proprie dictæ versaretur, Christus, teste ipso Marci evangelio, miraculum *divulgandum* expressè jubet (V, 19; *Lc* VIII, 39).

C. Profectò negandum non est Marcum plus reliquis evangelistis in hoc silentio injuncto inhæsisse. At verò silentii consilium apud alios synopticos reperitur. Ita Matthæus et Lucas illud commemorant occasione sanati leprosi (*Mt* VIII, 4; *Mc* I, 44; *Lc* V, 14); Lucas occasione resuscitatæ filiæ Jairi (VIII, 56; *Mc* V, 43), Matthæus in narratione sibi propria duorum cæcorum (IX, 27-31).

Inde sequitur auctores quosdam, propter frequentiora Christi de servando silentio jussa, fidem historicam Marco vel aliis synopticis immeritò denegare. Porro, ea sollicitudo qua Marcus frequentius silentii œconomiam perhibeat, explicatur, eo quod præter demonstrationem divinitatis Jesu, finem secundarium prosecutus sit: *voluerit np. lectoribus explicare quomodo concives sui Judæi Jesu Messiæ et Filio Dei fidem denegaverint.* Ad hanc autem stupendam incredulitatem (quam ethnici lectores sane mirabantur) explicandam, œconomia silentii et progredientis revelationis messianæ conferre debebat.

A. Camerlynck.

II.

Q. *Expone quo sensu Ecclesia dicatur societas* perfecta.

R. Omnis societas constituitur aliquo vinculo morali, quod est quasi forma qua plures individui efficiuntur unum: omnis igitur societas, qua talis, est aliquod ens unum, unitate utique morali, et proinde indivisum in se et divisum a quolibet alio: consequenter societas nanciscitur quamdam quasi subsistentiam, distinctam a subsistentia propria singulorum membrorum, et hæc remanet, etiamsi aliqua societas fiat pars alterius societatis: familiæ, v. gr., licet sint partes societatis civilis seu Status, proprio tamen vinculo constituuntur et singulæ familiæ sunt aliqua societas (1).

Attamen distinguitur societas in *perfectam* et *imperfectam:* perfecta est societas quæ ita est in se completa ut media ad suum finem obtinendum necessaria et sufficientia habeat, vel *realiter* vel *virtualiter*, (2) *a semetipsa;*

---

(1) Societas assimilatur corpori organico viventi: sicut in vivente physico plura sunt membra quorum singula propriam activitatem habent et eo tamen modo conjuncta sunt ut ad bonum *totius* cooperentur, ita in societate plures sunt personæ quarum aliæ aliam exercent activitatem et tamen eo modo conjunguntur ut ad bonum totius communitatis conspirent. Cf. S. PAULUS, *Rom.* XII, 4 s.; 1 *Cor.* XII, 12 s.; *Ephes.* IV, 15 s. Præterea quum unitas socialis præsupponat ac prærequirat intellectum et voluntatem, illaque consequatur, ideo societas ipsa, quà talis, est subjectum jurium àc officiorum, et propter hoc recte dicitur *persona* moralis per analogiam ad personam physicam, quæ est *intellectualis* naturæ *individua substantia.* « Appellatur (societas) quidem *corpus,* ob diversitatem partium et earumdem mutuam connexionem sive unitatem quibus constat; *persona* autem ob rationalem modum operandi et propria jura ac officia quæ in societate, ut societas est, elucent. » SCHIFFINI, *Institutiones philosophiæ moralis,* t. II, n. 428; cf. t. I, n. 210. Cf. etiam ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De Justitia,* t. I, n. 160.

(2) Dicitur *realiter* vel *virtualiter* ad distinguendum duplicem modum quo societas perfecta habere potest media ad sui conservationem, defensionem et prosecutionem finis: media habet *realiter*, quando in ipsa realiter existunt; ea habet *virtualiter* quando illa potest *proprio jure exigere* et *repetere* ab alia societate quæ non potest illa negare, nec judicio rem dirimere. Cf. TARQUINI, *Juris Ecclesiastici publici Institutiones,* Romæ,

imperfecta vero quæ non habet a semetipsa omnia media ad suum finem et proinde indiget alia societate cui directe subordinetur.

Hic est sensus quo Ecclesia, in doctrina catholica, dicitur societas *perfecta:* Leo XIII sic docet: « (Ecclesia) societas est genere et jure *perfecta*, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, *omnia in se* et *per se ipsa possideat* » (1).

Quia Ecclesia habet per se ipsa omnia quæ necessaria sunt ad suum finem, ideo etiam *non potest esse pars alius societatis* vel *dependens ab alia societate.* Sub hac ratione declarabatur Ecclesia esse societas *perfecta* in schemate proposito examini patrum Concilii Vaticani (2).

Pius IX damnavit hanc 19am propositionem in *Syllabo:* « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino fundatore collatis; sed civilis potestatis est definire, quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, inter quos eadem jura exercere queat » (3).

1892, n. 42. — Ut societas sit perfecta requiritur ut *finis* suus non sit ordinatus ad alium finem in eodem genere. — Formalis ratio societatis *perfectæ* est diversa a formali ratione societatis *supremæ*. « Quia etsi societas suprema eo ipso sit societas perfecta, non tamen e converso omnis societas perfecta est suprema. Quippe ratio societatis supremæ removet omnem omnino subordinationem, sed ratio societatis perfectæ ut sic removet tantum subordinationem *directam*, non autem indirectam ». Billot, *De Ecclesia*, Romæ, 1899, T. II, p. 123.

(1) *Encyclica* « Immortale Dei ». Cf. *Acta Leonis XIII*, Bruges, Desclée, t. II, p. 151.

(2) Cf. Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, Œniponte, 1896, n. 215.

(3) Cf. Denzinger, *Enchiridion*, n. 1567. — Positis his quæ indicavimus de sensu quo Ecclesia dicitur societas *perfecta*, non intelligitur quid intenderit aliquis scribendo: « Remarquons en passant les mauvais tours que joue à l'apologétique la définition de l'Église société parfaite... qui est entrée dans tous les cours de droit canonique et de droit public ecclésiastique. Cette définition a été élaborée pour justifier par une théorie juridique les faits qui s'étaient produits dans une certaine phase de la vie de l'Église... Les circonstances de fait ont changé, mais la théorie demeure dans les livres, et elle façonne le cerveau des ecclésias-

Nota. In *formali* ratione societatis *perfectæ,* quatenus Ecclesiæ competit, non continetur ratio juris infligendi pœnas *corporales:* imo Ecclesiæ competere posset vera potestas legislativa, judiciaria ac coercitiva, quin haberet jus ad infligendas pœnas *corporales;* si, v. gr., posset infligere tantum *spirituales* pœnas, re in abstracta considerata, non ideo cessaret esse societas perfecta. Ideo theologi ad demonstrandum Ecclesiæ competere jus infligendi *corporales* pœnas, non ponunt tantum propositionem quæ asserit Ecclesiam esse societatem perfectam, sed aliam adducunt propositionem quæ dicit inflictionem pœnarum temporalium esse *medium necessarium ad hoc ut Ecclesia possit attingere finem suum:* inde theologorum ratiocinium exprimitur sequenti syllogismo: Ecclesia est societas perfecta, h. e. habet per se ipsa omnia media necessaria ac sufficientia ad finem attingendum; atqui jus infligendi pœnas *corporales* est medium necessarium ad finem Ecclesiæ attingendum; ergo Ecclesiæ competit hoc jus (1). Hæc propositio est igitur aliqua *conclusio*, quæ, vera illatione, deducitur *ex hoc quod Ecclesia est societas perfecta.* Nescio quosnam theologos designet D. Vacandard scribendo: « En somme il n'est pas bien difficile de faire voir pourquoi *certains* théologiens tiennent tant à ce que l'Église revendique le droit d'exercer la contraite matérielle. C'est qu'ils *ne conçoivent pas qu'elle puisse être sans cela une société parfaite* » (2).

J. Van der Meersch.

---

tiques au point de leur faire considérer comme un malheur des temps... les transformations de l'esprit public *(sic)* qui ont ramené *(sic)* l'Église à sa mission propre, qui est d'ordre moral, religieux et social. » Hemmer, *Revue d'histoire et de littérature religieuses*, 1906, p. 481.

(1) Ita Suarez, *De fide,* Disp. XX, Sect. 3, n. 16, 26; Tarquini, o. c., n. 47, p. 39, p. 43; Palmieri, *De Romano Pontifice,* Romæ, 1878, p. 135 s.; De Brouwer, *De Ecclesia,* Brugis, 1891, n. 201; Billot, o. c., p. 161 s. Cf. etiam Taparelli, *Saggio teoretico di dritto naturale,* Prato, 1883, n. 1483 ss.

(2) *Revue du Clergé français,* t. XLIX, p. 593.

III

Q. *Expone quomodo lex æterna omnium humanarum legum fundamentum sit?*

R. Lex æterna omnium humanarum legum fundamentum est, quia, uti dicit Suarez (1), *est lex per essentiam* a qua omnes aliæ leges derivantur, ita ut non sint nisi *per participationem*.

Hoc assertum declarabimus argumentatione sequenti: duo sunt potissimum legis officia seu munera: *recte ordinare* et *obligare*, quæ ambo ad ipsum esse constitutivum legis pertinent. Jamvero utrumque lex humana habet a lege æterna (2).

Et sane 1°/ ad rectitudinem directionis quod attinet, lex humana si recta sit, hanc perfectionem habet a lege divina, i. e. a lege æterna active in Deo existente et passive in homine saltem per naturale rationis lumen impressa ac participata. Rectitudinem enim non habet per se, quum sit opus hominis, cujus intellectus a veritate et cujus voluntas a rectitudine est defectibilis; experientia cæteroquin constat multas leges communiter dici et esse injustas. Igitur lex humana rectitudinem suam habet per comparationem et ex conformitate ad aliam legem, non humanam, sed rectam de se et consequenter divinam. Si autem intimius inquirere velimus rationem positivam hujus 1ᵃᵉ partis nostræ thesis, in memoriam revocare sufficit notionem tum legis æternæ, tum legis in communi. Lex æterna est ordinatio Dei, supremi gubernatoris mundi, qua rebus singulis ab æterno suos fines præfigit, et singulas naturas ad suos fines disponit ita ut conspirent omnes ad finem totius

---

(1) *Tr. de Legibus*, lib. II, cap. IV, n. 5.

(2) Cfr. S. Thomam, 1-2, q. 93, a. 3. Bouquillon, *Theol. Mor. fundam*, ed. 2, n. 58. Van den Berghe, *Tr. de Legibus*, ed. 2, n. 18. Ferreti, *Instituiones Phil. Mor.*, vol. I, n. 139. Meyer, *Instit. juris naturalis*, P. I, n. 291 ss. Cathrein, *Moralphilosophie*, p. 377 ss.

universi (1). Ex hac notione patet legem humanitus positam non posse discordare in aliquo a lege æterna, quæ universalissime et simpliciter omnem ordinem complectitur. Si enim discordaret non esset *ordinatio ad bonum commune* sed perturbatio ordinis, « non esset lex sed legis corruptio » S. Thom. 1-2, q. 95, a. 2.

Quod autem 2°/ spectat ad vim obligativam, hujus etiam ultima ratio essentialiter a lege æterna petenda est, ut ex ipsa natura obligationis moralis probatur. Vis enim obligandi in conscientia, quæ cuivis legi humanæ, debitis stipatæ conditionibus, competit (2), exsurgit ex necessaria actionis vel omissionis impositæ connexione cum fine ultimo (3). Hanc vero connexionem inducere per se solus Deus valet, æternus legislator, supremus et essentialis mundi universi ordinator.

Etenim potestas præstituendi finem rei alicui ac determinandi in specie modum tendendi in præstitutum finem, seu potestas disponendi de re, non pertinet *ex se* et *nativo jure* nisi ad illum, qui est auctor ac causa et consequenter dominus ipsius rei. Atqui Deus solus est auctor atque prima causa hominis. Ergo prædicta potestas *ex se* et *nativo jure* non pertinet nisi ad Deum. Itaque ordinatio divini intellectus divinæque voluntatis, quæ est ipsa lex æterna, est primum principium omnis moralis obligationis, fons et origo omnis legis (4).

Si nunc consideremus legem humanam ut est active in principe, rursus ad legem æternam ascendimus. Quamvis enim Deus solus *jure nativo* potest ferre legem vere in conscientia obligantem ; tamen ab æterno statuit adhibere homines tanquam cooperatores et ministros in regimine mundi, eis potestatem ad obligandum certos

---

(1) Van den Berghe, o. c., n. 15.

(2) *Collat. Brug.*, t. VII, p. 235 ss.

(3) Taparelli, *Diritto nat.* I, 93, obligationem moralem definit : debitum rationale ex necessaria connexione mediorum cum fine necessario resultans. Cfr. Bouquillon, *o. c.*, p. 188.

(4) Ferreti, o. c., n. 119.

intra limites communicando. Hæc autem ordinatio Dei gubernatoris iterum nihil aliud est nisi lex æterna.

Igitur lex humana non solummodo ut est passive in subditis, verum etiam ut est active in legislatore, se habet ad legem æternam tanquam effectus ad causam sui exemplarem et etiam tanquam effectus ad causam sui efficientem.

Quæ omnia egregie et breviter exponit Suarez, De legibus, lib. II, cap. IV, n. 5. « Lex, ait, duo requirit, unum ut sit justa et rationi consentanea; aliud ut sit efficax ad obligandum; sed omnis recta ratio creata est ex participatione divini luminis, quod signatum est in nobis, et omnis potestas hominum desuper datur, et a Domino Deo est; ergo omnis lex in hominibus existens est ex lege æterna. Et utrumque significavit divina sapientia cum dixit: *Per me reges regnant*, utique quantum ad potestatem, *et legum conditores justa decernunt*, videlicet quoad rectam rationem. »

R. De Schepper.

IV

Q. *Solvantur duæ difficultates contra connexionem virtutum infusarum.*

R. Quæ hic ponuntur difficultates contra connexionem virtutum infusarum ex diverso omnino fonte desumuntur et alia plane via solvendæ sunt.

Prior sic enuntiatur: Si vera esset doctrina de connexione et æqualitate virtutum, dicendus esset qui unam (1) virtutem habet, eo ipso habere omnes virtutes infusas easque eodem gradu (supra pp. 251 ss.). Jamvero si hoc esset, non intelligeretur factum illud experientia constans, varios homines justos habere quidem

(1) Superfluum sit notare nos non loqui de speciali difficultate quæ moveri posset ex eo quod Fides et Spes, utpote solæ remanere possibiles, non sunt æquo gradu ac virtutes cæteræ in esse connexæ cum reliquis.

facilitatem exercendi actus unius virtutis, puta justitiæ, sed simul difficultatem exercendi actus alius virtutis, puta castitatis. Ergo falsa doctrina data.

Solutionem remissive tantum (1) indicamus : Concessa majore, negatur minor. Innititur enim falso supposito virtutem supernaturalem tribuere facilitatem extrinsecam et promptitudinem ad actus ejusdem virtutis. Virtus enim infusa dat quidem facilitatem intrinsecam quam vocant, qua nim. facultates nostræ de se radicaliter improportionatæ, fiant jam principia proportionata eliciendis actibus entitative supernaturalibus; tribuere autem facilitatem extrinsecam quam vocant, proprium est virtutis acquisitæ. Hæc enim acquiritur actibus repetitis, qui eo ipso magis ac magis inclinant ad actus similes, et sic minuunt vel destruunt inclinationem in oppositum et impedimenta ad exercitium virtutis; virtus autem supernaturalis actibus non acquiritur sed directe a Deo infunditur. Hinc nil impedit hominem in ordine ad exercendas varias virtutes infusas, æquali gradu in ipso existentes, experiri variam omnino facilitatem, promptitudinem et suavitatem in operando (2).

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, pp. 751 s., præsertim 752 ss.

(2) Hanc duplicem facilitatem vocat BILLOT, *De virt. inf.*, p. 35 : intrinsecam quidem : inclinationem inhæsionis ad bonum quod est objectum virtutis ; extrinsecam vero : inclinationem proclivitatis in exercitium actus illiusmet. — Minime placet exemplum quod ibidem affert, ægroti nempe qui magnum desiderium habens sanitatis recuperandæ, eo ipso magnam habet inclinationem ad bonum sumendæ medicinæ, et sic majorem conatum adhibebit ad eam sumendam; quod exemplum explicare deberet inclinationem inhæsionis quam affert virtus infusa. — Num forte virtus infusa æquiparanda est alicui *desiderio* virtutis colendæ? — Minus etiam placet quod Ill. LAMBRECHT in *Verhl. van den Catech.*, pp. 1269 ss. de hac inclinatione dicit: Qui habent virtutem, eo ipso, sicut probat etiam experientia, multo majorem vim habent in voluntate, ad malum fugiendum et bonum faciendum quam peccatores qui in inimicitia cum Deo vivunt. — Minus placet, nam a/, siquidem justis insunt omnes virtutes et æquali gradu, cur experientia probat eidem homini multo majorem vim inesse ad unum bonum faciendum, puta misericordiæ, quam ad aliud, puta castitatis? b/ Cur peccator potest ad certa opera, puta mise-

Altera difficultas hæc est: Si vera esset doctrina de connexione virtutum infusarum, dicendus esset qui unam habet virtutem eo ipso simul habere omnes virtutes infusas. Jamvero hoc dici nequit: Sunt enim nonnullæ virtutes nonnullis hominibus plane impossibiles, quemadmodum magnificentia (qua quis magnos sumptus facit) pauperi, vel virginitas (qua quis, qui nunquam hucusque admisit voluntarie usum completum membrorum genitalium, proponit vel vovet sic se servare in perpetuum), impossibilis est omnibus qui unquam illicite vel licite talem usum completum adhibuerunt (1).

Respondetur: Concessa iterum majore, negatur minor. Fundatur enim in falsa notione virtutis infusæ et confundit ipsam *virtutem* cum *actibus* ab illa procedentibus. Virtus enim infusa nihil aliud est quam principium supernaturale facultati naturali superadditum, ita ut facultas sic elevata existat capax eliciendo actui supernaturali, dum secus naturales tantum elicere valeret. Unde virtus ipsa ab actu suo omnino distinguitur. Et nonne revera pueris dum baptizantur, et impares existunt virtuti *exercendæ,* infunduntur *virtutes* supernaturales (2), infunditur proinde ipsa virtus virginitatis?

---

ricordiæ, habere majorem vim quam justus qui habet virtutem infusam misericordiæ? Unde dicendum, cum SUAREZ, *de gratia,* l. 6, cap. 9, experientiam in casu nihil probare de absentia vel præsentia virtutis infusæ; et revera major vel minor vis ad bonum, pendere potest a variis, puta a complexione et indole naturali, a gratia actuali speciali, ab habitibus naturalibus acquisitis. Cfr. supra p. 252. Facilitatem autem sensu consueto vocis, virtutes supernaturales non tribuunt.

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. X, pp. 424 ss.

(2) Suprà, pp. 326 ss. Et nota quod distinctio hic tradi solita qua dicitur virtutem magnificentiæ in paupere, vel virginitatis in conjuge, manere secundum *formale* non vero secundum *materiale,* cadit non præcise in ipsam *virtutem,* sed in *actum* virtutis. Sic etiam dicunt AA. elementum materiale virginitatis esse absentiam hucusque omnis usus completi et voluntarii membrorum genitalium, elementum vero formale propositum vel votum sic manendi in perpetuum. Quæ duo sunt elementa, non *virtutis* virginitatis, sed *actus* perfecti ejusdem, quum secus dicendum esset virtutem tunc primo infundi ubi quis elicit votum vel propositum, sicut diceres magnificentiam tunc primo infundi, quando quis de facto

Unde pauperi impossibilis est, non quidem ipsa *virtus* infusa magnificentiæ, sed *actus, exercitium* perfectum illius virtutis; illis qui admiserunt usum completum membrorum, impossibilis est, non ipsa *virtus* virginitatis, sed *actus, exercitium* perfectum illius virtutis (1). Dicitur: exercitium *perfectum:* nec enim dici potest auferri possibilitatem *omnis* actus ad talem virtutem pertinentis, quemadmodum pauper potest sic exercere habitum magnificentiæ actu conditionato, ut vellet magnos sumptus facere si pecunia adesset.

Scholion. Non diffitemur specialem videri difficultatem quod attinet virginitatem, ex eo quod AA., qui tenent hanc esse virtutem specialem, a communi castitate distinctam, communitur docent eam irreparabiliter amitti per omnem usum completum genitalium (*Collat. Brug.*, t. X, pp. 477 ss.), etiam non peccaminosum puta ab eo qui in legitimo matrimonio actum carnalem habet. — Huic instantiæ uno alterove ex sequentibus modis responderi posset: vel 1°/ Connexio virtutum *non ita stricte* intelligenda est ut extendatur etiam ad illas virtutes quæ *statui speciali* non conveniunt; — quæ responsio contradicit modo strictiori quo AA. passim tuentur connexionem virtutum infusarum; vel 2°/ Virginitas non est virtus specialis, distincta a communi castitate, sed est hæc ipsa castitas in gradu perfecto et in subjecto incorrupto, et proinde nil impedit quin tum solutis tum conjugibus insint eædem virtutes, et signanter eadem castitas, vario tamen nomine vocata pro vario subjecto; quam responsionem suggerit etiam S. Th., *De Virt. Card.*, l. c., ad 7 et

---

magnos sumptus facit. Unde *virtus* existit independenter et antecedenter ad actum suum.

(1) In hunc sensum S. Th., *De Virt. Card.*, qu. un., art. 2, ad 5: « Contingit aliquem esse liberalem, sed non magnificum *quantum ad actus:* quia aliquis parum habens, potest in usu ejus quod habet, exercere actum liberalitatis, non autem magnificentiæ; quamvis aliquis habeat *habitum,* per quem etiam magnificentiæ actum exerceret si materia adesset... Ista responsio tenenda est omnino in virtutibus infusis »; et idem dicit ad 7 de virginitate: « hic habitus esse potest etiam in his qui carnis integritate carent; sicut et habitus magnificentiæ potest esse sine magnitudine divitiarum ».

in IV Sent., dist. 33, q. 3, art. 2, solutio; — quæ responsio recedit a sententia quam communius tenent et quam ipse S. Thomas propugnat I-II q. 152, art. 3 (cf. Ill. WAFFELAERT, *De Prud. Fort. et Temp.*, pp. 233 ss.); vel 3°/ Sicut omnis virtus, ita virtus specialis virginitatis non amittitur sine peccato; et proinde per actum carnalem licite in matrimonio positum amittitur quidem possibilitas *exercendi actum perfectum* hujus virtutis, non autem amittitur ipsum *principium supernaturale* quod est *virtus*. Virtus enim virginitatis existit independenter ab actu suo perfecto, (supra, p. 373 nota (2)) et nil proinde impedit quominus et maneat (vel reparetur) in iis qui per actum carnalem licitum (vel illicitum) materiam actus perfecti et ipsam possibilitatem hujus actus omiserunt. Et in hunc sensum hæc habet Cajetanus in I-II q. 152, art. 3, n. 4: « Aliud est loqui de aliquo excellenti *actu* virtutis, et aliud de ipsa *virtute*. Potest siquidem exellens *actus* virtutis omitti absque peccato, quia excellentia illa est in consilio. Et sic contingit de *actu* virginitatis et paupertatis voluntariæ et similibus, non quod *virtus* aliqua per horum omissionem perdatur ». Et pulchrius adhuc S. Thomas, in IV, l. c., ad 6: « Qui habet unam virtutem, habet aliquo modo omnes; non tamen quantum ad omne id quod est in virtute; sicut qui habet liberalitatem, quandoque non habet magnificentiam, quantum *ad statum illum quo possit exire in actum exteriorem* [cogitemus pauperem]; et similiter qui habet temperantiam, non habet statum quem virginitas dicit propter imperfectionem, quamvis habeat id quod facit rationem *virtutis* in virginitate [cogitemus conjugem, ut patet ex collata objectione 3ª cum solutione sua, ibidem] ». Et ad 3, hanc affert paritatem: « Sicut aliquis ditissimus magnificus potest dare omnia sua pauperibus, et sic sine peccato suo ei eveniret *quod in actum exteriorem virtutis exire non poterit*.... Et... Virginitas quæ *statum* illum dicit virtutis *in quo virtus possit exire in actum*... amittitur... sine peccato in actu matrimoniali; nec unquam per pœnitentiam recuperatur ». Unde, ex collatis his 2 textibus sequitur quod juxta S. Th., sicut dives ille non amittit *virtutem* magnificentiæ sed tantum possibilitatem *actus* perfecti, ita et conjux justus servat *virtutem* virginitatis, amissa possibilitate *actus* perfecti. — Neque contra hanc solutionem fiat instantia a/ex eo quod absurdum

esset et a communi modo loquendi recedens aliquem (exclusa B. M. V.) *conjugem* ~~dicere~~ simul et *virginem*. Fatemur enim conjugem simul virginem dici non posse, intelligendo virginitatem materialem; item fatemur præsentiam *virtutis* moralis virginitatis non esse rationem cur conjux justus *vocetur* virgo, sicut pauperem justum, et proinde instructum *virtute* magnificentiæ, tamen non *vocamus* magnificum, nec omnes justos aut sanctos, instructos *virtute* Fortitudinis qua martyrium subitur, *vocamus* martyres. Virtutes enim secundum quas homines speciali modo *vocamus,* non illæ sunt quas *habent,* sed illæ in quarum *exercitio* speciali modo excelluerunt; et hoc sensu bene vocamus virgines illos tantum qui, corpore incorrupti, proposito vel voto immobiles se constituerunt in hoc statu. — b/ ex eo quod sic *omnibus* sanctis tribuenda esset a Deo aureola speciali modo virginibus reservata. Resp. iterum hanc aureolam tribui non ob præsentiam *virtutis,* sed ob *actum* perfectum illius, sicut aureola tribuitur doctoribus, non præcise ob præsentiam virtutis Prudentiæ quam etiam cæteri justi habent, sed ob actum prædicandi et docendi, et aureola tribuitur martyribus, non ob præsentiam virtutis Fortitudinis, quam etiam non martyres habent, sed ob martyrium de facto sustentum. Cfr. S. Th., in IV, dist. 49, q. 3 art. 3 et 5.

V

Q. *Exponantur et dijudicentur modi distribuendi partem Theologiæ moralis specialis quæ de virtutibus et vitiis procedit.*

R. I. **Exponuntur.** — Duo sunt modi præcipui distribuendi hanc partem Theologiæ. *Prior* sequitur ordinem trium virtutum theologicarum et quatuor virtutum moralium; singula autem tractatio procedit « de virtute et dono sibi correspondente et vitiis oppositis, et præceptis affirmativis vel negativis » (S. Th., II-II, in prol.); in specie ubi agitur de quatuor virtutibus cardinalibus (sensu specifico), singula vice post virtutem principalem agitur etiam de virtutibus qualitercumque ad eam spectantibus et de vitiis istis oppositis.

Quem ordinem sequitur S. Th., in II-II, et post ipsum Scholasticæ ac Moralistæ plures. *Nonnulli* tamen, post explicatas sic virtutes theologicas, cætera officia hominis distribuunt secundum triplicem *relationem* hominis ad Deum, proximum, nosipsos. Quæ tamen ratio distribuendi non ita ab ordine S. Th. differt; quum officia moralia ad Deum sint præcipue virtutis Religionis, ad proximum sint præcipue Justitiæ, ad seipsum sint præcipue Prudentiæ, Fortitudinis et Temperantiæ. Cæterum patet quod officia ipsarum virtutum Theologicarum possent reduci ad relationes nostras ad Deum. (Sic D'Annibale, Summula Theologiæ moralis, pars II). — *Posterior* modus sequitur ordinem præceptorum Decalogi et Ecclesiæ. Quo ordine processerunt tum antiqui tum recentiores plures. In specie auctoritas S. Alphonsi hoc modo procedentis multum favorem ipsi conciliavit (1).

II. **Dijudicantur.** — 1. Ex ipsa expositione systematis prioris patet S. Th. merito dicere *l. c.* in eo « nihil rerum moralium fore prætermissum » ; et expositionem fore *completam* tum virtutum, tum vitiorum, tum quoad actus tum quoad habitus, tum quoad res connexas quasvis, tum in specie quoad ea quæ sunt de præcepto tum quoad ea quæ de consilio tantum. Omne enim quod est sive de præcepto sive de consilio pertinet ad unam alteramve virtutem, et ideo plene explicando virtutem, utrumque plene explicatur. Posterior modus e contra sponte locum dat tractationi *incompletæ* : agentes enim ex professo de *actibus præceptis,* sponte omittunt tot ac tanta quæ dicenda essent sive de *virtutibus* sive de actibus quæ sunt de *consilio* et spectant ad

(1) Sunt hi duo modi præcipui et communiores. Patet enim invenire esse etiam modos tali vel tali auctori proprios, quemadmodum D'Annibale, *o. c.*, parte II agit de obligationibus quæ sunt communes omnium *hominum,* — sive erga Deum, sive erga se sive erga proximum; et in parte III de officiis propriis *christianorum,* sive omnium, quo loco de festis agit et de jejunio, sive singulorum, quo loco dicit de voto.

perfectionem christianam. Et sic non ita raro momentosa illa quæ dicenda essent de virtute vel actibus castitatis aut virginitatis remittunt ad tractatus asceticos, sic theologiam moralem reducentes ad meram quasi nomenclaturam peccatorum eorumque præsertim gravium. Cœterum, ut ex dicendis ad 2m patebit, nisi varias industrias adhiberent, easque nonnunquam arbitrarias aut violentas, et hæc nomenclatura insufficiens et incompleta esse deberet.

2. Prior modus tractandi « *favet expositioni rerum scientificæ* » (Bouquillon, *Theol. mor. Fundam.*, ed. 2a, p. 10), ut pulchre evolvit S. Th. *l. c.* Congnitio nimirum præcepti et peccatorum quibus violatur et vitiorum quæ ipsi opponuntur, dependet omnino a cognitione virtutis ad quam pertinet præceptum : est enim eadem materia circa quam et virtus recte operatur et vitia opposita a rectitudine recedunt; et ideo recta habita notione virtutum, recta fluet et notio actuum illius necnon peccatorum et vitiorum quæ ipsis opponuntur. — Qui autem alterum modum sequuntur, plerumque non ex professo et insufficienter evolvendo notionem, objectum, dignitatem, etc. virtutum, eo ipso rationem intrinsecam pravitatis multorum actuum et vitiorum sufficienter non exponunt. — Præterea patet S. Th. et ejus sequaces ordine omnino logico procedere, adæquatis divisionibus, omniaque inter se colligando et ad principia reducendo. E contra ipse ordo præceptorum Decalogi et Ecclesiæ non est talis qui faveat sive ordini scientifico sive tractationi adæquatæ (1). Decalogum enim Deus proposuit populo Judaico ad recte

(1) Miro modo clim asseruit Martinet, *Theol. Mor., prol.*, solum ordinem præceptorum Decalogi ut logicum et scientificum haberi posse, et methodo S. Th. exprobravit quod nimium separet moralem a suis fundamentis dogmaticis, et causam præbeat redundantiæ dispositionum, duplicationi quæstionum, jejunitati doctrinæ et confusioni idearum (Bouquillon, l. c.); eamque asseruit utpote artificium humanum cedere debere divisioni propositæ in Decalogo ab ipsa Sapientia divina.

vivendum, non autem theologis ad recte scribendum; imo neque ipsi populo Judaico proposuit tanquam perfectum compendium vitæ moralis, sed potius tanquam compendium vitæ socialis, complectens nempe obligationes uniuscujusque ad varia membra societatis theocraticæ Judæorum, nempe ad Deum, qui princeps societatis, ad parentes, ad concives. Et inde est quod de multis præceptis, et signanter de his quæ cadunt in officia uniuscujusque *ad seipsum*, non loquitur Decalogus. Ita S. Thomas: « Non omnia peccata mortalia directe contrariantur præceptis Decalogi » (II-II q. 148, art. 2, ad 1); et eadem II-II, q. 122, art. 1 bene explicat qua ratione præcepta Dualogi omnia proprie versentur circa relationes *erga alios,* et omnia reducit ad Justitiam: « Tria prima præcepta sunt de actibus Religionis, quæ est potissima pars Justitiæ: quartum præceptum est de actibus Pietatis quæ est pars Justitiæ secunda: alia vero sex dantur de actibus Justitiæ communiter dictæ quæ inter æquales attenditur ». Hinc fit hujus ordinis sequaces nonnisi violenter sæpe et arbitrarie reducere varios actus ad varia præcepta: ad 1^{m}: Non habebis deos alienos, reducunt actus virtutum theologicarum et peccata opposita, puta desperationem; votum reducunt alii ad 1^{m}, alii ad 2^{m} præceptum de non assumendo nomen Dei in vanum. Imo Genicot 1° præc. attribuit tanquam materiam actus virtutis Religionis, plerosque tamen ex his et magis momentosos exponit occasione 2^{i} præcepti; ad 4^{m}: Honora patrem et matrem, reducunt debita ipsorum *parentum* ad filios, imo omnium superiorum et inferiorum; hac occasione agunt quidam (sic Genicot) de justitia legali, imo nonnulli (ut Tournely, Continuatio prælectionum theologicarum) disserunt de obligationibus conjugum ad invicem, de debito matrimoniali, et de peccatis quæ sive intra sive extra matrimonium committere possunt; ad 5^{m}: Non occides, reducunt imprecationem, iram, odium, scandalum; imo ebrietatem et gulam utpote natam nocere

etiam corpori; et jam S. Th., II-II, q. 148, art. 2 ad 1, gulam reduxit ad præceptum de sanctificatione Sabatti, mystice intellectum (1).

3. Videtur quidem ordo posterior valde convenire *catechistis et confessariis* (Bouq., l. c.). Hoc tamen meritum non est exaggerandum. Non enim pro tota vita vere christiana docenda et dirigenda sufficit habere notionem omnium *peccatorum* committi possibilium, sed maximi momenti est perfecta cognitio *virtutum* et *actuum* earum: objecti, dignitatis, necessitatis, connexionis, adjumentorum, impedimentorum. Illud sane apprime patet ubi agitur de dirigendis fidelibus piis et virtutum sectatoribus, sed nonne etiam ubi de emendandis et dirigendis peccatoribus? Et nonne revera isti sæpius melius moverentur et disponerentur, ostendendo ipsis pulchritudinem virtutum ad quas et ipsi vocantur, easque ostendendo et ipsis non esse ita difficiles, potius quam dure eos increpando, præ oculis ipsis ponendo pravitatem suam sicque animum eorum non elevando sed potius deprimendo? — Considerationem autem harum virtutum, etc. sponte negligunt AA. qui posteriore methodo procedunt, talia omnia nimis frequenter quam par est remittendo ad theologiam asceticam et dogmaticam (2).

A. Vander Heeren.

VI

Q. *Quot, quænam et quo ordine dicendæ sunt* Orationes *in missis votivis privatis?*

R. Responsum ad præsentem quæstionem est mera applicatio principiorum quæ in præcedenti responso

---

(1) Ex quibus variis exemplis patet, ut diximus supra, talem modum procedendi natum non esse semper distincte exhibere varias rationes unde malitia actuum procedat.

(2) Cfr. Dignant, *Coll. Brug.*, t. II, pp. 111 s.

posita fuerunt (*Collat. Brug.*, t. XIII, p. 253 ss.), inspecta natura propria missæ votivæ privatæ (1).

Est autem missa *votiva privata* ea quæ non est conformis officio (ideo *votiva*) et legitur vel cantatur non pro re gravi et publica Ecclesiæ causa ac de auctoritate aut consensu Episcopi (2), sed pro causa tantum privata aut non gravi, et certe (etiamsi forte de re gravi et publica causa) ex voto celebrantis aut stipendium offerentis (ideo *privata*).

Inspecto minori hujus causæ momento, missa votiva *privata,* nisi speciali gaudeat privilegio (3): a/ est tantum ritus simplicis, adeoque tres saltem debent esse orationes, ita tamen ut celebrans pro lubitu numerum augere possit usque quinque vel septem (cf. suprà p. 255);

b/ non gaudet privilegio excludendi omnem respectum ad officium recitatum aut missam diei, et ideo omitti nequeunt oratio substantialis officii aut missæ diei, commemorationes speciales et orationes votivæ quæ recitandæ sunt in missa diei;

c/ non potest celebrari in dominicis et duplicibus.

Quibus prælibatis, de plano procedit responsio:

1° Prima oratio semper erit *oratio propria seu substantialis missæ votivæ.*

2° Secunda oratio (saltem in missa lecta) semper erit *conformis officio a celebrante recitato.*

Unde a/ si celebrans recitaverit officium diei, v. g. de festo, secunda oratio erit de eodem festo, quæ erit etiam prima oratio missæ diei; si autem officium reci-

---

(1) Cf. Decr. S. R. C. 30 jul. 1896, n. 3922 et *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 442 ss.

(2) Hujusmodi missa esset votiva *solemnis* (Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 221). Hæc autem, ob gravitatem et naturam causæ, non tantum debet celebrari cum solemnitate extrinseca, sed a/ est ritus duplicis, b/ excludit omnem commemorationem officii diei aut orationem votivam, adeoque semper celebranda est cum *unica oratione,* c/ celebrari potest quacumque die, paucis exceptis.

(3) De quibus infra vide Scholion.

tatum sit de octava, dum tamen missa dici (juxta *Miss. Rub. Gener.* III, 2) est de feria majori aut de vigilia occurrente, secunda oratio erit de octava et tertia tantum oratio recitabitur de feria aut vigilia.

Exceptio: si in feria III Rogationum, officium fiat de hac feria, in missa votiva tamen secunda oratio sumenda est non conformis officio sed de Rogationibus, sicut etiam missa est de Rogationibus.

Notetur etiam in missa votiva S. Petri secundam orationem semper dici de S. Paulo et vicissim.

b/ Si vero sacerdos recitaverit ex propria electione officium votivum (v. g. S. Joseph, in feria IV) et celebret missam votivam præfato officio non conformem (v. g. de Angelis), secunda oratio in missa votiva *lecta* erit officii votivi (in casu S. Joseph) (1). — Si tamen missa votiva privata celebraretur *in cantu* aut cum solemnitate extrinseca, omittenda esset omnis commemoratio officii privatim et ex propria electione a sacerdote recitati. Ratio est quia missa in cantu aut solemniter celebrata censetur quasi publica respiciens communitatem seu Ecclesiam, quæ censetur sequi officium diei Breviario conforme, in calendario ecclesiæ assignatum, et a quo omnino independens est officium a sacerdote libere et proprio nutu electum.

3° Præfatis orationibus addendæ sunt *omnes commemorationes speciales* quæ et quo ordine dicendæ sunt in missa diei.

4° Quodsi commemorationes speciales deficiant, pro tertia oratione sumenda est *prima* ex *commemorationibus communibus* quæ pro hac die assignantur pro missa diei.

Excipitur tamen missa votiva de Beata, in qua com-

---

(1) Tertia oratio erit ea quæ in missa votiva *conformi officio recitato* esset secunda. Ita fiet (v. g. in feria minori) ut oratio substantialis officii aut missæ diei non sit dicenda, quia officium diei (in casu feriæ minoris per annum) non commemoratur in officio votivo recitato. Jamvero hujus solius officii a se recitati rationem habere debet sacerdos celebrans votivam privatam lectam.

memoratio communis (si pro tertia oratione non adsit commemoratio specialis) semper esse debet de Spiritu Sancto (*Rub. Gen.* IX, 15) (1).

5° Deinde adjungendæ sunt *orationes votivæ late dictæ* a rubricis aut ab Ordinario præscriptæ et quidem ordine suprà p. 256 assignato.

6° Post omnes præfatas orationes, *potest* celebrans addere unam pluresve *orationes votivas stricte dictas*, ita ut omnes orationes simul attingant numerum imparem quinque vel septem (cf. p. 256).

Nota I. Si missa votiva privata celebretur cum cantu aut assistentia, in ecclesia quæ ad missam conventualem tenetur aut in qua prius jam missa diei cantata fuerit, omittendæ sunt oratio diei et commemorationes speciales (quia in missa diei cantatæ fuerunt) (2) et tunc orationi principali addendæ sunt *duæ* commemorationes communes (3).

II. In orationibus missæ votivæ ordinandis sæpe applicandum occurrit principium: *non fit bis de eodem.* Unde:

a/ Si missa, licet non conformis officio recitato, sit tamen de eodem mysterio ac officium, oratio officii, ob identitatem mysterii, esset omittenda et, si alia non occurrat commemoratio *specialis*, duæ dicendæ sunt commemorationes communes (S. R. C., n. 3764[11]).

b/ Si missa votiva celebretur de Sancto vel Sanctis qui nominantur in oratione *A cunctis*, et hæc oratio pro commemoratione communi dicenda sit, præfata oratio vel recitatur tacito nomine dicti Sancti (4), vel ejus loco

---

(1) Ratio est quia non possunt dici duæ orationes de eodem. Jamvero prima oratio communis, in missis in quibus tres orationes dici debent, semper est vel de B. Maria V., vel *A cunctis* (in qua specialiter commemoratur B. Maria V.), vel de *Spiritu Sancto*.

(2) Cf. similia ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 228 s.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 446.

(4) Ita faciendum notatim de nomine S. Joseph statuit rubrica specialis in missa de S. Joseph votiva per annum pro feria IV.

dicitur alia similis oratio quæ inscribitur « ad poscenda suffragia Sanctorum » et incipit *Concede quæsumus* (1). Si celebretur missa votiva SS. Petri et Pauli, dicatur oratio *Concede nos*, de B. Maria V. (*Rub. gen*,, t. IX, 15). In votiva autem S. Familiæ aut Omnium Sanctorum, loco orationis *A cunctis* aut de B. Maria V. dicatur oratio de Spiritu Sancto.

Scholion de votiva privata in festo duplici celebrata.

Sedulo notandum est quasdam concedi votivas quæ natura sua privatæ sunt, gaudent tamen, ex indulto apostolico aut vi rubricarum, privilegio ut celebrari possint in festis duplicibus, diebus non exceptis.

Hujusmodi sunt quædam votivæ ex indulto speciali aliquibus Ordinibus religiosis aut particularibus ecclesiis concessæ. Hujusmodi est præsertim **missa votiva pro sponso et sponsa.**

Usque ad hæc ultima tempora solebant auctores illis missis applicare regulas supra statutas. Juxta recentiorem autem disciplinam, in nostro *Calendario liturgico* anni 1908 (p. 11 et 16, nota a) traditam, antiquo decreto 26 jan. 1793 (n. 2542) et pluribus aliis recentibus responsis (2) innixam atque ab auctoribus aliquibus jam propositam (3), missa votiva privata quæ celebratur in festo duplici aliquatenus induit naturam et sequitur regulas ritus duplicis, ita ut *non requirat tres orationes,* adeoque excludat commemorationes communes.

Unde quando *missa pro sponso et sponsa* celebratur in *festo duplici* dicendæ sunt successive: oratio propria votivæ (suprà n. 1), oratio officii currentis (n. 2), commemorationes speciales forte occurrentes (n. 3) et orationes votivæ late dictæ (v. g. imperata) (n. 5); sed

---

(1) Decret. S. R. C. 15 maii 1819, *Assisien.*, n. 2597 3.

(2) Cf. decr. S. R. C. 12 mai 1905, ad II (ap. *Ephem. liturg.*, 1906, p. 193), et 10 nov. 1906 ad II, 1°, (ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 220).

(3) Cf. *Ephem. liturg.*, 1904, p. 625; 1906, p. 157 ss., 489, 686 ss., 1907 et 1908, pluribus locis. Contrà vero *Ephem. lit.* 1905, p. 171; 1906, p. 410 ss.

nulla dici potest commemoratio communis (n. 3) aut votiva stricte dicta (n. 6). Si igitur in missa diei unica tantum dicenda est oratio, in missa votiva in casu duæ dumtaxat orationes dici possunt (1).

C. CALLEWAERT.

(1) Hoc sensu moderanda sunt quæ habent *Collat. Brug.*, t. V, p. 315 ss.

Législation Civile

MARIAGE.

§ I. Loi du 7 Janvier 1908 apportant des facilités à la célébration du mariage (1).

Article premier. — Les articles 66, 69, 71 et 75 du code civil sont modifiés comme suit :

Art. 66. — Les actes d'opposition au mariage seront signés sur l'original et sur la copie par les opposants ou par leurs fondés de procuration spéciale et authentique ; ils seront signifiés, avec la copie de la procuration, à la personne ou au domicile des parties et à l'officier de l'état civil de la commune où, d'après l'acte de publication, le mariage sera célébré.

Si le mariage doit être célébré en pays étranger, l'opposition pourra être signifiée à tout officier de l'état civil qui aura fait la publication.

L'officier de l'état civil mettra son visa sur l'original.

Art. 69. — S'il n'y a point d'opposition, il en sera fait mention dans l'acte de mariage ; et si la publication a été faite dans plusieurs communes, les parties remettront un certificat, délivré par l'officier de l'état civil de chaque commune, constatant la date à laquelle elle a été faite.

Art. 71. — L'acte de notoriété contiendra la déclaration faite par deux témoins, de l'un ou de l'autre sexe, parents ou non parents, des prénoms, nom, profession et domicile du futur époux et de ceux de ses père et mère, s'ils sont connus ; le lieu et, autant que possible, l'époque de sa naissance et les causes qui empêchent d'en rapporter l'acte. Les témoins signeront l'acte de notoriété avec le juge de paix et, s'il en est qui ne puissent ou ne sachent signer, il en sera fait mention.

Art. 75. — Le jour désigné par les parties après le délai des publications, l'officier de l'état civil, dans la maison

(1) Moniteur du 15 Janvier 1908, p. 218 s.

commune, en présence de deux témoins, parents ou non parents, fera lecture aux parties des pièces ci-dessus mentionnées, relatives à leur état et aux formalités du mariage, et du chapitre VI du titre du mariage, sur les droits et les devoirs respectifs des époux. Il recevra de chaque partie, l'une après l'autre, la déclaration qu'elles veulent se prendre pour mari et femme; il prononcera, au nom de la loi, qu'elles sont unies par le mariage et il en dressera acte sur-le-champ.

Art. 2. — La disposition suivante est insérée dans le code civil, après l'article 72:

Art. 72*bis*. — Si l'un des futurs époux est dans l'impossibilité de se procurer cet acte de notoriété, il peut y être suppléé, avec l'autorisation du tribunal, donnée sur requête, le ministère public entendu, par une déclaration sous serment du futur lui-même. Il est fait mention de cette déclaration dans l'acte de mariage.

Art. 3. — L'article 1er de la loi du 26 décembre 1891 est complété comme suit:

... Elle énonce, en outre, les jour, lieu et heure où elle a été faite, ainsi que la commune où le mariage sera célébré.

Art. 4. — Les alinéas suivants sont ajoutés à l'article 6 de la loi du 26 décembre 1891:

Dès le lendemain, il délivrera un certificat constatant la date à laquelle cette publication aura été faite.

Toutefois, si le mariage doit être célébré en pays étranger ou dans une commune autre que celle indiquée à l'acte de publication, le certificat sera délivré à l'expiration du délai de publication et il constatera, outre la date de la publication, qu'il n'existe point d'opposition.

Disposition additionnelle.

Art. 5. — Les mots « quatre témoins », inscrits dans les articles 149, 153 et 155 du code civil, ainsi que dans l'avis du conseil d'État du 30 mars 1808, sont remplacés par les mots « deux témoins ».

Le projet de loi déposé par Mr Woeste (1), en vue

(1) Texte et développements, v. *Documents Parlementaires*, 1906-1907. Chambre des Représentants, — nº 55.

de faciliter la célébration des mariages, avait un *double objet :*

Premièrement, il tendait à *diminuer le nombre de témoins* requis pour la célébration du mariage, et pour l'acte de notoriété, remplaçant l'acte de naissance de l'un des époux, au cas où cet acte n'aurait pas été dressé, ou aurait été perdu ou détruit.

Secondement, il proposait certaines mesures destinées à obvier aux retards fréquents qui résultaient de l'observation des articles 66 et 69 du Code civil, ainsi que des articles 4, 5 et 6 de la loi du 26 Dec. 1896, relatifs les uns et les autres aux *publications* et aux *actes d'opposition*.

Le projet, amendé par la section centrale (1), et par le gouvernement (2), a été, à part quelques modifications de forme, adopté, à l'unanimité sauf une abstention, par la Chambre des Représentants (3), et à l'unanimité des 72 membres présents, par le Sénat (4).

Nous nous bornerons à souligner et à justifier brièvement les principales dispositions de la nouvelle loi, en les groupant d'après le double objet auquel elles se rapportent.

1er Groupe.

Voici comment Mr Woeste développe et motive la première partie de son projet, relative *à la réduction du nombre des témoins :*

« L'art. 75 du Code civil exige quatre témoins pour la célébration du mariage, et l'article 71 sept témoins pour l'acte de notoriété destiné à remplacer l'acte de naissance de celui des époux qui serait dans l'impossibilité de se le procurer.

La présense de quatre témoins à la célébration d'un

---

(1) l. c., n. 143.

(2) l. c., n. 239.

(3) V. Discussion, *Annales Parlementaires,* Chambre des Représentants, 1907-1908, p. 33-43 et 122 s. — Séances des 20 et 28 Nov. 1907.

(4) V. Discussion, *Annales Parlementaires,* Sénat, 1907-1908, p. 178 s. et 186 s. — Séances des 19 et 20 Décembre 1907.

mariage constitue une exception à la règle générale qui ne réclame que deux témoins pour les actes de l'état civil et les actes notariés. Ce luxe de témoins engendre pour les ouvriers et les indigents de véritables entraves au mariage; souvent ils ne trouvent pas quatre parents ou amis qui consentent à perdre leur journée de travail, et alors ils sont obligés de prendre, moyennant salaire, des témoins d'occasion et de profession.

La disposition de l'article 71 qui exige la signature de sept témoins pour l'acte de notoriété n'est pas plus justifiable. Cet acte de notoriété est destiné à renseigner les prénoms, noms, profession et domicile du futur époux et ceux de ses pères et mères, s'ils sont connus, le lieu et, autant que possible, l'époque de la naissance et les causes qui empêchent d'en rapporter l'acte. Or, quant au nom, à la filiation et à la date de naissance du futur époux, ces indications résultent souvent de documents écrits, tels qu'inscription sur les registres de la population, de la milice ou des paroisses, sur les passeports, sur les livrets d'ouvriers, etc. Quant aux causes qui empêchent de rapporter l'acte de naissance, elles viennent d'ordinaire soit d'une omission dans les registres des actes de naissance, soit de la destruction ou de la perte de ces registres, faits qui sont toujours attestés par des déclarations écrites, émanées de l'officier de l'état civil. Dans ces conditions, l'attestation de deux témoins suffit amplement pour établir la notoriété. Au surplus, aucun abus n'est à craindre, puisque l'acte de notoriété, pour produire ses effets, doit être, aux termes de l'article 72, homologué par le tribunal qui ne se prononce qu'après avoir entendu le ministère public ».

La réforme proposée fut non seulement admise par les deux Chambres mais elle a même été étendue sous forme de disposition additionnelle, aux art. 149, 153 et 155 (1), ainsi qu'à l'avis du conseil d'Etat du

(1) Les articles cités se rapportent respectivement au cas où il y a impossibilité de constater le consentement de l'ascendant au mariage projeté; au cas où le père ou la mère, dont le conseil doit être demandé, n'a pas de demeure connue en Belgique; enfin au cas où l'ascendant est absent, que sa demeure est inconnue et que, depuis plus de six mois, il n'a plus donné de ses nouvelles.

30 Mars 1808 (1), où on a remplacé les mots « quatre témoins » — par les mots « deux témoins ».

D'autre part la Chambre et le Sénat, sur la proposition du gouvernement, ont jugé opportun de compléter le projet de loi Woeste, en tant qu'il concerne l'acte de notoriété. La loi prévoit notamment le cas où l'un des futurs époux est dans l'impossibilité de se procurer cet acte de notoriété : en vue de quoi on a inséré dans le Code civil, après l'art. 72, l'art. 72bis, qui permet de suppléer au défaut d'acte de notoriété, par une déclaration sous serment du futur lui-même, sauf à obtenir au préalable l'autorisation du tribunal, donnée sur requête, le ministère public entendu.

2e Groupe.

Antérieurement, aux termes de l'art. 66, les actes d'opposition au mariage pouvaient être signifiés à tous les officiers de l'état civil, qui doivent, en exécution de la loi du 26 Déc. 1891, faire la publication de mariage : la conséquence logique était que chacun de ces officiers de l'état civil, requis à cet effet, devait délivrer à l'officier de l'état civil appelé à célébrer le mariage, un certificat constatant qu'il n'existait pas d'opposition ; ce certificat ne pouvait donc être envoyé avant l'expiration du délai de la publication, c'est-à-dire pas avant le deuxième mercredi.

Or, comme l'observe Mr Woeste, « l'expérience démontre malheureusement que ces envois de réquisitoires et ces réexpéditions de certificats de non-opposition subissent très souvent de regrettables retards : tantôt un réquisitoire envoyé vers la fin de la semaine, arrive le samedi, après la fermeture des bureaux ; tantôt il s'égare, faute d'indication suffisante, quand il s'agit de communes ayant des noms indentiques, mais situées dans des arrondissements différents ; tantôt la publication est omise ou retardée par suite d'erreur ou

(1) Il s'agit de l'attestation de l'identité des majeurs, lorsqu'il y a impossibilité de se procurer les actes de décès.

d'oubli; parfois, enfin, la publication a été faite en temps utile, mais quelque circonstance fortuite ou quelque négligence occasionne un retard dans l'envoi ou dans la réception du certificat de non-opposition. Les futurs époux, comptant que ce certificat arrivera ponctuellement à l'expiration du délai des dix jours, fixent leur mariage au jeudi ou au samedi suivant; tous les préparatifs sont faits; mais au dernier moment, on s'aperçoit que le certificat de non-opposition n'est pas arrivé; le mariage est ainsi forcément ajourné ».

« Le préjudice atteint surtout les classes populaires; d'une part, les ouvriers, les domestiques et les petits employés changent fréquemment de domicile ou de résidence et sont obligés de faire procéder à la publication dans un domicile antérieur; d'autre part, leur mariage présente souvent un caractère d'urgence, soit à cause de leurs faibles ressources et de la difficulté pour eux de demeurer dans des logements distincts, soit à raison d'enfants à légitimer ou de naissances illégitimes à prévenir ».

Pour écarter ces inconvénients, la nouvelle loi stipule:

1°/ que les *oppositions* à faire aux mariages *qui seront célébrés en Belgique* ne devront plus, à l'avenir, être signifiées qu'au seul officier de l'état civil, chargé de procèder aux formalités du mariage.

C'est dans ce sens que sont modifiées les art. 66 et 69; c'est pourquoi aussi la publication, prescrite par l'art. 1r de la loi de 1891, enoncera désormais la commune où le mariage sera célébré: de cette façon les personnes qui désirent faire opposition au mariage sauront à quel officier de l'état civil elles doivent s'adresser.

2°/ Que, lorsqu'une publication aura été faite dans une commune autre que celle dans laquelle il sera procédé au mariage, l'officier de l'état civil est tenu de délivrer *dès le lendemain* un certificat constatant la date de la publication.

« Dans ce système, ajoute Mr Woeste, l'officier de l'état

civil requis par son collègue de procéder à la publication n'a plus à se préoccuper du point de savoir s'il y a ou non opposition; il peut, dès le lendemain de la publication, envoyer un certificat constatant l'accomplissement de cette formalité, tout en laissant l'acte de publication affiché pendant dix jours à la porte de la maison commune. De son côté, l'officier de l'état civil appelé à célébrer le mariage n'a qu'à vérifier si le délai de dix jours est écoulé depuis la date de la dernière publication; dès le premier mardi, il peut être en possession des certificats de publication et, dès lors, il n'y a plus de retard ou de surprise à redouter; les futurs époux peuvent d'une façon absolument certaine fixer la date de leur mariage ».

Ces deux dispositions s'appliquent, comme il a été dit, à l'hypothèse où le mariage sera célébré dans le pays. Que « si le mariage doit être célébré *en pays étranger*, l'opposition pourra être signifiée à tout officier de l'état civil qui aura fait la publication » : en d'autres termes la loi, en égard à la difficulté de s'adresser à l'étranger, maintient, dans ce cas, la faculté de faire opposition entre les mains de tout officier de l'état civil requis pour faire la publication.

Dans le même cas, par voie de conséquence, « le certificat sera délivré (comme avant) à l'expiration du délai de publication, et il constatera, outre la date de la publication, qu'il n'existe point d'opposition » (1).

***

§ II. Loi modifiant l'art. 37 du Code civil (2).

Lors de la discussion du projet de loi Woeste, Mr Carton de Wiart avait déposé un amendement, tendant à insérer, dans le texte de l'art. 75, que les

---

(1) Il en sera de même toutes les fois que le mariage doit être célébré dans une commune autre que celle indiquée à l'acte de publication.

(2) Moniteur du 15 Janvier 1908, p. 217.

deux témoins exigés pour la célébration du mariage pourraient être *de l'un et de l'autre sexe.*

L'amendement fut favorablement accueilli par la plupart des membres de la Chambre des Représentants, et voté en première lecture par 61 voix contre 14 et 9 abstentions, malgré l'opposition de Mr le Ministre de la Justice, qui avait opposé la question préalable. Mr le Ministre, tout en admettant la réforme en principe, faisait observer que le siége de la matière se trouvait à l'art. 37 du Code civil, lequel prescrit d'une façon générale de prendre dans le sexe masculin les témoins produits aux actes de l'état civil (1); il ajoutait que, si l'on faisait dorénavant une exception pour l'acte de mariage, il en résulterait un défaut d'harmonie dans les dispositions légales (2): bref, Mr Renkin désirait voir établir une règle uniforme, permettant aux femmes d'assister comme témoins, non seulement au mariage, comme le voulait l'amendement de Mr Carton de Wiart, mais à tous les actes de l'état civil.

Entre le vote en 1re lecture et le vote en 2e lecture, Mr Mabille, se ralliant à la façon de voir de Mr le Ministre, déposa une proposition de loi distincte, en vue de modifier l'art. 37 comme suit: « *Les témoins produits aux actes de l'état civil devront être agés de 21 ans au moins, parents ou autres, et ils seront choisis parmi les personnes intéressées. Le mari et la femme ne pourront être témoins dans le même acte* ».

La proposition fut appuyée par Mr le Ministre de la Justice: il fit observer que l'art. 37, portant exclusion des femmes est une pure innovation inspirée de l'esprit Napoléonien, il ajouta que, devant la commission de revision du Code civil, la modification du dit article,

---

(1) « Les témoins produits aux actes de l'état civil ne pourront être que du sexe masculin ».

(2) Cf. Rapport du Comte Goblet d'Alviella, *Documents*, Sénat, 1907-1908, n. 24, p. 100. s.

dans le sens de la loi actuelle, fut discutée et écartée à une seule voix de majorité (1).

La modification proposée fut adoptée à l'unanimité, par la Chambre, dans la séance du 28 Nov. 1907, et par le Sénat, dans la séance du 20 Décembre de la même année; elle reçut la sanction royale le 7 Janvier suivant.

Le texte de la loi est suffisamment clair pour que nous puissions nous dispenser de tout commentaire: aussi les rapporteurs se sont-ils contentés de justifier l'exception, introduite dans le texte, et d'après laquelle il est interdit au mari et à la femme d'être témoins dans le même acte. « Si l'on ajoute, dit Mr Goblet d'Alviella, que le mari et la femme ne pourront être témoins dans le même acte, ce n'est point sans doute qu'on craint l'influence prépondérante du mari, mais plutôt par un hommage à la pensée que dans le mariage l'homme et la femme ne font qu'un ou ne devraient faire qu'un: il s'agit de maintenir la garantie que présente l'attestation d'au moins deux personnes ayant des intérêts distincts ».

A. De Smet.

---

(1) Mr Renkin, en appela même aux lois canoniques qui ne refusent pas (si nous ne tenons compte que du droit commun) aux femmes la faculté d'assister comme témoins au mariage religieux.

Miscellanea

I

Circa Triduum eucharisticum.

In epistola ad clerum d. d. 12 februarii 1908 *præscribit* Rev^mus Episcopus Brugensis ut, juxta vota SS. D. N. Pii Pp. X, per litteras S. C. Ind. d. d. 10 aprilis 1907 (1) expressa, « ad frequentem imò quotidianam communionem promovendam, in ecclesia Cathedrali Nostra et *in singulis ecclesiis parochialibus* diœcesis Nostræ *quotannis* celebrentur triduanæ supplicationes juxta ordinem præfatis litteris S. C. descriptum ». Ut autem nullum dubium remaneat circa mentem suam, addit Rev^mus Episcopus: « Ante finem cujusque anni RR. DD. Parochi ad Nos referent quo tempore et quocum successu illud triduum sacrum in sua ecclesia fuerit celebratum ».

Ut fiat satis nonnullorum postulationi, quædam juvat notare de celebrando præfato triduo.

1. Circa indolem ejus ac methodum.

Præprimis peragi debent triduanæ *supplicationes*, ut np. « christiani populi *assiduis* precibus *una simul* effusis dulcissimam Deo vim inferant », in ordine ad propagandum usum frequentis imo quotidianæ communionis (2). Ulterius instituenda est triduana *prædicatio*, qua populus christianus doceatur, signanter doctrinam decreti *Sacra* 20 decembris 1905 *de quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione* (3).

Per triduum igitur est *orandum* oratione assidua et communi et *prædicandum :* quæ indoles opportune indi-

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 430 ss.
(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 299.
(3) Cfr. *ibid.*, p. 300 ss., 581 ss.

cabitur populo christiano, quando nuntiabitur triduum in ecclesia parochiali celebrandum. Porro sacerdotes, quibus cordi est ut istud felici cum successu celebretur, speciali diligentia orabunt ipsi et invitabunt pias sanctimoniales necnon pueros et puellas in scholis degentes ad assiduas preces ante et per triduum ad Cor Jesu fundendas. Quod prædicationem attinet, ad solemnitatem utique et efficaciam id conferre potest quod fiat ab extraneo, puta religioso; at, præterquam quod forte non sufficerent regulares huic prædicationi faciendæ in singulis parochiis, præsertim si eodem fere tempore celebretur triduum, utile esset ipsis sacerdotibus ministerio animarum addictis, si ipsi prædicarent. Verissime enim dicit S. Franciscus Salesius: « La bonne façon d'apprendre, c'est d'étudier, la meilleure c'est d'écouter, *et la très bonne c'est d'enseigner* » (1). Hac itaque prædicatione præparata ac peracta clarius edocti ac intimius persuasi, fiet ut etiam post Triduum « christianum populum ad hunc tam pium et salutarem usum *crebris admonitionibus multoque studio cohortentur* » (Decr. *Sacra* cit., sub 6°).

Methodus accurate describitur in præfatis litteris S. C. Indulg.: np. « *singulis diebus sermo habebitur,* quo populus edoceatur de ineffabili Eucharistiæ præstantia, et *potissimum de animi dispositionibus ad illud rite suscipiendum* ». Potissimum igitur explicanda est altera pars decreti *Sacra,* quæ continet ea quæ statuit ac declaravit S. C. C. circa usum frequentis ac quotidianæ communionis. In concione pomeridiana diei tertiæ oratores excitabunt fideles « *speciatim ad frequentiorem cœlestis Convivii participationem* », urgendo præsertim desiderium Christi et necessitates fidelium. Sub missa mane celebrata, fiet concio, qua populus disponatur ad communionem generalem; quodsi postrema dies sit dominica infra octavam solemnitatis Corporis Christi,

(1) *Introduction à la vie dévote.* Préface.

habenda est a parocho homilia de Evangelio ejusdem dominicæ, quod optime consonat decreto explanando. Hic supponunt præfatæ litteræ missam parochialem celebrari mane diluculo, contra morem apud nos vigentem; ideo tamen ne omittatur quod est præcipuum in ista ordinatione, nimirum communio generalis et concio ei prævia.

Singulis autem diebus, expleto sermone, publicæ venerationi exponatur SS. Eucharistia (nisi exercitium fiat sub laudibus SS. Sacramenti), eaque coram recitabitur oratio: *O dulcissime Jesu* etc. Hæc opportunius recitabitur e suggestu, quatenus facilius populus una simul orare possit (1). Dein vero, post cantum hymni *Tantum ergo* (cum versiculis et Oratione), cui præmittatur *Te Deum* postrema die, populo Benedictio SS. Sacramenti elargiatur.

2. **Circa tempus.**

Ita statuit Rev^mus^ Episcopus, ad tramites præfatarum litterarum: « Ad illud triduum seligantur feria VI, sabbatum et dies Dominica infra octavam solemnitatis Corporis Christi, ubi commode fieri poterit: secus, alio anni tempore, judicio Parochi (non tamen occasione *Adorationis perpetuæ*) celebretur, modo dies Dominica sit exercitiorum ultima ». Hæc restrictio additur propter communionem generalem, ad quam facilior populo christiano præbeatur concursus; alia additur restrictio: non tamen occasione *Adorationis perpetuæ*, ne simpliciter celebretur more consueto Adoratio perpetua et sic triduanæ supplicationes suo fine frustrentur, quippe quæ sunt instituendæ, ut ait Rev^mus^ Episcopus, *ad frequentem imo quotidianam communionem promovendam*.

Attamen post datam hanc præscriptionem circa tempus celebrandi triduum, *pro gratia* concessit SS. D. N. Pius Pp. X in audientia d. d. 26 februarii 1908 « ut

---

(1) Prostant exemplaria flandrice ac gallice edita apud Lescrauwaet, Oudenburgstraat, 29, Brugis, pretio 1,50 fr. pro 100.

dies ad celebrandas supplicationes triduanas de quibus agitur in Litteris S. Congregationis Indulgentiarum diei 10 aprilis 1907 *relinquantur ad arbitrium Episcopi,* in diœcesibus quæ Adorationis perpetuæ ad modum quadraginta Horarum piam praxim custodiunt, et fideles nihilominus indulgentiis in prædictis Litteris concessis frui valeant ». Supplicandum igitur esset Episcopo, ut in casu particulari permittat triduum celebrari immediate ante hunc diem Adorationis perpetuæ, ita ut hic sit postremus exercitiorum. At tunc cavendum, ut monebamus supra, ne triduanæ supplicationes frustrentur fine suo.

3. **Circa indulgentias** cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 433, coll. p. 776.

II

Circa indulgentiam toties quoties mense junio lucrandam.

Nuperrime prodierunt cura Emin. Cardinalis GENNARI (1) declarationes ex audientia SS. D. N. Pii Pp. X die 26 januarii 1908, prout sequitur (2):

1° Quomodo debeat intelligi celebratio solemnis dicti mensis.

2° Utrum conclusio præfati mensis debeat poni, propter uniformitatem et majorem concursum fidelium, in ultima Dominica Junii.

3° Utrum concessiones extraordinariæ possint acquiri etiam per celebrationem mensis in Oratoriis semipublicis Seminariorum, Communitatum Religiosarum et aliorum locorum piorum.

4° Utrum dictus mensis, ob quodvis rationabile motivum, possit celebrari, sicut in mense Junio, in alio mense, cum privilegio earumdem concessionum.

SS. D. N. Pius Pp. X ad proposita dubia responderi jussit prout sequitur:

Ad 1° Mensem Sacratissimo Cordi dicatum celebrari de-

(1) *Il monitore ecclesiastico,* t. XIX, p. 540.

(2) Dubia fuere proposita sermone italico, resoluta latino.

bere cum sacra prædicatione aut quotidie, aut saltem ad formam Spiritualium Exercitiorum per octiduum.

Ad 2° Affirmative.

Ad 3° Affirmative.

Ad 4° Affirmative ex æqua causa et præhabita permissione Episcopi.

Adnotationes.

Ad 1m. Hæc declaratio sane maximi est momenti: non censentur privilegiata ecclesiæ vel oratoria, nisi in eis facta fuerit sacra prædicatio mense junio *vel quotidie vel saltem per octiduum continuum*. Mens igitur Sanctitatis Suæ atque votum est, ut mensis SS. Cordi Jesu dicatus celebretur sicut in nostris regionibus solet celebrari mensis Marianus; et sane decet ut mensis SS. Cordis Jesu non minori solemnitate recolatur ac mensis Mariæ. Opportune, ut videtur, hoc anno seligetur octava Corporis Christi, ut per sacram prædicationem præparetur populus fidelis ad festum SS. Cordis Jesu et deinde ad indulgentiam *toties quoties* lucrandam in ultima Dominica mensis. Nihil porro impedit quominus infra eamdem octavam agatur triduum eucharisticum juxta ordinem supra descriptum. In collegiis atque convictibus puellarum facile poterit per idem octiduum institui prædicando meditatio matutina in oratorio.

Ad 2m. Adverte quod conclusio mensis jam *debeat* fieri in ultima Dominica. Ex contextu autem satis patet huic Dominicæ, non vero, sicut anno elapso, diei 30 junii, esse affixam indulgentiam *toties quoties* lucrandam. Censemus, quum non sit eadem ratio, privilegium altaris Gregoriani *ad instar* manere adnexum missæ diei 30 junii, favore prædicatorum mensis SS. Cordis necnon rectorum ecclesiarum vel oratoriorum, ubi pium exercitium mensis junii fuerit solemniter celebratum (1). Quales autem censeantur *prædicatores* isti, ex responso ad 1m facile nunc intelligitur.

H. Mahieu.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 359.

Fabriques d'églises.

Séance légale du mois de juillet. — Jurisprudence en matière de budget.

I. Au 1er dimanche de juillet, les conseils de fabrique se réuniront en séance légale, en vue principalement de discuter et de voter le budget préparé, à la diligence du trésorier, par le bureau, dans sa réunion mensuelle du mois de juin. La justification de chaque article se fait, s'il s'agit de dépenses ordinaires, par les comptes antérieurs, la notoriété des prix des objets, les bordereaux des marchands ; s'il s'agit de dépenses extraordinaires par les devis d'évaluation des ouvrages (1). Nous rappelons encore qu'au budget doit figurer un crédit spécial pour l'achat des nouveaux livres liturgiques de chant : les *cantus Missalis Romani* et le *Graduale* qui ont paru. Plusieurs maisons d'édition ont déjà publié le Missel avec le chant de l'édition vaticane, qu'on peut du reste se procurer en fascicule séparé.

II. Certaines décisions de la jurisprudence administrative supérieure, prises en matière de budget depuis juin 1907, méritent d'être notées.

Divers arrêtés royaux ont maintenu au budget, contrairement aux décisions de la Députation permanente, des allocations inscrites aux articles suivants des dépenses : 16 *(entretien de la lampe du S. Sacrement)* (2), 20 *(électricité pour le moteur de l'orgue)* (3), 21 *(traitement*

(1) *Collat. Brug.*, Index alphab.-analyt. tom. I-X. Index specialis III, Droit civil-ecclésiastique, vo *Comptabilité*, budget ; coll. t. XI, p. 393 s.; t. XII, p. 415 s.

(2) A. R. 28 août 1907, *Moniteur*, 5018.

(3) A. R. 26 août 1907, *ibid.*, 4737.

des enfants de chœur) (1), 21 *(traitement de l'employé du bureau)* (2).

Cet employé est l'aide-trésorier, chargé du travail matériel de la comptabilité sous la surveillance du trésorier (3).

Il résulte d'un ar. roy. en date du 23 mai 1907 (4) que *les frais de procession et du mois de Marie* doivent figurer au n° 50 et non au n° 6b des dépenses.

Un ar. roy. du 10 juin 1907 (5) rejette le recours d'un conseil de fabrique contre un arrêté de la Députation permanente, en tant qu'il a supprimé une allocation de 70 francs inscrite en dépenses à l'art. 11b *(jubilé de l'Immaculée Conception)*. Nous croyons que c'est à tort. Ce crédit se justifie tout aussi bien, que ceux qui sont affectés à la célébration du mois de mai et juin, aux processions etc.

A. De Meester.

---

(1) A. R. 27 mai et 29 juillet, 1907, *ibid.*, 2800, 4029.

(2) A. R. cité du 28 août 1907.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, t. II, n° 1053, p. 344.

(4) *Moniteur*, 2736.

(5) *ibid.*, 3038 s.

E Suprema Congr. Sancti Officii

Decretum quo Sacerdos A. Loisy nominatim et personaliter excommunicatur ac proinde vitandus declaratur.

Sacerdotem Alfredum Loisy, in diœcesi Lingonensi in præsens commorantem, plura et verbo docuisse et scripto in vulgus edidisse quæ ipsamet fidei christianæ potissima fundamenta subvertunt, jam ubique compertum est. Spes tamen affulgebat eum novitatis magis amore quam animi pravitate fortasse deceptum, recentibus in ejusmodi materia Sanctæ Sedis declarationibus et præscriptionibus se conformaturum; ideoque a gravioribus canonicis sanctionibus hucusque temperatum fuit. Sed contra accidit: nam, spretis omnibus, non solum errores suos non ejuravit, quin imo, et novis scriptis et datis ad Superiores litteris, eos pervicaciter confirmare veritus non est. Quum plane igitur constet de ejus post formales canonicas monitiones obfirmata contumacia, Suprema hæc Sacræ Romanæ et Universalis Inquisitionis Congregatio, ne muneri suo deficiat, de expresso SS^mi^ Domini Nostri Pii PP. X mandato, sententiam majoris excommunicationis in sacerdotem Alfredum Loisy *nominatim* ac *personaliter* pronunciat, eumque omnibus plecti pœnis publice excommunicatorum, ac proinde *vitandum esse* atque ab omnibus *vitari debere,* solemniter declarat.

Datum Romæ ex Ædibus S. Officii die 7 Martii 1908.

L. ✠ S.

PETRUS PALOMBELLI,
S. R. et Univ. Inquisitionis Notarius.

Consultationes

I

Q. Nupturiens coram me parocho confitetur sese olim carnaliter cognovisse matrem sponsæ; audiens illum infra mensis spatium esse nupturum, cum ipso, vi facultatis anno 1896 parochis diœceseos Brugensis factæ (1), dispensavi super impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ. Postea anceps hæsi utrum præsto fuerit casus urgens, qui ad exercitium dictæ facultatis requiritur, ac postulare velim 1° num valida fuerit illa dispensatio; 2/ si negative, an nunc, instante infra hebdomadam matrimonio, novam dispensationem, vi ejusdem facultatis, impertiri valeam; 3/ utrum valori hujus novæ dispensationis, in quantum concedi potest, non officeret quod deinceps, post illius executionem, præter exspectationem, nuptiarum celebratio differatur.

Hac occasione opportunum foret quartum etiam solvere dubium spectans usum facultatis dispensandi, ab Episcopo Brugensi nuper datæ confessariis, de qua apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 407 ss.: utrum nempe confessarius, affinitatis vel criminis impedimentum detegens in confessione pridiè manè ante nuptias instituta, hac facultate uti queat, quando quidem ad Episcopum potest recurri, sed non aliter quam per litteras vulgò « *exprès* » nuncupatas.

Respondetur:

Ad 1m. Invalida fuit dispensatio a consulente parocho impertita, cum, juxta exposita, non obtinuerit conditio a cujus verificatione pendet dispensandi facultas subdelegata: spatium namque integri mensis præsto erat, nec adeo deerat tempus recurrendi ad S. Sedem, ad

(1) *Collat. Brug.*, t. I, p. 381 ss.

quem recursum sufficit spatium trium circiter hebdomadarum (1).

Ad 2m. Siquidem, momento quo parochus advertit suam præposteram agendi rationem ac nullitatem detegit a se impertitæ dispensationis, omnia censentur ad nuptias parata, nec tempus suppetit adeundi S. Sedem, nihil impedit quominus tunc utatur apostolica facultate accepta.

Sufficit namque ad legitimum facultatis exercitium quod *hic et nunc* obtineant conditiones requisitæ, nominatim urgens necessitas; nec ullatenus exhausta est facultas per ejusdem illegitimum usum præcedentem.

In hunc finem oporteret ut pænitens ad confessionem rursus accedat; et in actu sacramentalis pœnitentiæ iterum dispensetur, consuetis servatis cautelis, impositaque de novo pœnitentia salutari (2). Quodsi prævidetur nupturientem ad Sacramentum Pœnitentiæ ægre esse reducendum, melius foret dispensationem impetrare ab Episcopo, qui posset eam extrasacramentaliter concedere, ita ut satis esset illam, cum injuncta pœnitentia, extra forum sacramentale communicare.

Quomodocumque autem dispensationi provideatur, peculiariter attendenda est, in casu, clausula, in indulti Apostolici tenore inserta: « firma manente conditione quod copula, habita cum matre mulieris, hujus nativitatem non antecedat ».

Ad 3m. Altera hæc dispensatio, positis ponendis concessa, valet et manet validè elargita, licet deinceps

---

(1) Plerumque ocius accipitur rescriptum Romanum in Cancellariis Episcopalibus; tutò tamen potest haberi casus uti urgens, quotiescumque infra assignatos temporis limites matrimonium est celebrandum: ad hoc enim ut casus non urgeat, debet adesse tempus *certò sufficiens* ad recursum Romanum, eumque talem qui *ab ipso confessario* instituatur privatim, absque Cancellariæ episcopalis intermedio; qui recursus privatus majori dilationi est obnoxius.

(2) Pœnitentia in priori dispensatione imposita ac adimpleta non excusat a nova imponenda; ast prior pœnitentia, si nondum est peracta, non obligat, sed sola altera.

matrimonium præter exspectationem differatur; locus est nempe applicandi adagium: quod factum est infectum fieri nequit.

Ad 4m. In casu proposito non posset confessarius descripta facultate uti. Revera facultas non suppetit nisi in quantum « *omninò desit tempus ad Ordinarium recurrendi* »: non censetur autem illud tempus deesse si potest ab Episcopo facultas obtineri per mediam epistolam *exprès*.

Equidem concessimus, apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 408, locum esse facultatis usui si alia via ad Episcopum recurri nequit quam via telegraphica; ast negatur paritas, cum iisdem incommodis non sit obnoxius recursus de quo in dubio: secus namque ac in recursu telegraphico, facillimè exprimi possunt, tam in supplica quam in dispensationis rescripto, omnia quæ juxta stylum curiæ sunt exponenda, nec periculum est suspicandi petitionis et responsi authentiam; solum etiam recursum telegraphicum de regula generali reprobavit S. Sedes, die 10 Dec. 1891 (1).

Neque a recursu ad Episcopum excusat, uti suggerit laudatus consulens, fundatus timor ne nupturiens renuat, ante matrimonium sequenti die celebrandum, ad confessionem redire, ut episcopalis dispensationis executionem accipiat: solet namque Ordinarius Brugensis, juxta modò notata, dispensare in forma gratiosa, adeo ut dispensationis gratia non sit amplius a confessario fulminanda, sed sufficiat eam, cum pœnitentiæ injunctione, extra confessionem communicare (2).

A. De Smet.

---

(1) *N. R. th.*, XXIV, p. 33 s.

(2) Imo gratiæ communicatio, cum non requiratur nisi ratione acceptationis ad valorem necessariæ, uti ostendimus apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 554 ss.), stricto jure non esset facienda, quotiescumque pœnitens, monitus de dispensatione petenda eique non contradicens, eam æquivalenter acceptaverit: satis esset prævie ad nuptias pœnitentiam injungere.

II

Quær. Apud *Collat. Brug.*, t. XII, pp. 240 ss. exponitur ratio et radix malitiæ ejusdemque gravis actuum non consummatorum libidinis. *Quæritur* utrum ex ibidem dictis p. 247, deduci possit actus non consummatos libidinis apud pueros et adolescentes, ignaros quid sit actus consummatus, non esse mortaliter peccaminosos.

Resp. I/ Conclusionem quæ in expositis innuitur, plane immerito ex data doctrina quis deduceret. Optime enim distinguendum est inter peccatum quale existit *objective* seu *materialiter*, et peccatum quale *subjective* seu *formaliter* contrahitur. Dicitur nimirum pueros et adolescentes de quibus ibi quæstio est, a peccato mortali *excusari* propter ignorantiam. Unde evidenter supponitur dictos actus venereos esse quidem *objective* peccata mortalia, sed tamen de facto dictos pueros *subjective* non incurrere culpam gravem, seu *excusari* ab illo peccato gravi quod objective committunt. Sicut legitime diceres eum qui ignorat quid significet ipsa pollutio et actum hanc procurandi esse grave peccatum, talem actum ponendo de facto subjective non incurrere culpam gravem, adeoque excusari a gravi propter ignorantiam. Cæteroquin ab ipso exordio Moniti III[i] ponitur *assertum generale,* minime restrictum ad eos qui sufficientes notiones physiologicas callent, actus non consummatos libidinis esse peccata mortalia. Ipsum quoque *argumentum*, pp. 244 ss., tale est quod probet actus non consummatos libidinis *quosvis* esse objective peccata gravia.

Quod ut pateat, liceat laudatum argumentum compendiose resumere, ut appareat falso intellectui inniti conclusio in consultatione exposita.

Et *notari* quidem potest imprimis actus non consummatos sine ullo dubio graviter peccaminos existere, si eos ponens intendit ipse, *fine operantis* ad actum consummatum illicitum de facto transire; quod idem est

dicendum in casu quo adest *periculum proximum* ad *actum* consummatum transeundi; nec minus affirmandum est actus non consummatos posse graves esse ex eo quod ex illis prævidetur *effectus*, puta pollutio, per se secuturus et sub gravi vitandus (de qua re cfr. Ill. Waffelaert, *De Prud.*, *Fort. et Temp.*, pp. 280 ss.). Ast non de his omnibus procedit doctrina, sed eo tendit ut, *abstrahendo ab omni positivo fine operantis, et ab omni periculo ulterioris actus aut effectus*, nihilominus demonstret gravem malitiam actuum non consummatorum libidinis, i. e. in quibus quæritur vel voluntarie admittitur delectatio venerea illicita (1).

Quod sic *probatur* pp. 244 ss.: Peccatum grave est voluntarie habere affectum suum inclinatum ad actum consummatum luxuriæ; qui autem exercet actus non consummatos libidinis, quidquid fine positivo operantis intendat vel excludat, imo etiam si ignoret quid sit actus consummatus, semper tamen dicendus est voluntarie habere affectum suum inclinatum ad actum consummatum luxuriæ.

Dicitur 1/ *quidquid fine positivo operantis intendat vel excludat:* Etenim actus non consummati libidinis, *natura sua* seu *secundum se* sunt mali, et non tantum ex positivo fine operantis. Et revera tactus, oscula, etc. ut libidinosa, id est ut habentia sibi annexam delectationem veneream, *natura sua* seu *secundum se* sunt

Neque solummodo qua directe ad æternam salutem ordinata est, sed ad præsentem quoque vitam proficua ac utilissima dici debet fides, imo vero necessaria. Nam, quot homines, absque fide, in summis tenebris ignorantiæ versarentur; quot etiam veritates, non modo supra vel præter rationis nostræ modulum eminentes, sed mere naturales vel ipsi sapientes ignorarent, aut saltem absque certitudine et claritate attingerent, et non solum molesta dubitatione sed et multiplici errore in rebus scitu maxime necessariis vexarentur!

Quid, sine fide christiana, quid esset convictus humanus, quid familia, quid respublica? Conferre sufficit cum christiani populi moribus, qui apud Ethnicos, litteris artibusque licet humanis excultissimos, olim viguere mores, et qui nunc apud barbaras gentes, quibus nondum illuxit Christi fides, horrendi conspiciuntur, ut uno quasi ictu oculi fidei pretium absque ulla hæsitatione agnoscamus.

*
* *

His præ oculis habitis, pastoralis vigilantia maxime excitatur ut accepto a Christo munere docendi: *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare quæcumque mandavi vobis*, ut, inquam, munere docendi, tamquam præcipuo, urgentissimo,

(1) *Ad Hebræos*, XI.
(2) *Sess.*, VI, cap. 8.

quam diligentissime fungatur, ut in prædicationibus omnibus, semper et ubique, præprimis *doceat*. Etenim, fides cum ignorantia non consistit, et jure merito existimamus multo plures, non tantum infimæ sortis sed cujusvis conditionis homines, ignorantia magis quam impietate a fide alienos manere vel ab eadem in baptismo accepta deficere. Præterea ad idem docendi munus pertinet, non tantum catechizando et concionando, in scholis, in variis conventibus juvenum, aliorumque fidelium, in ecclesiis, sacram fidei doctrinam docere atque prædicare, sed etiam scriptis et concionibus apologeticis eamdem tueri, propugnare, adversus hostium calumnias defendere. Ad idem munus pertinet scripta hujusmodi apologetica, diaria quoque catholica, quam latissime possumus, vulgare et in publicum spargere.

Ad hunc usque diem, in pluribus jam civitatibus, a sacerdotibus tam sapientibus quam zelosis, Nobis summopere id probantibus, conciones et collationes apologeticæ habitæ sunt, et circuli seu comitia quædam, præsertim in christianis sodalitatibus, instituta, in quibus electi juvenes et viri docentur et ad fidei defensionem instruuntur. Quæ quidem summa laude digna, ut ad plures civitates et oppida extendantur magnopere optandum est.

Et, cum magis in dies defensio fidei urgeat, jam cogitavimus, consentientibus in idipsum omnibus Reverendissimis Belgii Episcopis, quædam pecularia adminicula adhibere, quibus facilius et efficacius optatum finem defensionis ac conservationis fidei apud populum nostrum consequi valeamus; utque apologetici hujusmodi cœtus tum multiplicentur, tum inter se vinculo quodam colligati, unitis magis viribus, suis studiis incumbant, se invicem adjuvent, validius ad intentum finem cooperentur. Atque, quod maximi momenti est, in propagandis scriptis apologeticis et diariis catholicis, idem sit omnium studium, cooperante toto Clero, communia quoque et fortiora sint adjumenta et adminicula.

Ideo concilium aliquod sacerdotum constituimus, quod et scriptis exarandis, et concionibus habendis, et pecuniis colligendis, viisque elegendis aptissimis propagandi scripta ac diaria præsit, simulque cum aliarum diœcesium designatis sacerdotibus communicet.

Itaque rogamus vos, Rev. adm. ac dilectissimi Domini,

ut illorum sacerdotum qui jam cum pluribus vestrum, Nobis hortantibus, collocuti sunt, cooperationem benigne suscipere et omni, qua polletis, auctoritate, omni qua valetis ope atque opera, eorumdem conatus ac laborem quam validissime tueri et adjuvare velitis.

*
* *

Hæc sunt quæ præ cæteris vobis in hoc cœtu proponere volebamus. Cum tamen pastoralis cura utrumque prosequitur, videlicet, tum fidem tum mores christianos tueri, unum addimus, quod mores populi nostri recta attingit, quodque, consentientibus omnibus, et cogente ipsa rei evidentia, urgentissimum quoque est.

Scilicet agere cupimus paucis de impugnatione rursum alcoolismi, seu potius nimiæ compotationis: nam, si cæterorum liquorum inebriantium usum jam paulatim decrescere gaudemus, cereviziæ tamen abusus et immanis compotatio longe abest quin sint imminuta.

Vix quidem necesse est zelum Cleri nostri hac in parte excitare, cum et exemplo suo sobrietatis ac abstinentiæ, et hortationibus suis omnique labore apostolico hanc pestem aggreditur extirpandam. Opportunum nihilominus videtur, quod sæpe diximus duobus verbis iterum inculcare. Videlicet, primo, hanc esse radicem fere unicam omnium malorum in populo nostro, cæterum sensu religioso christianisque moribus rite imbuto; hunc esse hostem corporum atque animorum infensissimum, hostem domesticum et publicum, qui et singulis innumerorum peccatorum origo existit, et familiis exitio est. Unde sequitur secundo, inter opera socialia, ut vocari solent, nullum esse quod magis promoveri urgeat quam impugnationem hujus detestabilis abusus.

Igitur iterum iterumque appellamus dilectum Clerum nostrum, ut novo conatu unitisque viribus bellum indicat huic nefario hosti; neque unquam animo despondeat, idque eo vel minus quod jam hinc inde clades eidem hosti inflixerit et spes affulgeat majoris victoriæ.

Ad hanc obtinendam utamur tum cæteris, tum spiritualibus armis, nempe oratione, exercitio virtutum sobrietatis, abstinentiæ, mortificationis, quo et Deum placemus ipsi, et cæteris simul exemplo simus.

Neque audiamus qui zelo nostro contradicere videntur, quatenus inefficacem fore proclamant, donec publica auctoritate legislatoris frænum abusui imponatur, minuendo numerum tabernarum, aliaque remedia legalia adhibendo. Nam, abstrahendo ab his remediis, sane optandis, conatus omnis ut virtute sobrietatis animos, præprimis juniorum, imbuamus, profecto vim suam totam conservat atque exserit; sed et hoc attendendum est, legislatoris potius inefficacem fore interventum, imo vix exspectandum esse ut leges ferre possit, nisi prius animi moresque populi immutati fuerint in melius.

Reverendi ac dilectissimi Domini, hæc vobis meditanda, Clero et populo vobis commisso sæpius explicanda, zeloque tandem vestro procuranda et opere complenda, opportunum duximus hac brevi concione vobis proponere; cui finem imponendo Dominum obsecramus ut Vobis, cunctisque conatibus vestris ad suam gloriam salutemque animarum promovendam effusa bonitate ac misericordia benedicere dignetur.

***

Quum Rev^mus^ Dnus dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. sententiis, a Rev^ma^ sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

Vi facultatis Apostolicæ dispensamus cum operariis laborandi causa ad exteras migrantibus super *lege abstinentiæ*, pro tempore quo a patria aberunt.

II.

Attendant Parochi ad præscriptum decreti *Ne temere* a S. C. C. editi die 2 Augusti 1907, sub IX, § 2: « *Si conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.* » — Ad obviandum oblivionis periculo statuimus ut ista transmissio fiat *infra biduum* a contracto matrimonio. Fiat autem mediante curia episcopali si parochus baptismi alienæ sit diœceseos; atque in omni notitia matrimonii transmittenda notetur *dies* baptismi suscepti.

III.

Volumus ut in fine *formæ describendi conjugatos in libro matrimoniorum* addatur utrum necne benedictionem nuptialem sub missæ celebratione receperint.

IV.

Crescente indies numero conjugatorum qui separatim vivunt, necesse ducimus Parochis et Confessariis in memoriam revocare disciplinam Ecclesiæ huc spectantem. Cum videlicet res *fori etiam externi* agatur, extra casum *adulterii publici ac notorii*, causa est deferenda ad Ordinarium, cujus est de sufficientia rationis allatæ judicium ferre ac separationem a thoro et cohabitatione permittere. Possunt tamen in diœcesi Nostra Decani eamdem separationem *provisorie* permittere pro fidelibus sui districtus, cum relatione ad Ordinarium, si infra duos menses non fuerint reconciliati (1). Parochi est causam instruere, non vero judicialiter dirimere (2).

V.

Mens nostra est ut tempore exercitiorum spiritualium quovis die S. Communio præbeatur exercitantibus ad sacram synaxim accedere cupientibus.

VI.

Servetur usus Neocommunicantes uno mense post primam communionem convocandi ut iterum *conjuncti solemniter* ad sacram mensem accedant. Attamen minime prohiberi possunt isti pueri ne interim communicent *singuli*. Optandum quoque est ut non modo singulis mensibus deinceps sed et singulis quindenis ad sacramenta suscipienda convocentur.

VII.

Rudimenta fidei catholicæ juxta formulam in *Libro manuali* p. 1 ss. descriptam non tantum sub Missis privatis sed etiam

---

(1) Cfr. Stat. diœc. p. 69.
(2) Cfr. *Collationes Brugenses*, T. I, p. 635 ss.

sub summo Sacro e suggestu prælegantur. Fiat autem illa lectio lente et digne, nec voce mere recitantis sed instruentis et quasi inculcantis, ita ut auditorum attentio excitetur et sustineatur.

VIII.

Iterum atque iterum monemus omnes ecclesiarum rectores ut advigilent ne pro sacrificio Missæ adhibeatur materia indebita, signanter vinum quod non est de vite: ideo consulimus ut potius vinum ad hunc usum sacrum destinatum emant apud religiosos aut moniales qui propria manu uvas exprimunt.

IX.

Stadia Exercitiorum spiritualium, ad quæ dilectum Clerum impense invitamus, hoc anno erunt tria:

1m Brugis, Dominica, 16 Augusti, hora VII vespertina.

2m Poperingis, Dominica 23 Augusti, hora VII vespertina.

3m Rollarii, Dominica, 13 Septembris, hora VIII vespertina.

Non omittant RR. DD. Exercitaturi, *datis litteris* ad Superiorem domus, in qua Exercitia obire cupiunt, locum postulare, quindecim ante Exercitia diebus, quatenus nomina eorum catalogo adscribi valeant. Mens autem nostra est ut nullus exercitantium, absque causa a præside probata ejusque licentia, discedat ante completum ultimum sacri secessus exercitium.

Brugis, 15 Junii 1908.

† G. J., Episc. Brugen.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. *Interpretare Mt XI, 16-19.*

R. *16. Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris ludentibus in foro: qui clamantes coæqualibus 17 dicunt: Cecinimus vobis, et non saltastis: lamentavimus, et non planxistis. 18 Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt: Dæmonium habet. 19 Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum, et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis.*

Prænota. Hæc verba quæ reprehensionem seu vituperationem sonant, occurrunt in pericopa qua Christus præcursorem Joannem Baptistam encomiis extollit (*Mt* XI, 7-19; *Lc* VII, 24-35). Continuatur quidem increpatio contra « turbas » seu populum suprà (*Mt* XI, 7; *Lc* VII, 24) incœpta, ità tamen ut reprehensio in « Pharisæos potius et legisperitos » quadrare videatur; quod apud *Lc* VII, 29-30 haud obscure innuitur.

Interpretatio. 16. *Cui autem similem æstimabo generationem istam,* vel, ut habet *Lc* VII, 31: « Cui ergo similes dicam homines generationis hujus »? Per « generationem istam » designantur coævi Messiæ increduli, præcipue, ut notavimus, Pharisæi et Legisperiti. Christus Joannem encomiis extulerat ut intelligerent Judæi quanti facienda essent tùm illius prædicatio, tùm testimonia quæ pluries Jesu dederat.

Inconstantiam, inconsiderationem, animumque vere puerilem Pharisæorum et Scribarum, qua tùm Joannis

prædicationi vitæque austeriori, tùm suiipsius doctrinæ et humaniori conversationi vicissim repugnaverant, Christus vivide increpat. In hunc finem *comparationem* sumit a pueris in foro agentibus.

Similis est (sc. ista generatio) *pueris ludentibus in foro: qui clamantes coæqualibus* (τοῖς ἑτέροις) 17 *dicunt: Cecinimus* (sc. tibia ᾠδήσαμεν) *vobis*, putà carmina læta nuptiarum, *et non saltastis*, noluistis saltare: *lamentavimus* seu cecinimus tristes cantiones luctùs, *et non planxistis:* noluistis plangere. Autumant plerique auctores in hac comparatione personas personis opponi, *quamvis de modo applicandi similitudinem haud conveniant.* Alii enim tenent pueros clamantes coæqualibus, canentes et lamentantes esse Scribas, Pharisæos aliosque Judæos incredulos, pueros verò morosos et difficiles de quibus conqueruntur sodales, esse Joannem Baptistam et Christum (1). Cui sententiæ ipse verborum ordo aperte favere videtur: *Similis est* (generatio hæc) *pueris... qui dicunt...* Verùm ipsa comparatio debet reprehensionem continere contra Judæos. Si autem Joannes et Christus comparantur pueris morosis et difficilibus, ubi est illa reprehensio?

Unde alii plures tenent pueros morosos et difficiles, de quibus conqueruntur sodales, esse Scribas, Phariseos aliosque Judæos incredulos, quibus nec Christi facilitas nec Joannis austeritas placuit; pueros nuptiale carmen canentes Christum repræsentare, illos qui lugubre carmen Joannem. At hæc explicatio admitti nequit, cùm dicatur *generatio hæc similis est pueris... qui dicunt: cecinimus... lamentavimus.* — Unde ritè observat MALDONATUS (2) non personas personis, nec partes partibus comparari, sed negotium negotio, totum toti, ità ut sensus sit: Christus perinde Scribarum et Pharisæorum causam habet, ac si pueri dicant sodalibus suis: *Cecini-*

(1) Ita ZAHN, *Das Evangelium des Matthäus*, Leipzig 1903, p. 430 ss.
(2) *In Ev. Mt*, h. l.

mus etc. Ità enim, hac comparatione, inconstantia, morositas animique levitas Judæorum incredulorum ostenditur. Christus autem Pharisæos inconstantibus et morosis pueris jure merito comparari statim comprobat.

18. *Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens*, sc. communi Judæorum more, utpote aspero victu utens, manducans locustas et mel silvestre (1), qua austeritate et suæ prædicationi auctoritatem conciliare, et auditores suos ad pœnitentiam provocare debebat et de facto provocavit (2). Verùm ille austerus vivendi modus Pharisæorum agendi rationem tacitè damnabat, ità ut dicerent: « *Dæmonium habet* ». Est locutio Judæis familiaris de eo qui hominum judicio ita stulte agit, ut dæmonis opera de ratione exiisse credatur.

19. *Venit Filius hominis manducans, et bibens*, ut cæteri homines, id quod apponitur, et sua benignitate omnes alliciens; et pueri isti morosi et inconsiderati a Christo ascesim requirunt quam statim antea apud Baptistam damnaverant, *et dicunt:* Ecce homo vorax, *et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus*. Unde non est audiendus. Utramque calumniam in præcursorem et seipsum Christus refellere dedignatur.

Et justificata est sapientia a filiis suis. Part. καί hîc sicut alibi in N. T., vim adversativam habet, valetque *tamen, sed*. Sensus est: Attamen divina sapientia seu sapiens Dei consilium, cui adscribenda est duplex illa ratio diversa ad Judæos ad salutem alliciendos destinata, ut sapiens agnitum fuit a vere sapientibus, ab illis scil. qui Joannis et meæ prædicationi fidem adhibuerunt (3).

---

(1) Cf. *Mc* I, 4; *Lc* III, 6 et VII, 33: « neque manducans panem, neque bibens vinum ».

(2) Cf. *Mt* III, 14; IX, 14; XI, 8.

(3) Cf. Ceulemans, *Commentarius in Evangelium secundum Matthæum*, Mechliniæ 1900, p. 143: « Maldonatus aliter hæc verba exponit, scilicet per filios sapientiæ intelligit non tantum credentes sed etiam incredulos, et ab his quoque divinam sapientiam fuisse justificatam dicit: quia, dum

Plures (1) autumant verba « a filiis suis » e textu *Lc* VII, 35 « ab omnibus filiis suis » in *Mt* irrepsisse, ac genuinam lectionem (2) apud *Mt* esse *ab operibus suis* (ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτῆς).

Opera tunc intelligenda non sunt miracula (qualia cæteroquin perpetrasse Joannes non legitur), sed utriusque, præcursoris scil. et Messiæ, modus agendi vel ratio munere fungendi. Nempe ex utriusque munere publico seu utriusque operibus justum declaratur sapiens consilium Dei qui utrumque misit et per utrumque abundantes fructus salutis Judæis procuravit.

A. Camerlynck.

II

Q. *Demonstra Ecclesiam esse societatem* supernaturalem.

R. Hic non est locus exponendi ex integro notionem entis *supernaturalis:* sufficiet ut in memoriam revocemus hoc *simpliciter supernaturale* dici quod est *positive indebitum cuilibet naturæ finitæ sive creatæ sive creabili:* hæc est *nominalis* definitio. *Realis* vero definitio sic efferri potest: omnis effectus quo ipse Deus *prouti est in semetipso* sese quocumque modo communicat alicui naturæ finitæ (3). Inde simpliciter supernaturalia sunt v. gr. revelatio h. e. manifestatio veritatis a Deo facta immediate alicui creaturæ, Verbi incarnatio, visio beatifica, gratia tum habitualis, tum actualis.

Supernaturalis demonstratur Ecclesia quatenus os-

---

nec Christi cantu nec Joannis lamentationibus credere voluerunt, satis ostenderunt se nullo modo velle credere, et per se non per divinam stare sapientiam quominus converterentur. Doctrina quidem hæc in se vera est sed explicatio est coacta: durum quippe videtur etiam insipientes et contumaces dici filios sapientiæ, a cujus disciplinæ longissime absunt ».

(1) Inter quos Zahn, *o. c.*, p. 432.

(2) Ita Sin. B* etc. Cf. Zahn, *l. c.*

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 114 s.; t. III, p. 511; Billot, *De Deo Trino*, Thes. XLII; Schiffini, *De Gratia*, Friburgi Br. 1901, p. 8; Mercier, O. P., *Revue Thomiste*, t. X, p. 131 ss.

tenditur et a Deo, loquente et agente cum hominibus, immediate instituta et constans supernaturalibus elementis: quæ successive explicabimus.

1. **Origo**: a/ Christus, Verbum, quod Deus est, homo factum, habitavit inter nos hac in terra, veritatem docuit, quam miraculis ut divinam signavit, sic *cœtum* quemdam hominum sibi adhærentium collegit; hunc vero cœtum proprie constituit in *veram societatem* quando apostolis duodecim, quos Ipse elegerat, contulit *auctoritatem*, et quando specialiter soli Petro plenissimam ac supremam in sua Ecclesia potestatem donavit: jam secundum hæc Christus, nempe Deus-homo, est *causa efficiens* ecclesiæ.

b/ Quum autem omnes Christi actiones in ordine ad salutem nostram deberent, secundum Dei Providentiæ statutum, propriam et completam mutuari efficaciam a passione et morte Christi, qua et *satisfecit* pro peccatis, et *meritus est* omnem gratiam et etiam quodammodo *effecit* (1) salutis media adhibenda in Ecclesia: ideo speciali quadam ratione Christus in morte sua fuit Ecclesiæ auctor. Cujus rei symbolum agnoverunt Patres et Scholastici in vulnere quod Cordi Christi illatum est et ex quo « exivit sanguis et aqua » (2): inde Concilium Viennense (an. 1311, 1312) hæc dicit: « Aperte cum sancta matre Ecclesia confitemur... quod in hac assumpta natura ipsum Dei Verbum pro omnium operanda salute non solum affigi cruci et in ea mori voluit, sed etiam emisso jam spiritu *perforari lancea sustinuit latus suum*, *ut* exinde profluentibus undis aquæ et sanguinis, *formaretur unica et immaculata ac virgo sancta mater Ecclesiæ, conjux Christi,* sicut de latere primi hominis soporati Eva sibi in conjugium est formata... » (3).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 559.

(2) Jo. XIX, 34.

(3) Denzinger, *Enchiridion*, n. 408. Cf. S. Thomas, I, Q. XCII, a. 3; Grabmann, *Die Lehre des heiligen Thomas von Aquin von der Kirche als Gotteswerk*, Regensburg, 1903, p. 225 ss.

c/ Deinde *promulgatio* Ecclesiæ facta est speciali et miraculoso Dei interventu, nempe Spiritus Sancti super apostolos descensu (1).

d/ Tandem *diffusa* est Ecclesia per apostolos qui « prædicaverunt ubique, *Domino cooperante* et *sermonem confirmante* sequentibus *signis* (2).

2. **Finis**: Ecclesiæ proprius finis *proximus* est supernaturalis sanctificatio hominum, *remotus* vero æterna hominum salus quæ est visio Dei intuitiva (3).

3. **Forma** societatis seu ipsum vinculum sociale: hoc enim est *charitas supernaturalis:* « Charitas... non solum alteram personam alteri unit spirituali dilectionis vinculo; sed etiam totam Ecclesiam in unitate spiritus » (4). Quæ S. Thomæ verba pulcherrime commentatus est Cajetanus dicendo: « Ipse namque Spiritus, dividens singulis prout vult, voluit Ecclesiam catholicam, id est universalem, esse unam et non plures. Et propterea movet singulos ad interius et exterius operandum, ut partes unius et propter illud unum, et secundum illud unum. Quilibet enim fidelis credit se membrum Ecclesiæ et ut membrum Ecclesiæ credit, sperat, ministrat sacramenta, suscipit, docet, discit, etc. Et propter Ecclesiam hæc facit, ut pars propter totum, cujus est quidquid est, et secundum Ecclesiæ fidem et traditionem hæc operatur... Movet enim Spiritus Sanctus *per charitatem* singulos fideles ad volendum se esse partes unius collectionis quam ipse vivificat ac per hoc ad constituendam unam Ecclesiam catholicam » (5). Ergo *essentialiter*, nempe *ipso sociali vinculo* supernaturalis est Ecclesia.

4. **Proprietates**, nempe a/ *indefectibilitas*, quæ non

---

(1) Cf. *Act.*, c. II.

(2) Marc., XVI, 20.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 320.

(4) S. Thomas, II-II, Q. XXXIX, a. 1. Ex veritate asserta demonstrat S. Thomas *schisma* esse *speciale* peccatum.

(5) Cajetanus, in II-II^{æ}, Q. XXXIX, a. 1. Cf. Grabmann, *o. c.*, p. 181.

nisi speciali Dei Providentia et miraculoso modo obtinetur ; b/ *unitas,* quæ hic intelligitur, non de *essentiali* unitate, de qua statim locuti sumus, sed de unitate quæ habetur in usu mediorum et quæ est *proprietas* imo et *nota* Ecclesiæ : sic habetur unitas *fidei, regiminis, cultus:* hæc porro est supernaturalis non solum quia supernaturalibus operationibus obtinetur, sed etiam quia est miraculum ordinis moralis ; c/ *sanctitas ;* d/ *catholicitas.*

5. **Auctoritas** : hæc complectitur tres potestates, scilicet *jurisdictionis, magisterii, ordinis:* quæ supernaturales sunt non solum ratione immediatæ a Deo originis, sed etiam ratione objecti, quod reducitur ad exercitium virtutum supernaturalium, tum theologicarum; tum moralium (1).

6. **Media**, nominatim sacramenta, quæ vitam in Ecclesia supernaturalem producunt ac conservant. Ad scopum quod intendimus præcipue consideranda est SS. Eucharistia, qua Christus in Ecclesia est realiter præsens, qua immolatur ut victima in verum sacrificium, qua, per communionem, ipsa Ecclesiæ *unitas* servatur : etenim communione nutritur vita spiritualis et imprimis charitas cujus fervor specialiter excitatur (2) : charitate autem uniuntur fideles et Christo et sibi invicem : ideo dicit S. Thomas : « *Res* autem hujus sacramenti (h. c. Eucharistiæ) est *unitas corporis mystici* » (3).

7. **Vita ipsa socialis** in actu secundo : est enim complexus actuum supernaturalium procedentium a donis supernaturalibus, tum habitualibus, tum actualibus. — Hæc porro vita consistit in speciali per cognitionem et

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 322.

(2) Cf *Collat. Brug.*, t. IV, p. 220 ss., Mahieu, *Het brood des levens,* Brugge, 1907, p. 41 ss.; Id., *Le pain de vie,* Bruges, 1908, p. 71 ss.

(3) III, Q. LXXIII, a. 3. Cf. Billot, *De Sacramentis,* Romæ, 1893, t. I, p. 92, 283, 489; *Collat. Brug.*, t. III, p. 517 ss.; Leo XIII, *Encyclica* « Miræ caritatis », in *Collat. Brug.*, t. VII, p. 377 ss. v. præsertim p. 384-388.

amorem unione cum Deo *prouti est in seipso:* etenim gratia sanctificante fit homo divinæ naturæ particeps, consequenter ad hanc deificationem, per dona gratiæ tum habitualia, tum actualia, agit homo supernaturaliter et imitatur divinum *exemplar* quod Christus est. Christus secundum *humanitatem,* assumptam ut *instrumentum* conjunctum divinitati, non solum est exemplar perfectionis moralis, sed etiam est causa meritoria et efficiens omnis gratiæ: ratione illius *influxus*, ratione etiam præstantiæ *situs* ac *perfectionis*, Christus recte, licet metaphorice, dicitur *caput* Ecclesiæ quæ est Ejus *plenitudo* (1); ita ut *una* constituatur *mystica persona* ex Christo et Ecclesia (2), ac Christus vivat in fideli et in Christo vivat fidelis. (*Gal.* II, 20).

Concludemus ex dictis omnino errare Modernistas contendentes Ecclesiam ortam esse ex necessitate quadam, esse partum conscientiæ collectivæ et auctoritatem in ea emanare ab ipsa multitudine (3). Perspiciemus etiam veritatem hujus asserti Leonis XIII: « Multum in intuentium animis nativa Ecclesiæ pulchritudo speciesque posse debet » (4).

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. *Ephes.* I, 22-23; S. Thomas, III, Q. VIII; De Brouwer, *De Ecclesia,* Brugis, 1891, n. 25 ss.; Billot, *De Verbo Incarnato,* Romæ, 1900 (3ª Ed.), p. 195 ss.; Grabmann, *o. c.,* p. 196 ss.

(2) Licet productio donorum gratiæ pertineat *efficienter* ad tres Personas SS. Trinitatis, tamen specialiter, per appropriationem, tribuitur Spiritui Sancto, qui propterea metaphorice dicitur *cor* Ecclesiæ: dicitur *cor* et non caput quia « *invisibiliter* Ecclesiam vivificat et unit; *capiti* autem comparatur ipse Christus secundum *visibilem naturam,* secundum quam *homo hominibus* præfertur » *S. Thomas*, III, Q. VIII, a. 1, ad 3. Cf. Leo XIII, Encyclica « Divinum illud munus », in *Collat. Brug.*, t. II, p. 371.

(3) *Collat. Brug.*, suprà, p. 283.

(4) Encyclica « Satis cognitum » in *Collat. Brug.*, t. I, p. 437.

III

Q. *Describe in genere officium confessarii erga pœnitentem qui laborat conscientia erronea.*

R. Hic tangimus quæstionem *de efformatione conscientiæ rectæ*. Ut np. conscientia bene formetur, debent adhiberi, cum diligentia saltem ordinaria, media quædam generalia, quæ recenseri solent tum propria agentis consideratio tum interrogatio peritorum atque consilii exquisitio, conjunctæ cum oratione et remotione impedimentorum (1). Porro pro communi fidelium medium ordinarium dici potest *individua instructio atque directio confessarii.*

1° *Si confessarius interrogetur a pœnitente*, tenetur *regulariter* aperire veritatem, quamvis sæpe in respondendo opus sit prudentia. Hanc enim obligationem instruendi importat munus confessarii qua doctoris, cujus est instruere eos præsertim qui instrui petunt. Ceterum ipsa interrogatio plerumque indicat pœnitentem dubitare ac proinde ejus bonam fidem jam non esse integram. Dicitur *regulariter*, quia aliquando pœnitens mero scrupulo ad interrogandum inducitur, qui scrupuli plerumque non superantur per accuratam doctrinæ expositionem, sed simpliciter contemni debent (2).

2° *Si ipse confessarius deprehendat* pœnitentem laborare conscientia erronea:

a/ **Debet eum instruere:** 1. Quando certum est quod sua monitione avertet a pœnitente occasionem peccati *formalis,* ut si pœnitens ex conscientia erronea putet quædam esse peccata quæ non sunt, aut mortalia quæ tantummodo sunt venialia. Ratio est quia hujusmodi ignorantia semper est nociva pœnitenti adeoque auferenda.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 586; Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 274; ed. 3ª, n. 280.

(2) *Theol. Mechliniensis, De conscientia,* n. 97.

Nec opponatur periculum forte exinde oriri ne multiplicentur peccata venialia: nam, ut recte notat S. Alphonsus (1) « *respondetur melius esse permitti innumera venialia quam unum mortale* ». Imo, hæc fundata spes impediendi vel unum peccatum mortale animum addet sacerdoti zeloso ut monendo instet opportune, importune, in omni patientia et doctrina (2 Tim. IV, 2).

2. Quando laborat *conscientia vincibiliter erronea,* quæ ipsi est *mortaliter mala*, quia tunc pœnitens ratione præsentis sui status jam est obnoxius periculo damnationis, e quo certocertius est eripiendus: unde quantumvis parva sit spes fructus, monendus tamen est. Ita ob hanc rationem, et insuper quia est incapax absolutionis, moneri debet qui ignorat ea quæ scire necessarium est ad salutem necessitate medii.

3. Quando laborat ignorantia *invincibili*, vel vincibili sed tantum *venialiter mala*, si speretur fructus ex monitione nec timeantur majora incommoda. Ratio est quia leges sunt divulgandæ et cognoscendæ, ut observentur, et munus est confessarii, qua doctoris, ut instruat pœnitentem circa illas leges, ubi nihil obstat.

Hic sedulo cavere debent confessarii ne indiscreta monitione pœnitentes inducant ad peccatum *formale*. Porro deprehendent conscientiam esse invincibiliter erroneam ex ipsa confessione vel si pœnitens interrogatus an credat se esse in bono statu, cordate respondeat affirmando, aut an nihil sit quod conscientiam gravet aut scrupulum moveat, firmiter respondeat ne-

---

(1) *Theol. mor.*, l. IV, n. 130. Quæ ibi tradit sanctus Doctor sunt aptata omnino nostris confessariis, quibus obligatio incumbit dedocendi populum circa sensum formulæ blasphematoriæ G. v. d. Agens np. de peccato maledictionis mortuorum, quod plures erronee putabant esse mortale: « Operæ pretium puto, ait, ut confessarii et prædicatores sedulo curent instruere populos rudes super hoc puncto, putantes id esse mortale, ne tot animæ ex ignorantia ob erroneam conscientiam peccati mortalis misere pereant. Nec officit dicere, quod ex hac notitia frequentior erit abusus hujus maledictionis; nam respondetur melius esse permitti innumera venialia quam unum mortale ».

gando (1); simili fere modo deprehendent utrum merito sperari possit fructus ex monitione.

b/ **Secus regulariter non debet instruere pœnitentem.** Quoties videlicet ex monitione *non speratur fructus* aut graviora timentur incommoda, vel *si fundate dubitetur* utrum monitio sit profutura annon. Ratio est quia magis præcaveri debent peccata formalia quam peccata materialia.

Dictum est *regulariter,* quia excipiunt AA.: si omissio monitionis nata sit producere *magnum scandalum,* vel si ignorantia pœnitentis vergeret in *damnum commune* (2).

Adverte, quando dicitur: « si ex monitione non speratur fructus », rem esse considerandam ex integro et sub omni respectu. Mentem explicabit hoc exemplum: Deprehendit confessarius pœnitentem non habere ut graviter prohibitam lectionem diarii, fidem et bonos mores ex professo impugnantis. Quamvis prudenter timeat ne sua monitione jam committat pœnitens peccata mortalia, non debet tamen neque potest omittere monitionem, propter ingens et continuum periculum fidei et morum. In casu igitur fructus qui considerari debet, non est tantum amotio peccati mortalis, sed conservatio fidei et morum. Ceterum, si hoc periculum ostendatur, forte efficacior erit monitio, et jam licebit sperare fructum immediatum, np. remotionem peccati gravis.

H. Mahieu.

---

(1) Raphaël a Sancto Joseph, *Institutiones fundamentales theologiæ moralis,* 1884, p. 242 s.

(2) *Theol. Mechl., l. cit.* — Quoad materias speciales, remissive ad tractatus speciales. Cf. notatim Lahousse, *Tract. de Sacr. Pœnitentiæ,* Brugis, 1894, p. 236 sqq.

IV

Q. *Expone quinam fuerint in materia virtutum errores a fautoribus Americanismi propositi.*

R. Nomine *Americanismi* consueverunt vocare non proprie quidem integrum quoddam systema doctrinale, constans nitidis principiis, argumentis et conclusionibus, sed potius varias aspirationes naturalisticas et tendentias liberales, quibus in ordine practico præsertim antiquum catholicismum reformare illumque adaptare exigentiis et necessitatibus moderni temporis satagebant (1). Quo nimirum latiores aperirent januas Ecclesiæ variis dissidentibus, voluerunt Ecclesiam ipsam magis accedere ad eos, habita jam majori quam antea ratione ingenii locorum et temporum. Attenderet in specie Ecclesia ad illam, tam multum populis hodiernis, præsertim anglosaxonicis, insitam tendentiam ad libertatem et individualismum (2); et in tota vita christiana ducenda et propaganda, appareret similis energia et activitas qualem hodie in rebus naturalibus, socialibus et politicis, cernimus (3). Variorum optima sane fuit inten-

---

(1) Cfr. *Dictionnatre de Théologie catholique,* Vacant; v° *Américanisme.*

(2) « Les esprits religieux des peuples germains et anglo-saxons se tournent vers l'Eglise pour lui demander les satisfactions spirituelles les plus conformes à l'indépendance de caractère qui est particulière à leurs races.... La force individuelle doit désormais tenir dans le catholicisme autant de place que la force hiérarchique, et tout doit tendre au développement du Saint-Esprit dans l'âme de chacun. » W. Elliott, *Le Père Hecker, fondateur des « Paulistes » Américains,* 1819-1888; traduit et adapté de l'anglais. Introduction par Mgr Ireland. Préface par l'abbé Félix Klein, 6e édit., p. 402.

(3) Le patriarche de l'Américanisme, faisant allusion à l'Eglise, « aurait voulu installer une machine à vapeur dans l'Arche de Noé pour la faire progresser davantage ». L'équipement du chrétien vertueux, ou mieux encore de l'ascète moderne, pour être de son temps devra, à entendre les Novateurs, se composer de tout ce qui est promptitude et force, de quelque chose qui soit propre à des lutteurs : « on ne fait pas marcher des athlètes avec des béquilles ! » *Nouvelle Revue Théologique,* t. XXXVII, 1905, p. 176. — « Rerum novarum sectatores arbitrantur libertatem quandam

tio; de facto tamen, ex exaggerato principio individualismi, favente cæteroquin insufficiente studio ac formatione theologica, ad varios devenerunt errores (1), adeo ut S. P. Leo XIII quo integritati fidei prospiceret et securitati fidelium caveret, litteris apostolicis « *Testem benevolentiæ* » datis ad Card. Gibbons, die 22 Januarii 1899, varias sententias reprobaverit. *Collat. Brug.*, t. IV, pp. 193 ss.

Inter quas nonnullæ occurrunt quæ ipsam vitam moralem et socialem spectant. Etiam nimirum in hac individualismo indulgebant, hominem suis præsertim viribus et indoli relinquentes, et tanquam superflua aut minus utili rejecta omni directione externa (2), jam inducebant specialem interventum Spiritus Sancti ampliora atque uberiora nunc quam elapsis temporibus in animos singulorum fidelium charismata influentis, eosque immediate docentis et agentis arcano quodam instinctu (3). Hæc porro effusio specialis Spiritus Sancti, juxta novatores americanistas, ad hoc tendere videtur ut *naturales virtutes* in animis magis efflores-

---

in Ecclesiam esse inducendam, ut, constricta quodammodo potestatis vi ac vigilantia, liceat fidelibus suo cujusque ingenio actuosæque virtuti largius aliquanto indulgere. » *Collat. Brug.*, t. IV, p. 196.

(1) Ita in specie voluerunt relaxari tum disciplinam ecclesiasticam, tum ipsam doctrinam catholicam, quatenus nimirum varia doctrinæ capita silentio prætermitterentur; alia autem ita emollirentur ut non eumdem sensum retinerent quem tenuit constanter Ecclesia. De qua re vide *Collat. Brug.*, t. XII, p. 708.

(2) « La principale règle de direction du P. Hecker était de diriger le moins possible. Sa méthode avait pour point de départ le dessein de se passer de méthode aussitôt qu'il le pourrait avec sécurité. Être le pénitent du P. Hecker équivalait au privilège de devenir tôt ou tard le pénitent du seul Saint-Esprit. » Elliot, *o. c.*, 319. — « Il (le P. Hecker) savait bien que l'américain non catholique aspire à traiter avec Dieu avec aussi peu de secours extérieurs que possible. Arriver à Dieu par sa seule activité spirituelle, sans s'arrêter aux formes plus au moins humaines, telle était son ambition d'âme. Il ne trouvait de satisfaction religieuse que dans une vie spirituelle, où il put traiter directement avec Dieu, son Verbe inspiré, son Esprit-Saint. » *Ibid.* p. 336.

(3) *Collat. Brug.*, t. IV, p. 197.

cant (1). In his enim speciali modo ipsis videbatur reperiri energia et activitas quam in re religiosa moderna tempora requirunt (2).

« Cum hac de naturalibus virtutibus sententia, alia cohæret admodum, qua christianæ virtutes universæ in duo quasi genera dispertiuntur, in *passivas*, ut aiunt, atque *activas;* adduntque, illas in elapsis ætatibus melius, has cum præsenti magis congruere » (3). — Intime quidem cohæret hic error cum præcedenti; adeo ut quibusdam visa sit hæc sententia reduci ad emollitionem verbalem sententiæ prioris (4). Sicut enim virtutes naturales supernaturalibus anteponebant eo quod majorem ipsis videbantur energiam præ se ferre et activitatem; ita inter virtutes quas christianas vocabant, quasdam tanquam insufficientes et hodiernis exigentiis improportionatas traducebant, utpote quæ minorem efficacitatem externam habere ipsis videbantur et minus decere viros liberos et sui juris effectos. Tales obedientia, mortificatio, humilitas. Quare has *passivas* voca-

---

(1) Ita *Nouvelle Revue Théologique,* t. 37, a. 1905, pp. 173 ss.

(2) « Naturales virtutes præter modum efferunt, quasi hæ præsentis ætatis moribus ac necessitatibus respondeant aptius, iisque exornari præstet, quod hominem paratiorem ad agendum ac strenuiorem faciant. » *Collat. Brug.*, t. IV, p. 198. — « Le P. Hecker s'appuyait fermement sur les vertus naturelles et sociales. Dans notre démocratie, on les tient en haute estime. Elles sont les plus en vue, et certainement les plus indispensables à la préservation d'une société prospère. La loyauté, l'honnêteté dans les affaires, l'obéissance à la loi et à l'ordre, la tempérance, le respect du droit des autres, tout cela est ordonné par la raison avant même que la revélation ne nous en parle, et l'absence de vertus proprement surnaturelles a conduit les non-catholiques à y attacher une importance capitale. Il serait bien difficile de persuader à un Américain qu'une Eglise impuissante à fortifier ces vertus primordiales en peut inspirer d'autres qu'elle même proclame d'un ordre plus élevé et plus ardu. » ELLIOTT, *o. c.*, p. XLV s. — « L'Eglise est appelée aujourd'hui a faire davantage porter son action sur l'ordre naturel... C'est avec les vertus naturelles, pratiquées dans toute la droiture du cœur et de l'esprit, qu'on fait les vertus surnaturelles. » *Ibid.*, p. XLVII.

(3) *Collat. Brug.*, t. IV, p. 199.

(4) Ita BILLOT, *De virtutibus infusis,* p. 192.

bant (1). Unde quoque factum est ut ipsas virtutes evangelicas, et in specie vota religiosa quibus quis in statu harum virtutum constituitur, tanquam dissidentia ab ingenio ætatis nostræ et coercentia humanam libertatem et activitatem individui, ut negligenda et despicienda haberent (2). Concedebant sane, quod attinet in specie virtutem obedientiæ, non inutiliter in temporibus anteactis viguisse principium auctoritatis, sive quando nimirum societas christiana fundanda erat super fortem cohæsionem voluntatum, sive quando nimis exaggerato a reformatoribus sæculi XVI[i], principio libertatis et individualismi, Ecclesia quo contraria contrariis curaret, arctiorem imposuit submissionem auctoritati suæ; sic tamen voluntates et animos singulorum nimis quam par erat depressit, ac hominem fecit repuerescere et a dignitate viri degenerare. Modernis vero temporibus a tali rigorismo temperandum esse autumabant, et, auctoritate restricta, plus relinquendum propriæ activitati (3).

---

(1) Despectum harum virtutum *passivarum* S. P. Pius X in Encyclica *Pascendi* prodit tanquam indicium caracteristicum modernismi. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 670.

(2) « Notre siècle n'est pas un siècle de martyrs, d'ermites, de moines. Bien qu'il ait ses martyrs, ses reclus, ses communautés monastiques, ce ne sont pas là, et ce ne seront vraisemblablement plus là les types dominants de la perfection chrétienne. » ELLIOTT, *o. c.*, p. 314.

(3) « A quoi pensent donc les catholiques, se demandait-il (Hecker), de laisser ainsi une poignée d'incrédules imprégner de paganisme la vie nationale, l'éducation, les arts, la politique générale? D'où vient, chez des croyants une telle faiblesse de caractère? Et voici la réponse qu'il trouvait: Le type de dévotion et d'ascétisme sur lequel on les forme n'est bon qu'à réprimer l'activité personnelle, cette qualité sans laquelle, de nos jours, il n'y a pas de succès politique possible. L'énergie que réclame la politique moderne, n'est pas le fait d'une dévotion comme celle qui règne en Europe; ce genre de dévotion a pu, dans son temps, rendre des services et sauver l'Eglise; mais c'était l'orsqu'il s'agissait surtout de ne pas se révolter.... Le nouvel ordre de choses demande nécessairement l'initiative individuelle, l'effort personnel.... C'est pourquoi, sans détruire l'obéissance, les vertus actives doivent être cultivées de préférence à toutes les autres, aussi bien dans l'ordre naturel que dans l'ordre surnaturel. Dans le premier il faut développer tout ce qui peut fortifier une légitime confiance en soi; dans le second, on doit faire une large place à la direction intérieure de l'Esprit-Saint dans l'âme individuelle. » ELLIOTT, *o. c.*, pp. 400 s.

V

Q. *Eosdem errores refelle, et quid juxta doctrinam catholicam tenendum sit eis oppone.*

R. Ad supra citatas litteras Leonis XIII remittimus, quoad illa quæ dicenda essent circa scopum a novatoribus intentum, circa temperationem inducendam tum in disciplina ecclesiastica, tum in ipso deposito fidei, circa specialem quam inducunt effusionem Spiritus Sancti hodiernis temporibus, et neglectum magisterii et directionis externæ. Paucis tantum exponamus quæ juxta easdem litteras et doctrinam a variis auctoribus catholicis traditam, dicenda sunt circa duplicem errorem in materia virtutum supra assignatum :

1°, « *Naturales virtutes præter modum efferunt, quasi hæ præsentis ætatis moribus ac necessitatibus respondeant aptius, iisque exornari præstet, quod hominem paratiorem ad agendum ac strenuiorem faciant.* »

Sub triplici præsertim respectu possunt comparari virtutes naturales et supernaturales (1) : a/ Quantum ad *entitatem suam* et *causam propriam efficientem* : Virtus naturalis entitate sua velut naturale augmentum est potentiæ naturalis, et nostris actibus repetitis producitur et augetur ; quare acquisita dicitur ; supernaturalis e contrario omnem exigentiam et ordinem naturæ excedit, et proinde in natura habet potentiam obedientialem tantum, quatenus non repugnat eam naturæ superaddi et naturæ intellectuali convenit eamque vere perficit, sed a Deo supernaturaliter agente infunditur ac augetur ; quare dicitur per se infusa. Unde patet hac ratione naturalem virtutem supernaturali cedere. b/ Quantum ad *conditionem objecti* ad quod attingendum proportionatæ existunt : Virtus enim supernaturalis, eo ipso digna est seu proportionata ad hoc ut attingat objectum superna-

(1) Intellige : virtutes naturales *acquisitæ*, — et : virtutes supernaturales *quoad substantiam*, seu *per se infusæ*.

turale, i. e. objectum quod ex se ordinem habet ad Deum immediata visione et respondente amore attingendum in cœlo (1); virtus naturalis contra, etsi eadem objecta actibus suis attingere valet, nobilitati eorumdem non est proportionata (2), sed solum proportionata est objecto cuidam naturali, seu consentaneo simplici rationi et regulæ divinæ qualis ipso lumine rationis innotescit. Quare et hac ratione cedunt naturales virtutes supernaturalibus. c/ Quantum ad *potestatem* seu *agendi virtutem* quam tribuunt. Virtus enim acquisita, simpliciter posse supposito, addit facilitatem et promptitudinem id operandi quod ad naturalem animi potentiam pertinet. Virtus infusa contra ipsum posse in ordine divino et ipsam facultatem physicam supernaturalia operandi præbet; non autem præstat facilitatem exercitii (3). Et revera non solet Deus de lege ordinaria per viam infusionis dare id quod homo per suam propriam activitatem natus est acquirere. Jamvero in quantum virtus supernaturalis præstat posse operari supernaturaliter, patet illa longe eminere supra virtutes naturales. Soli enim actus entitative supernaturales, apti sunt qui ducant hominem ad finem suum supernaturalem; dum actus entitative naturales, radicaliter tali fini sunt inepti; adeoque, modo honesti sint, sunt quidem passus, sed præter viam, eisque homo in vacuum currit (4).

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, pp. 755 ss.

(2) Sic mysteria quæ Deus credenda nobis non proposuit nisi ut in patria ænigmati succedat agnitio (et en cur dicantur ex se ordinem habere ad Deum immediata visione in cælo attingendum, et simul cur dicantur, *l. c. Collat. Brug. supernaturalia*) possunt quidem attingi tum actu Fidei naturali, tum actu supernaturali; sed patet quod solus actus supernaturalis conveniat plene dignitati talis objecti. — Idem dic de aliis virtutibus sive theologicis sive moralibus, prout ibid. exponitur.

(3) Supra p. 372, et t. XII, pp. 751 ss.

(4) « Si currere in vacuum quis nolit æternamque oblivisci beatitatem, cui nos benigne destinat Deus, ecquid naturales virtutes habent utilitatis, nisi divinæ gratiæ munus ac robur accedat? Apte quidem Augustinus: Magnæ vires et cursus celerrimus, sed præter viam. » Litt. *Testem Benev.*, *Collat. Brug.*, *l. c.*, p. 199.

Quare virtutes naturales sine gratia incompletæ, solæ supernaturales perfectæ virtutes sunt, ut exponunt *Coll. Brug.*, t. XII, p. 647, nota 3°. Quod autem virtus naturalis acquisita, præ virtute infusa proprium habet quod confert specialem facilitatem exercitii, minime ratio est virtutes supernaturales spernendi et earum exercitium. Dicta enim facilitas denique tandem acquirenda est, et non minus acquiritur per actus repetitos procedentes a facultate naturali per virtutem infusam elevata, quam per actus repetitos a nuda facultate naturali procedentes (1).

Ex expositis patet quam immerito quis virtutes naturales virtutibus supernaturalibus præponeret (2).

Latet autem in doctrina Americanismi circa utrumque genus virtutum, *regressus ad purum naturalismum* (3). Quid enim sibi vult sæpius iteratum assertum nimis datum esse virtutibus supernaturalibus in damnum vir-

---

(1) Billot, *De virtutibus infusis*, p. 50, § 3. « Quod per frequentationem actuum virtutis infusæ generatur habitus quo facilitas exercitii eorumdem acquiritur. Et quod huic habitui, ad augmentum vel diminutionem sive corruptionem quod attinet, applicanda sunt omnia principia quæ generatim de habitibus acquisitis valent. »

(2) Unde G. Desjardins, S. J., in *Etudes publiées par les Pères de la Compagnie de Jésus*, t. 79, a. 1899: p. 773 non immerito notavit: « Tout est confusion dans ces doctrines de l'Américanisme sur les vertus, et... nous aimons à croire qu'ils ne se sont pas assez rendu compte du sens des mots quand ils ont comparé les vertus naturelles aux vertus surnaturelles. » Et revera miro saltem modo videntur interdum apprehendere quid sit virtus supernaturalis. Sic, Elliott, *o. c.*, p. XLVI: « L'Esprit humain, chez les meilleurs a toujours un côté étroit, et certains catholiques préoccupés avant tout de la supériorité des vertus surnaturelles, on fait trop bon marché des vertus naturelles. » Et p. seq.: « Aujourd'hui il nous faut l'homme d'honneur chrétien et le citoyen chrétien. Que les catholiques donnent l'exemple d'un vote honnête et d'une bonne tenue sociale: ils feront plus pour la gloire de Dieu et le salut des âmes que s'ils se flagellaient la nuit, ou s'en allaient en pèlerinage à Saint-Jacques de Compostelle. » — Sed num virtus supernaturalis, imo num vera virtus est, quæ negligit vel ipsa officia que ipsa ratio naturalis dictat?

(3) « L'américanisme religieux... est une déformation de la vertu chrétienne et un retour,... à la conception païenne de la vie. » Card. Mercier, *A mes Séminaristes*, p. 217.

tutum naturalium, nisi quod supernaturale seu gratia naturam deprimit et hominem minus aptum reddit officiis suis naturalibus implendis? (1). Et hanc quidem tendentiam fundamentalem, eversivam sane fidei catholicæ, refellit Leo XIII (pp. 199 s.): Ait enim absurde dici naturam fieri infirmiorem, accedente gratia, quam si suis viribus permitteretur; provocat ad exemplum eorum qui supernaturalibus virtutibus eminuerunt, et inde tamen in ordine naturæ minime imbecillos se probaverunt; provocat ad doctrinam de necessitate morali gratiæ ad servandum per longum tempus, totam legem naturæ, adeo ut virtutes naturæ, etsi interdum præclaros actus quosdam producere possent, per se solæ tamen solidæ et firmæ esse non possent, accedente vero gratia solidiores et firmiores existant; provocat tandem ad doctrinam de necessitate physica gratiæ ad hoc ut virtutes et actus nostri ad finem supernaturalem nostrum perducere nos possint (2).

2°/ « *Christianæ virtutes universæ in duo quasi genera dispertiuntur, in passivas, ut aiunt, et activas; adduntque illas in elapsis ætatibus convenisse melius, has cum præsenti magis congruere.* »

a/ Theologice loquendo talis distinctio et terminologia est impertinens. Virtus enim quæ vere passiva sit, nec est nec esse potest. « Virtus, sic S. Thomas (I-II, a. 1), nominat quandam potentiæ perfectionem: finis autem potentiæ actus est; et nihil est aliud actus virtutis quam bonus usus liberi arbitrii »; adjuvante utique Dei gratia si virtutis actus supernaturalis est. — b/ Inepte contendunt virtutes passivas jam non esse hodiernis temporibus accommodatas, quum idem omnis sanctitatis et magister et exemplar semper maneat Christus, qui quidem speciali modo virtutes illas quas passivas vocant, docuit verbo et opere, utpote quæ

(1) *Etudes*, t. 76, a. 1898, p. 218.
(2) Cfr. dicta supra p. 448 ss., sub c/.

vitæ christianæ fundamentales, et, magis contradicentes inclinationibus naturæ corruptæ, speciali titulo difficiles existunt. — c/ Despectui virtutum passivarum obstat exemplum sanctorum anteacti temporis qui virtutibus passivis instructi, magna tamen tum in re religiosa, tum in re civili effecerunt; et innuit S. P. et nostris temporibus fore proficuum, si mediis curis temporalibus et naturalibus, tantæ hodie necessitatis et utilitatis, mediis quoque aspirationibus multorum ad individualismum et libertatem, magis efflorescerent virtutes supernaturales, internæ et sic dictæ passivæ, ne quærat nim. homo seipsum, et tribuat sibi honorem quem soli Deo debet (1). Quod latius evolvit S. P. in seq. ubi de virtutibus evangelicis et de votis religiosis. — d/ Et absona revera est opinio juxta quam virtutes passivæ, quales humilitas, abnegatio, obedientia, deprimerent ipsum caracterem et vires individui, essentque abdicatio nostri; dum longe majorem e contra requirunt voluntatis energiam et consequenter viriliorem gignunt caracterem, et unicum medium existunt quod in activitate nostra et concivium ordinem debitum servet (2).

A. Vander Heeren.

VI

Q. Quænam jam nunc existunt adjumenta et labores præparatorii Codificationis juris canonici? Enumera hujus codicis varias partes quæ hucusque prodierunt?

R. I. Hujus codificationis adjumenta et labores præparatorii sunt: opera doctorum privatorum, concilia plenaria aut provincialia, schemata et postulata Concilii Vaticani, acta quædam Pii IX et Leonis XIII.

De singulis pauca.

---

(1) Card. Mercier, *o. c.*, 232.

(2) Cfr. Card. Mercier, *o. c.*, *Septième conférence. Emmanuel. Dieu est avec nous.* I. La Défiance de soi. II. La confiance en Dieu.

a/ Inde a Concilio Vaticano, viri scientia theologica et canonica periti, hoc opus susceperunt in unum colligendi, sive quoad totum complexum legislationis, sive quoad partem hujus, vigentes leges ecclesiasticas (1). Citantur ex. gr. Ill^mus Pillet, consultor commissionis pontificiæ pro legibus Ecclesiæ in unum redigendis et professor in facultatibus theologicis Insulensibus, qui jus canonicum generale in articulos distribuit (2) et Dr Hollweck qui jus pœnale hac methodo egregie exposuit et commentatus est (3). Præterea mentionem merentur hi qui, publicato Motu proprio « *Arduum sane* », de hoc opere codificationis sub respectu materiali et formali disseruerunt (4).

b/ Inter concilia recentiora, pro revisione juris ecclesiastici præcipue attendenda sunt: Concilium plenarium Baltimorense III a. D. 1884 celebratum et Concilium plenarium Americæ latinæ a. 1899 in Urbe habitum, in quibus, serie articulorum in variis titulis et capitibus ordine congestorum, integra quasi Ecclesiæ disciplina statuitur et hodiernis temporum adjunctis accommodatur.

c/ Sed ad opus codificationis instituendum maximas opportunitates præbebunt tum *schemata decretorum* (projets de décrets) elaborata a Congregationibus et Commissionibus quæ materias in Concilio Vaticano examinandas præparaverunt, tum *postulata* Episcoporum

---

(1) Horum opera describuntur apud LÆMMER, *Zur Codification des canonischen Rechts*, p. 172 ss. Freiburg-i-B. 1899. Inde ab opere illo publicato prodierunt varii libri hac methodo codificationis exarati; ita quos in lucem ediderunt BASTIEN et BATTANDIER circa disciplinam congregationum votorum simplicium, cf. *Collat. Brugen.*, t. XI, p. 132; HOLLWECK infrà citandus circa jus pœnale; RUSSO FORTUNATO, *Juris canonici privati codex vigens sive legum ecclesiasticarum omnium novissima collectio*. T. I, Panormi, 1905. Hoc opus 6 tomis complebitur.

(2) *Jus canonicum generale distributum in articulos*, Paris, Lethielleux, 1890.

(3) *Die kirchlichen Strafgesetze*. Mainz, Kirchheim, 1899.

(4) Cf. suprà p. 335, nota 3; P. MARCUS, O. Cap., *De codificatie van het herkelijk Recht*, ap. *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, 1905, t. V, p. 195 ss.; 239 ss. Bona exhibetur bibliographia p. 195, nota.

Patribus Concilii eo fine oblata, ut varia tam juris publici quam juris privati puncta reformarentur. Inter illa schemata, numerantur 28 circa disciplinam Ecclesiæ, quorum quatuor tantum fuere discussa (1), alia vero duo Patrum examini proposita (2); 18 circa ordines regulares; 2 circa res ritus orientalis et apostolicas missiones; schemata a Commissione diplomatico-ecclesiastica circa relationes Ecclesiæ et Status elaborata, a Congregatione Cardinalitia Directrice non fuerunt admissa (3). Postulata Episcoporum vero agunt de plurimis, hisque maxime practicis, capitibus juris canonici: de revisione legum ecclesiasticarum, de seminariis, de titulis ordinationum, de exercitiis spiritualibus, de horis canonicis, de judiciis clericorum etc. (4).

d/ Quas autem hac in re partes habuerunt Pius IX et Leo XIII aperit ipse Pius X in Motu proprio « *Arduum sane* » : « His incommodis pro nonnullis juris partibus quæ urgentioris erant necessitatis occurrere curarunt ex Decessoribus nostris præcipue Pius IX et Leo XIII sa. me., quorum alter per Constitutionem « *Apostolicæ Sedis* » censuras coarctavit latæ sententiæ, alter leges de publicatione et censura librorum temperavit per Constitutionem « *Officiorum ac munerum* » et

---

(1) Nimirum schema 1. De Episcopis, de Synodis et de Vicariis generalibus; schema 2. De sede episcopali vacante; schema 5. De vita et honestate clericorum; schema 9. De parvo catechismo.

(2) Schema 10. De oneribus Missarum, aliisque piis dispositionibus; schema 14. De titulis Ordinationum.

(3) Cf. Læmmer, *o. c.*, cap. V-VIII, p. 48 ss.; *Collectio Lacencis*, t. VII, col. 506 ss.; Granderath-Kirsch, *Geschichte des Vatikanischen Konzils*, 3 vol. Freiburg-i-B., 1903-1906, passim. Hujus momentosæ tractationis prodit versio gallica apud De Wit, Bruxellis.

(4) Læmmer, *o. c.*, cap. VIII-XI, p. 97 ss.; *Collectio Lacencis*, l. c., col. 768 ss.; Granderath-Kirsch, *o. c.*, t. I, p. 434 ss. et passim; Villien, *Les réformes du droit canonique et les postulata du Concile du Vatican* ap. *le Canoniste contemporain*, 1906, t. XXIX, p. 65, 209, 369, 449, 554, 652, 712 ubi agit de reformanda legislatione matrimoniali; 1907, t. XXX, p. 75, 137, 220, 273, 366, 439, 541 ubi sermo est de Ordine, Eucharistia, Pœnitentia, de modo procedendi in causis disciplinaribus et judicialibus.

normas constituit Congregationibus religiosis cum votis simplicibus per Constitutionem « *Conditæ a Christo* ».

Quibus Constitutionibus addi possent : Instructio S. C. Episc. et Regul. pro Curiis episcopalibus quoad modum procedendi œconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, 11 junii 1880 (1) ; Instructio C. de Prop. Fide circa modum procedendi ex informata conscientia, 20 octobris 1884 (2) etc.

II. Inter acta Pii X quæ ad codificationem juris canonici referuntur veniunt :

a/ Motu proprio 22 novembris 1903 de musica sacra (3), in quo præcipuas præscriptiones de hac re in unum corpus coegit Pontifex, cui tanquam *Codici juridico* musicæ sacræ vim legis universalis habere voluit (4).

b/ Decretum « *Ut debita* » de observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione, 11 maii 1904, cum variis dubiis circa hoc decretum propositis et solutis (5).

c/ Motu proprio, 21 februarii 1905 de protonotariis apostolicis etc., circa insignia et privilegia Prælatorum Episcopis inferiorum (6), addita declaratione 14 martii 1906 (7).

d/ Decretum « *Ne temere* » 2 augusti 1907 de sponsalibus et matrimonio, una cum decretis 1 februarii et 28 martii 1908 (8).

A. De Meester.

---

(1) Ap. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, t. II, nº 1249bis, p. 578.

(2) *Ibid.*, nº 1250 s., p. 584 ss.

(3) *Collat. Brug.*, t. IX, p. 111 ss.

(4) *Ibid.*, p. 122.

(5) *Ibid.*, t. IX, p. 595 ; X, p. 315, 628 ; XII, 487, XIII, 226.

(6) *Il Monitore Ecclesiastico*, 1905-1906, t. XVII, p. 14.

(7) *Ibid.*, 1906-1907, t. XVIII, p. 62.

(8) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 624 ; XIII, p. 298 s. et infra in hoc fasciculo.

Le Graduel romain de l'édition typique vaticane.

I

Nouveau décret général de la S. C. des Rites. 8 avril 1908.

—

DECRETUM SEU LITTERÆ SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS

AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE ORDINARIOS

DE EDITIONE TYPICA VATICANA GRADUALIS ROMANI (1).

Postquam Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X *Motu proprio* diei XXII novembris MCMIII (2) sacram musicen reformari mandavit; ut cœptum opus, qua par est ratione, absolveretur, decrevit *Motu proprio* diei XXV aprilis MCMIV (3) ut *typica* editio librorum cantum Gregorianum continentium in vulgus prodiret typis Vaticanis: qua editione antiquo usu recepti Ecclesiæ concentus pristinæ integritati ac puritati redderentur, in eum potissimum finem, ut Romanæ Ecclesiæ ceterisque Romani ritus Ecclesiis communem liturgicorum concentuum probatum textum suppeditaret.

Quare juxta hanc Summi Pontificis voluntatem, typica editio *Gradualis Romani*, numeris omnibus feliciter absoluta, modo in lucem prodit.

Quoniam vero ad R^mos^ locorum Ordinarios pertinet ejusmodi Gradualis usum ac diffusionem promovere ac regere apud clerum et populum sibi commissos; Sacra Rituum Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri, animadvertendas proponit iisdem R^mis^ Ordinariis normas et mandata præcipua circa hujusce typicæ editionis introduc-

(1) *Revue de chant grégorien*, 1907-1908, t. XVI, p. 146-148.

(2) *Collat. Brug.*, t. X, p. 111.

(3) DUCLOS, *Sa Sainteté Pie X et la réforme de la musique religieuse*, p. 131. Bruges, 1905.

tionem, ejusque novas typographicas impressiones, quæ fiant ab editoribus, facultate impetrata ab Apostolica Sede, scilicet decreta hujus S. Congregationis d. d. XI (1) et XIV (2) augusti MCMV, XIV februarii MCMVI (3), et VII augusti MCMVII (4).

Porro e primo ejusmodi documentorum colligitur 1° Vaticanam editionem Gradualis, vel quamlibet aliam quæ legitime statisque sub conditionibus eamdem typicam referat, substitui debere editionibus, quæ modo adhibeantur: itemque 2° ad R^mos^ Ordinarios pertinere munus efficiendi ut suæ cujusque diœcesis Propria sic restaurentur, ut conformia reddantur Gregorianis concentibus typicæ Vaticanæ editionis.

Per novissimum decretum hic et nunc ita præscribitur usus hujus Gradualis, ut quibuslibet editionibus (minime excepta, quæ *Medicea* vocatur) huc usque adhibitis, quamprimum substituenda sit editio Vaticana, vel ejus legitime peracta nova impressio: ideoque ceteræ Gradualis editiones a typica discrepantes, rursus imprimi nequeunt, multoque minus a R^mis^ Ordinariis approbari. Quæ vero, antequam integra typica Gradualis editio prodiret, benignæ datæ fuerint concessiones, nullimode prorsus contra memoratas universales præscriptiones debent prævalere.

Denique ad cantus traditionalis instaurationem facilius exsequendam, præterquam quod juverit (adjuvante *Commissione* uti vocant diœcesana) animos adjicere eorum quotquot Summi Pontificis menti ac beneplacito libenter cupiant respondere, nil procul dubio magis efficax erit, quam si vigilantissime intendant R^mi^ Ordinarii, ut exsecutio sacrorum concentuum in cathedralibus et potioribus Ecclesiis adeo fiat plena ac perfecta, ut forma et exemplar ceteris habeatur.

Oportet insuper, ut qui ad *Cantoris* officium eliguntur, congruis dotibus revera sint præditi et superato idoneitatis periculo probati, quod multo magis dici debet de chori Magistro seu de *Præfecto musicæ* uti aiunt, qui necessaria polleat auctoritate ad suum implendum officium juxta Summi

---

(1) *Collat. Brug.*, t. X, p. 572.
(2) *Ibid.*, p. 683.
(3) *Ibid.*, t. XI, p. 654.
(4) *Ibid.*, t. XII, p. 729.

Pontificis præcepta de musica sacra et cantu Gregoriano instaurandis.

Voluit autem Sanctitas Sua præsens decretum a Sacra Rituum Congregatione expediri, et Rmis Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis notum fieri; contrariis non obstantibus quibuscunque, etiam speciali mentione dignis. Die VIII aprilis MCMVIII.

L. ✠ S. SERAPHINUS Card. CRETONI, *Præfectus.*
† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

II

Description du Graduel. — Son caractère obligatoire.

Le Graduel romain de l'édition vaticane a paru. Il a été présenté, le 12 mars dernier, fête de Saint Grégoire, par Dom Pothier à sa Sainteté Pie X, qui félicita chaudement le vénérable président de la Commission pontificale de l'heureux résultat de ses travaux (1). Il sera salué par les savants et les fidèles comme une édition définitive, dans laquelle les ressources les plus complètes des recherches scientifiques ont été mises au service de l'art pratique (2).

C'est un beau volume in-8 de près de 1000 pages, imprimé très clairement sur papier de luxe fait à la main, avec titre rouge et noir, frontispice en chromo et or, et vignettes dues au talent du Fr. Maximilien Schmalzl C. SS. R. Il fait honneur aux presses vaticanes (3).

---

(1) Sa Sainteté Pie X, ouvrant le livre fortuitement à la fête de l'Apparition de Notre Dame à Lourdes, chanta d'une voix ferme la mélodie de l'Introït de ce jour. Il inaugura ainsi en son auguste personne l'introduction du nouveau *Liber Gradualis*. V. *Gregorianische Rundschau*, 1908, t. VII, p. 65.

(2) GASTOUÉ dans la *Tribune de St Gervais*, 1908, t. XIV, p. 75 ss.

(3) En voici le titre. *Graduale sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ de tempore et de sanctis SS. D. N. Pii X. Pontificis Maximi jussu restitutum ac editum. Cui addita sunt festa novissima.* Romæ, typis Vaticanis, MDCCCCVIII, in-8o, XVI-560-[208]-155* p. F. 6. L'ouvrage pourra paraître trop volumineux pour être facilement maniable. Il a été édité par les presses vaticanes,

Le corps du volume est précédé d'une introduction importante (XVI p.) qui comprend :

1° Le décret général « Hanc vaticanam » du 7 août 1907 sur l'édition typique du Graduel romain, exclusive de toute autre non conforme, et obligatoire pour toute l'Église du rite romain (1).

2° *De ratione editionis Vaticanæ cantus romani,* où sont rappelés les rétroactes de la réforme de la musique sacrée et de la restauration grégorienne et les critères d'une restitution scientifique et pratique du texte musical. Ces critères sont : l'autorité des manuscrits, les données d'une tradition légitime, les besoins pratiques de la liturgie. La commission spéciale, présidée par Dom Pothier et dont les membres les plus actifs furent MM. Wagner et Gastoué, s'est inspirée de ces règles, pour fixer sa méthode de travail et se guider dans le dépouillement des manuscrits et le choix des versions. L'Église, dit le document, laisse à tous les savants la liberté d'établir l'âge et de poursuivre les transformations des mélodies grégoriennes de même que de se prononcer sur leur caractère artistique, mais elle se réserve le droit de prescrire aux évêques et aux fidèles une forme de chant, conforme à la tradition grégorienne, qui servira le plus à la splendeur du culte et à l'édification des âmes.

3° *De notularum cantus figuris et usu.* Dans ce paragraphe on trouve l'indication et l'interprétation des différentes figures des notes, neumes et signes de repos, usitées dans la Vaticane. La façon d'exécuter les notes liquescentes, les pressus, strophicus, quilisma ; la manière d'observer les distinctions, suspensions, divisions d'où résultent l'ordre et la proportion dans la succession des parties mélodiques, sont l'objet d'observations

---

au prix de 80 centimes, deux petits suppléments qui permettent de séparer commodément le Graduel en deux parties indépendantes l'une de l'autre.

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 729.

remarquables. L'importance de l'accentuation est spécialement mise en relief, de même que la nécessité de l'attention et de la piété pour donner à cette forme d'art son caractère de suavité et d'onction.

4° *De ritibus servandis in cantu Missæ.*

Il découle de ces prescriptions liturgiques :

a/ Que l'on peut entonner le chant de l'Introït, *accedente sacerdote ad altare*, pendant que le prêtre se rend à l'autel. Cependant il serait évidemment abusif de chanter l'Introït pendant que le prêtre distribue la Ste Communion avant la Messe.

b/ Un vestige de l'ancien rite responsorial a été rétabli. Le répons appelé Graduel, dit la Congrégation, entonné par un ou plusieurs chantres jusqu'à l'astérisque, est continué par le chœur ou la schola cantorum. Puis un ou deux chantres récitent le verset du Graduel, poursuivi par le chœur depuis l'astérisque ; ou bien, quand l'occasion s'en présentera, *quando id magis videtur opportunum*, après le verset chanté jusqu'à la fin par les préchantres, tous reprennent la première partie du Responsorium jusqu'au verset.

c/ Le *Benedictus* exécuté en chant grégorien peut être chanté avant la consécration. Cette pratique, conforme du reste au sens et à l'histoire de cette partie du *Sanctus*, et interrompue seulement à cause de la longueur excessive de certaines compositions musicales, était déjà assez clairement indiquée par l'absence de double barre ou d'un autre signe d'interruption dans le *Kyriale Vaticanum*. Les présentes prescriptions ne laissent plus aucun doute à cet égard et supposent que le chœur poursuit le *Sanctus* jusqu'à la fin. Il y est dit en effet : VII. Finita præfatione chorus prosequitur *Sanctus* etc. Dum autem elevatur Sacramentum silet chorus et cum aliis adorat (1). Aucune allusion n'est faite au *Benedictus*.

---

(1) Cf. *Revue de chant grégorien*, 1907-1908, t. XVI, p. 162.

Après l'introduction, le Corps du volume comprend le propre du temps et des Saints (560 p.), le commun des Saints, les messes votives et le supplément (208 p.), l'ordinaire de la Messe, avec les *toni communes* missæ, un appendice et les tables (155 p.). Dans l'appendice nous trouvons le *Te Deum*, le *Veni creator* et les chants de la procession de la Fête-Dieu.

La musique se rapproche surtout de celle du Graduel bénédictin de 1895, en tenant compte toutefois des améliorations et corrections contenues dans les dernières éditions de Solesmes. Multiples sont les restitutions du texte dans sa forme première. On en compte jusqu'à 181 dans le propre du temps et 45 dans celui des Saints (1). L'étude de ces variations, exigées par le respect de la tradition et par l'intégrité des mélodies, donne lieu à des constatations intéressantes, notamment quant au choix et aux remaniements des textes bibliques. De même, pour les hymnes et séquences, il est fait retour à l'ancien texte traditionnel (2).

Les *Toni communes Missæ* (3), ou chants des oraisons, épîtres, évangiles, préfaces, sont la restauration la plus pure des récitatifs romains (4). Ils se distinguent en tons usuels et en tons *ad libitum*. Il semble préférable de s'en tenir habituellement aux tons usuels, plus faciles, indiqués en première place dans l'édition vaticane,

---

(1) *Revue de chant grégorien l. c.*, p. 115-125; 149-154. Cf. quant à ces modifications du texte les Instructions de la S. C. des rites concernant l'introductions du nouveau chant typique dans le Missel, du 8 juin 1907 ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 730.

(2) V. J. Delaporte. *Les hymnes du Bréviaire romain de Pie V à Urbain VIII (1568-1632)*. Une réforme de l'hymnaire au début du XVIIe siècle, dans la *Rassegna gregoriana*, 1907, t. VI, col. 495 ss.; 1908, t. VII, col. 231 ss.; Du même auteur, *Gl' inni del Graduale romano, ibid.*, col. 251 ss.

(3) Quant aux *cantus Missalis Romani*, qui comprennent du reste les *toni communes* du *Kyriale*, voir les Instructions de la Congrégation des Rites, citées plus haut, note 1.

(4) Cf. Gastoué, *de chant romain des oraisons. Étude pratique*, dans la *Tribune de St-Gervais*, 1907, t. XIII, p. 180 ss., 247 ss. — Notre chant diocésain de l'épître n'est qu'un remaniement plus moderne du ton ad libitum de la Vaticane.

et de réserver les formes *ad libitum* — si on se juge capable de les exécuter — à des circonstances plus solennelles. Il est vrai que la lecture de l'épître, qui s'exécute *recto tono* à part la formule d'interrogation, pourra paraître monotone ; mais bien déclamée, en mettant en lumière la distinction des phrases et membres de phrases par des pauses proportionnées, et en diversifiant l'intensité des syllabes par une accentuation bien en relief, elle ne manquera pas de caractère artistique (1).

Tous les prêtres collaboreront avec un joyeux empressement à cette œuvre de restauration liturgique, si courageusement entreprise et si vigoureusement poursuivie par Sa Sainteté Pie X, en introduisant dans leurs églises et oratoires, sous la direction des Ordinaires (2), les nouvelles éditions vaticanes de chant grégorien. Les deux derniers décrets généraux de la Congrégation des Rites (3), dont le second revêt la forme solennelle de lettres encycliques, prescrivent l'usage du nouveau Graduel *hic et nunc*, dès maintenant, de telle sorte que toutes les éditions qui servaient jusqu'à présent (sans en excepter celle qui est appelée médicéenne) doivent être remplacées *quam primum*, le plus tôt possible, par l'édition vaticane (4) ou par une de ses réimpressions faites selon les règles. Le jour, où les éditeurs auront publié ces réimpressions, en supposant que des circonstances toutes spéciales ne créent pas un cas d'impossibilité, le *quam primum* recevra son entière signification et l'introduction des nouveaux livres de chant deviendra une obligation légale immédiate.

A. De Meester.

---

(1) Les règles d'exécution de ces récitatifs sont excessivement simples et sont formulées dans la Vaticane.

(2) Voir plus haut les lettres encycliques de la Congrégation des Rites du 8 avril 1908.

(3) Du 7 août 1907 et du 8 avril 1908.

(4) Un certain nombre d'exemplaires de l'édition vaticane ont été distribués aux éditeurs des différents pays, pour ne pas retarder l'introduction du nouveau chant jusqu'à l'apparition des réimpressions de la Vaticane.

Indulgentiæ recenter concessæ

In favorem orantium pro agonizantibus.

1. *Oblatio omnium missarum.*

Mon Dieu, je vous offre toutes les Messes qui se célèbrent aujourd'hui dans le monde entier, pour les pécheurs qui sont à l'agonie et qui doivent mourir ce même jour. Que le Sang précieux de Jésus Rédempteur leur obtienne miséricorde (1)!

Indulgentia 300 dierum, defunctis applicabilis, concessa fuit die 26 Octobris 1907 omnibus fidelibus recitantibus hanc orationem. — Rescriptum 18 decembris 1907.

2. Eadem die concessa fuit indulgentia 100 dierum, defunctis quoque applicabilis, sacerdotibus et fidelibus qui in missa commendaverint Deo agonizantes ut supra. Nulla tamen requiritur formula determinata. Rectores ecclesiarum et oratoriorum rogantur ut exponant tabellam, quæ laudatam praxim sacerdotibus et fidelibus commendat.

Invocationes.

1. *Cor Jesu eucharisticum, miserere nobis* (2).

Indulgentia 300 dierum, *semel in die,* applicabilis defunctis. — E Secret. S. C. Indulg. 26 julii 1907.

2. *Cor Jesu eucharisticum, cordis sacerdotalis exemplar, miserere nobis.*

Indulgentia 300 dierum, *toties quoties,* non applicabilis defunctis. E Secret. S. C. Indulg. 11 sept. 1907.

3. *Notre-Dame de Lourdes, priez pour nous.*

SS. D. N. Pius Pp. X in audientia d.d. 9 novem-

---

(1) *Mijn God, ik draag u al de missen op die vandaag in geheel de wereld gedaan worden, voor de zondaars, die in doodstrijd zijn en heden nog zullen sterven. Mocht het kostbaar bloed van Jesus onzen Verlosser hun bermhertigheid verwerven!*

(2) *Eucharistisch Hert van Jesus, ontferm u onzer. — Cœur eucharistique de Jésus, ayez pitié de nous.*

bris 1907 indulgentiam centum dierum concessam per breve 23 junii 1902 (1) auxit ad 300 dies, *toties quoties* lucrandam et defunctis applicabilem. — E Secret. S. C. Indulg. 9 novembris 1907.

4. ℣. *Requiem æternam dona eis Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

Indulgentia 300 dierum, *toties quoties,* applicabilis tantummodo defunctis. — S. C. Indulg. 13 februarii 1908.

Confraternitas B. M. V. de Monte Carmelo.

Sanantur receptiones ad eam quacumque ex causa usque ad hanc diem invalide factæ. Decr. S. C. Indulg. 4 februarii 1908 (2).

Pro clericis in assumendo superpelliceo.

SS. D. N. Pius Pp. X in audientia diei 1 decembris 1907 benigne concessit « ut indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, consequi valeant quotquot in seminariis aliisve collegiis et asceteriis in spem Ecclesiæ rite instituuntur, atque omnes et singuli cujuslibet gradus et ordinis clerici, quotiescumque, in assumendo de more superpelliceo, se cruce signent, pieque sic orent: *Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Amen* ». — E Secret. S. C. Indulg. 1 decembris 1907.

Indultum pro anticipanda confessione.

URBIS ET ORBIS.

Quo Christifideles Indulgentiarum thesauro facilius perfruerentur, hæc S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, Decreto diei 9 Decembris 1763 cunctis fidelibus, quibus laudabilis est consuetudo accedendi semel in hebdomada ad pœnitentiæ Sacramentum, jam indultum

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 543.
(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 547 et t. X, p. 569.

concessit, vi cujus omnes Indulgentias acquirerent per ipsam hebdomadam occurrentes absque alia peccatorum confessione quæ ceteroquin ad eas lucrandas foret necessaria. Hujusmodi vero indultum pro aliquibus regionibus, attenta confessariorum inopia, etiam ad sacramentalem confessionem infra duas hebdomadas peractam extensum fuit. Insuper alio Decreto sub die 6 Octobris 1870 provisum est, ut ad confessionem et S. Synaxim quisque accedere posset die, qui illum immediate præcedit, pro quo aliqua Indulgentia sive ratione festivitatis, sive alia quacumque ex causa fuerit concessa.

Experientia tamen compertum est hisce indultis haud satis consultum, quando agitur de iis Indulgentiis lucrandis, quæ aliquibus festivitatibus extraordinariis sunt adnexæ, vel de iis, quas toties quoties eadem die acquiri datum est. Tunc enim ingens fit fidelium concursus ad sacramenta suscipienda, ita ut eorum pio desiderio multis in locis vix satisfieri posset, nisi confessio præscripta paulo anticipetur ab iis, qui qualibet hebdomada confiteri non solent, neque possunt.

Quapropter SSmo Domino Nostro Pio Pp. X, preces sunt exhibitæ, ut desuper his de apostolica benignitate providere dignaretur, indulgendo ut confessio peragenda ad lucrandam Indulgentiam, si hæc pluries eadam die sit concessa tribus diebus immediate præcedentibus, sin vero semel in die sit concessa, duobus tantum integris diebus anticipari queat.

Et Beatissimus Pater, in audientia habita ab infrascripto Card. Præfecto, die 11 Martii 1908, summopere exoptans majori spirituali bono christifidelium prospicere, expositis precibus clementer annuere dignatus est, ita tamen ut præter communionem pridie dici, cui est adnexa Indulgentia, permissam, in adimplendis ceteris operibus injunctis regula generalis, circa modum et tempus in concessionibus præscriptum, servetur. Præsenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ, e Secretaria ejusdem S. Congregationis die 11 Martii 1908.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Præf.*
† D. Panici, Arch. Laodicen., *Secret.*

Indulgentia plenaria in forma jubilæi pro visitantibus cryptam Lapurdensem.

Per breve d.d. 27 novembris 1907 SS. D. N. Pius Pp. X « omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui vere pœnitentes et confessi ac S. Communione refecti, Cryptam » vulgo dictam *de Massabielle*, ubi np. Immaculata Virgo sese pluries conspiciendam obtulit, « uno anni die, ad cujusque fidelium arbitrium eligendo » a die 11 februarii 1908 usque ad diem 11 februarii 1909 « devote visitaverint, ibique ante Deiparæ imaginem, ab origine Immaculatæ... pias ad Deum preces effuderint (ad intentiones np. consuetas Ecclesiæ), plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse, in forma jubilæi » concessit ac largitus est (1).

Conditiones igitur sunt: Confessio, S. Communio, devota visitatio cryptæ cum precibus consuetis. Ulteriorem explicationem invenies apud *Collat. Brug.*, t. IX, p. 530 ss.

H. Mahieu.

---

(1) *Anal. eccl.*, a. 1908, p. 5.

E Sacra Congr. Concilii

I

Romana et aliarum. — Dubiorum circa decretum de sponsalibus et matrimonio.

Die 28 Martii 1908 proposita sunt coram S. Congr. Concilii sequentia dubia:

I. *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholica ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto* Ne Temere *statuta.*

II. *An in art. XI § 2 ejusdem decreti sub nomine acatholicorum comprehendantur etiam schismatici et hæretici rituum Orientalium.*

III. *Num exceptio, per Const.* Provida *in Germania inducta, censenda sit uti mere localis, aut etiam personalis.*

IV. *An Ordinarii et parochi nedum explicite sed etiam implicite* « invitati ac rogati », *dummodo tamen* « neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum » *valide matrimoniis assistere possint.*

V. *An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ratio dumtaxat menstruæ commorationis, non autem quasi-domicilii.*

VI. *Utrum sponsalia, præterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro delegato.*

VII. *Utrum sponsalia celebrari debeant dumtaxat coram Ordinario vel parocho domicilii aut menstruæ commorationis, an possint etiam celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho.*

Emi Patres responderunt: *Ad Ium Negative. Ad IIum Affirmative. Ad IIIum Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum SSmo. Ad IVum Affirmative. Ad Vum Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad VIum Negative. Ad VIIum Posse celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho, dummodo intra limites territorii ejusdem Ordinarii vel parochi.*

Adnotationes.

Ad 1m. Hac decisione confirmatur abrogatum esse principium antea vigens, vi cujus exemptio unius partis

communicabatur alteri parti: quam abrogationem jam innuebat ipsum decretum *Ne Temere*, sub art. XI, § 2° (1), eamque suadebat Consultor in appendice secundo ad *Votum* præparatorium Decreti. (2).

Deinceps igitur clandestinitatis legi non subducitur matrimonium, nisi utraque pars sit ab ea exempta: subjectio unius partis potius communicatur alteri parti, aliunde exemptæ (3).

Ad 2m. Acatholici de quibus in Decreto *Ne Temere*, sub art. XI, intelliguntur etiam hæretici vel schismatici *Orientales*, ac proinde hisce etiam applicatur norma ibidem statuta.

Sunt igitur, quemadmodum acatholici latini, personaliter exempti, adeo ut matrimonia quæ contrahunt inter se vel cum alia parte pariter exempta (acatholica ritus latini vel catholica orientali) non sint obnoxia novæ disciplinæ, illi autem sint obnoxia connubia ab ipsis celebrata cum parte subjecta, i. e. cum parte catholica ritus latini.

Ad 3m. Exemptio admissa pro Imperio Germanico ita est intelligenda ut non sit personalis, qualis est exemptio hæreticorum inter se, hoc scilicet sensu quod omnes Germani possent ubique terrarum matrimonium inire clandestinum.

Est nempe *localis* exemptio, quatenus illa sola matrimonia mixta exemptione fruantur quæ ineuntur *intra terminos Imperii;* ast non est localis immunitas nisi

---

(1) Cf. *Votum* Consultoris pro præsenti decreto, apud *Anal. eccl.*, 1908, p. 121 s. Consultor ostendit ex una parte principium communicationis, sub œconomia juris Tridentini admissum, non deduci neque ex natura matrimonii, neque ex natura legis irritantis matrimonium sine certa forma celebratum, sed illud positiva concessione esse inductum; ex altera parte in nova disciplina nullum esse verbum aut clausulam qua possit censeri concessa illa communicatio immunitatis, imo omnes clausulas quæ leguntur n. XI potius sonare denegationem.

(2) *Anal. eccl.*, 1908, p. 108.

(3) Quomodo huic regulæ non fiat exceptio pro Germania, vi clausulæ derogatoriæ, de qua sub 3io, cf. *Anal. eccl.*, l. c., p. 121, 2a col.

restrictive dumtaxat, quatenus non omnia matrimonia mixta in Imperio clandestinè inita valeant, sive a Germanis celebranda (iisque Germanis nativitate aut domicilio), sive ab exteris peregrinis, quemadmodùm sponte sua sequeretur ex natura exemptionis simpliciter localis, sed illa tantùm quæ ibidem ineuntur a sponsis *in Germania natis* (1); ita etiam intelligenda est hæc restrictio ut penes *utramque* partem requiratur origo germanica: abrogatum namque vidimus principium communicationis immunitatis.

Ad 4m. Sufficit igitur invitatio et rogatio *implicita* et nullatenus requiritur formalis et explicata. Ita « lorsque les époux se présentent à M. le Curé pour annoncer leur mariage, s'y préparent sous sa direction et conviennent avec lui du jour de célébration, il est clair qu'ils l'invitent par là-même à y assister, et cette invitation, pour être virtuelle et implicite, n'en existe pas moins réellement et suffit » (2). Cf. *Anal. eccl.*, l. c., p. 124, ubi arguit Consultor ex fine legis.

Ad 5m. Hisce dirimitur controversia quam suprà, pp. 99 ss., exposuimus, idque in sensum oppositum ad illum in quem, licet hæsitanter, inclinabamur. Nimirum declaratur, sub nova disciplina, jam non esse attendendum, in ordine ad licitam matrimonii celebrationem, *quasi-domicilium,* sed solam attendendam esse mensilem commorationem, utpote quasi-domicilio, in hac re, substitutam (3).

---

(1) Hanc clausulam strictius urgendam vult S. Congregatio quam sponte sua interpretanda videbatur, quamque eam interpretati sumus suprà, p. 191 s.: ideo verbum fecit cum SSo ut suprema sua auctoritate severiorem illam interpretationem sanciret.

(2) Hizette, *Les Fiançailles et le Mariage,* Namur, p. 33.

(3) Ipse etiam Consultor fatetur, l. c., p. 124, prima fronte contrariam potius solutionem exspectari. « Nam decretum *Ne Temere* in parte dispositiva de quasi-domicilio studiose tacet; solummodo in parte expositiva de illo loquitur ad indicandum subtiles quæstiones de quasi-domicilio et graves difficultates practicas ad factum illius acquisitionis probandum, uberrimum fuisse fontem nullitatis multorum matrimoniorum: quæ fre-

Proinde sufficit et, seposito domicilio, requiritur menstrua habitatio, ad hoc ut licitè possit ad matrimonium procedi, nec adeo posset ad nuptias admitti sponsus qui in parochia habitat cum animo manendi per majorem anni partem, antequam ibidem per mensem commoratus fuerit.

Eo ipso etiam sufficere videtur pro parocho non proprio, ut licentiam obtinuerit a parocho mensilis commorationis; nondum autem satis apparet utrum etiam illi qui per incertas vagantur sedes desinant esse vagi, statim ac in aliquo loco per mensem habitaverint; magis etiam desideratur declaratio circa proclamationem bannorum, ut sciatur quonam sensu intelligendus ibidem sit parochus proprius a quo banna sint denuntianda, an juxta antiquum jus, an vero juxta novum.

Ad 6^{m}. Ad sponsalium valorem requiritur subsignatio, præterquam utriusque sponsi, duorum testium vel parochi seu Ordinarii: parochus autem aut Ordinarius pro hoc munere non possunt sibi substituere delegatum, sicut pro assistentia matrimonii.

Ratio hujus dispositionis in hoc est quod parochi seu Ordinarii defectui suppleri possit per signaturam duorum testium.

Ad 7^{m}. Confirmatur sententia suprà, p. 59 s., proposita, quatenus parochus aut Ordinarius, cujus signatura postulatur, non sit quilibet parochus seu Ordinarius, nec parochus proprius, domicilii scil. aut menstruæ

---

quentes nullitates, præ ceteris rationibus, in causa fuerunt, cur nova disciplina induceretur. Jam vero cum in parte dispositiva ne verbum quidem reperiatur, quo expresse dicatur antiquam canonicam disciplinam de quasi-domicilio (quæ in aliis causis præter matrimonium est practici momenti) debere immutari, et loco notionis communiter admisssæ ac praxi tribunalium confirmatæ, qua quasi-domicilium dicitur consistere in commoratione in parochia cum animo ibidem per majorem anni partem manendi, esse substituendum merum factum menstruæ commorationis in parochia; illa abrogatio quasi-domicilii et substitutio menstruæ commorationis ex legitima decreti interpretatione non videtur *absolute* et *universaliter* admittenda.

commorationis sponsorum, sed requiratur, ac sufficiat, ad valorem et liceitatem sponsalium, parochus seu Ordinarius *loci in quo sponsalia celebrantur*.

Porro *suadet* Consultor in *Voto*, l. c., p. 126, quod consulendum diximus suprà, p. 60, ut, in quantum commodè fieri potest, nupturientes, pro celebratione sponsalium, ad proprium parochum, et quidem ad parochum sponsæ potius quam ad parochum sponsi, remittantur, ut in ejus territorio sponsalitium instrumentum conficiatur. Hanc normam commendat, præter conformitatem cum legislatione matrimoniali : « 1/ quod parochus proprius melius cognoscet sponsos ac scire facilius poterit, an illis sponsalibus rationabiliter opponantur parentes, vel aliæ causæ obsint, quæ illa reddant illicita ; 2/ quod ad ipsum parochum proprium pertinet examen sponsorum, investigatio impedimentorum, status liberi probatio etc. ».

II

Parisien. — Bannorum matrimonii (1).

S. Congr. Concilii annuit pro gratia, facto verbo cum SS^mo^, precibus nuper defuncti Emin^i^ Card. Archiepiscopi Parisiensis, rogantis ut sibi indultum concedere dignetur, « vi cujus deinceps liceat, in parochiis suæ diœceseos quæ continent decem millia parochianorum vel amplius, præfatæ legi Tridentinæ (de denuntiationibus antenuptialibus faciendis) satisfacere, affigendo in loco ecclesiæ conspicuo, per tres dies festivas continuas, scriptas schedulas futura matrimonia exhibentes, quæ schedulæ per totam diem, a prima missa matutina usque ad ultimum officium liturgicum vespertinum, affixæ remaneant ».

Causæ invocatæ erant a/ « magnus matrimoniorum

(1) *Anal. eccl.*, 1908, p. 178 s.

numerus, unde fideles non facilè recordantur audita nomina; b/ nimium tempus pro hisce publicationibus faciendis, unde tædio affecti ab interventu missæ parœcialis, et sacræ in ea concionis avertantur ».

A. De Smet.

E Sacra Congregatione Rituum

Quid cantare liceat pro defunctis post missam lectam.

« An liceat sacerdoti canere post missam privatam Responsorium *Libera me Domine*, aut quid simile, pro defunctis, præsente vel absente cadavere? »

S. Congregat... respondendum censuit: « Si agatur de missa lecta *defunctorum* e Rubricis et decretis permissa, Absolutio in cantu immediate post eam non prohibetur; sin vero de Missa diei currentis aut votiva servetur decretum n. 3780, *Romana, Resolutionis dubiorum*, 12 julii 1892, ad VIII ».

Die 28 martii 1908 (1).

Adnotatio. Decretum citatum n. 3780, *Romana* olim (*Collat. Brug.*, t. IX, p. 606 ss. et t. XI, p. 527) cum lectoribus communicavimus et explicavimus. Notari heic sufficiat S. Congregationem nullam non arripere occasionem ut illud idem decretum in mentem revocet ejusque observationi insistat (2). Nemini igitur dubium sit præfatum decretum *esse servandum*.

C. Callewaert.

(1) Decretum integrum exhibent *Analecta ecclesiastica*, 1908, p. 241.

(2) Cf. ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 526, decretum S. R. C. *Samogitien.* diei 17 mart. 1906.

E S. Congregatione Indicis

Decretum 26 maii 1908.

In Indicem librorum prohibitorum relata sunt quæ sequuntur opera:

L'abbé Emmanuel Barbier, *Le progrès du libéralisme catholique en France sous le Pape Léon XIII*. Histoire documentaire. Paris, P. Lethielleux.

Id., *Ne mêlez pas Léon XIII au libéralisme*. Ibid., 1907.

Jean d'Alma, *La controverse du quatrième évangile*. Paris, E. Nourry, 1907.

Antoine Dupin, *Le dogme de la Trinité dans les trois premiers siècles*. Ibid., 1907.

C. Romano d'Azzi, *Un vasto inganno: la risurrezione dei morti*. Studio critico. Roma, Enrico Voghera, 1907.

Ferdinand Hamelin, *Le journal d'un prêtre*. Roman. Paris, Stock, 1908.

Paulus Bureau, Decreto S. C. d. d. 17 Martii 1908 (1), quo liber ab eo conscriptus, notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subjecit.

E S. Congr. S. R. et U. Inquisitionis

Feria V, 13 februarii 1908. — Prohibentur duo diaria.

Utrumque diarium *La justice sociale* et *La vie catholique* reprobatur et damnatur: sacerdotes Naudet et Dabry formiter ac peremptorie admonentur ne hæc vel alia diaria aut scripta quævis ejusdem indolis sub proprio vel mentito nomine in posterum evulgare audeant, sub pœna suspensionis a divinis ipso facto et absque alia declaratione incurrendæ.

Sacerdotes Naudet et Dabry huic decreto laudabiliter sese subjecerunt.

(1) *Collat. Brugen.*, t. XIII, p. 307.

Consultationes

I

Q. Monialis infirma a mense et ultra decumbit absque certa spe ut citò convalescat. Cum ex una parte ægre servet jejunium ac ex alia parte in pia domo degat, ubi SS^m^ Sacramentum adservatur, ipsi permisi ut, favore privilegii die 7 Dec. 1906 a S. Sede concessi (1), bis in hebdomada S. Eucharistiam suscipiat hausto aliquo potu, vel sumpto etiam aliquo alimento per modum potus.

Porro postulatur utrum a descripti favoris usu non sit prohibenda dicta soror religiosa, si velit, pro ardenti suo dominici convivii desiderio, reliquis hebdomadæ diebus communicare jejuna.

R. Salvo meliori judicio, non est cur, in casu, pia monialis a fruendo privilegio arceatur. Et sanè nulla deest conditio requisita: agitur nempe de persona infirma, ultra mensis spatium et absque spe proximæ convalescentiæ decumbente; imo adeo debilitata supponitur ut non sine gravamine jejunium servare valeat (2). Nec mens videtur esse Ecclesiæ hujusmodi personam a concessa gratia participanda excludere eò quod aliàs, spreto gravamine, legem jejunii servare satagat, ut frequentius eucharistico pane confortari valeat.

Cæterùm indulti tenor non est stricte interpretandus, cum non importet dispensationem, seu legis relaxationem in casu particulari, sed generalem derogationem ac privilegium, quo, infra limites indicatos, legi subducuntur descripti infirmi.

A. De Smet.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 135 ss., Coll. p. 429 s.

(2) Nonnulli interpretes, uti R. P. Vermeersch, *De Religiosis — Periodica*, 1907, p. 178 ss.; Ost, apud *Theol. Prakt. Quartalschrift*, 1907, p. 602; inter conditiones enumerant gravem difficultatem pro infirmo jejunium naturale servandi.

II

Q. Utrum et quousque facultates in materia indulgentiarum obtentæ debeant exhiberi Ordinario.

R. Ad rem facit declaratio sequens S. C. Indulg. 5 februarii 1841 (*Decr. auth.*, n. 286, ad 2m): « Utrum qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes Viæ Crucis, benedicendi cruces, numismata etc. debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum rescriptis »? Respondit S. Congregatio: « Affirmative quoad Viæ Crucis erectionem, *negative relate ad alias facultates, nisi aliter disponatur in obtentis concessionibus* ».

Unde sedulo inspiciendus est tenor concessionis: quodsi addatur clausula *de consensu Ordinarii* aliave similis, requirendus est consensus Ordinarii loci in quo facultas exercetur. Hujusmodi autem consensus requiritur ordinarie *ad liceitatem* tantum (*Instructio* 14 junii 1901 ap. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 544), nisi expresse exigatur ad valorem. Exempla inveniet studiosus lector apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 387 ss., et diligenter attendat ad citatam *Instructionem* quoad indulgentias apostolicas et S. Birgittæ (1).

Sit exemplum satis practicum. Nuper concessum est privilegium benedicendi rosaria eisque adnectendi indulgentias a PP. Crucigeris nuncupatas tum Sacerdotibus Adoratoribus (2), tum rectoribus ac fautoribus operis Propagationis fidei (3): jamvero priores non debent, posteriores vero debent exquirere consensum Ordinarii loci, ut licite hujusmodi facultas exerceatur. In memoriam iterum revocare liceat Revmum Episcopum Brugensem semel pro semper dedisse consensum, requisitum ad usum *facultatum pii operis Propagationis*

(1) Cfr. etiam *Collat. Brug.*, t. IX, p. 403.
(2) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 732.
(3) *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 305.

fidei, « omnibus et singulis diœcesis nostræ sacerdotibus, pro tempore quo conditiones requisitas adimpleverint (1) ».

III

Q. Ut *valide* exerceatur facultas benedicendi coronas, cruces, numismata etc. cum applicatione indulgentiarum apostolicarum et S. Birgittæ opus est, juxta *Instr.* 14 junii 1901 (2), « ut Sacerdos ad excipiendas Sacramentales Confessiones, saltem virorum, *sit approbatus* ». An hæc verba intelligi debent ac si requiratur *jurisdictio actu habita?*

R. *Negative.* Verba enim sunt stricte interpretanda, ac proinde sufficit approbatio. Utique hæc solet conjungi juxta hodiernam disciplinam cum actuali jurisdictione; at, cessante jurisdictione, v. g. ob demissionem muneris sponte factam, censetur perdurare approbatio sufficiens ad valide exercendam prædictam facultatem.

H. Mahieu.

IV

Quær. Quando diaconus post *Et incarnatus est* ad altare defert bursam cum corporali tenetne eam deferre *apertam?*

Resp. Negative. Nulla rubrica hoc præscribitur. Verba ceterum magis explicita sunt Cæremonialis Episc. II, viii, 54: « Diaconus, finito versiculo, surgit, surgente etiam subdiacono, et accedens ad abacum capit bursam cum corporali, quam ambabus manibus elevatis usque ad oculos, cum decenti mora, et gressu, ac cum debitis reverentiis portat ad altare, ubi extrahit corporale ». Nec auctoritate aut ratione defendi videtur hæc praxis. Petunt quidem universim auctores ut diaconus ita deferat bursam ut habeat *aperturam* versus se, non

(1) Cfr. *Acta Congreg. prosyn. a. 1896* ap. *Collat. Brug.*, t. I, p. 384, sub VII.

(2) *Collat. Brug.*, t. VI, p. 544, coll. t. IX, p. 403.

autem requirunt ut eam deferat *apertam* versus se. Et sane si apertura esset ex adverso, minus facile ad altare extraheretur corporale. Hæc autem ratio commodi nullatenus petit ut bursa jam aperta deferatur antequam ad altare perveniatur.

C. CALLEWAERT.

Notæ Bibliographicæ

Quum in recensione quam suprà, p. 229, de libro composito a D. Dryvers scripsi A. censeat esse ipsi plura adscripta quæ a sensu suo sunt aliena, ipse nobis misit epistolam quam vult ut lectoribus nostris exhibeamus: quod hic facimus notulas quasdam adjungendo, et præsertim verba auctoris referendo, quibus lectores valeant rectum ferre judicium de valore objectionum Domini Dryvers.

J. VAN DER MEERSCH.

« Liceat mihi quædam corrigere in iis quæ R. D. Van der Meersch in sua recensione mei operis *De Ware Godsdienst* (*Collat.* hujus anni p. 229) tamquam mea concepta vel mea argumenta erronee refert vel suggerit.

« 1° Criticus ostendere volens me non probare quod probandum erat, scilicet Ecclesiam miraculose existere, citat hoc meum argumentum: Een godsdienst, die van God komt, moet een algemeen of wereldgodsdienst zijn. Welnu de Roomsch Katholieke godsdienst alleen is een wereldgodsdienst. Dus kan alleen de Roomsch Katholieke godsdienst van God komen. — Recte quidem annotat Dom. V. d. M. hoc argumentum non importare conclusionem positivam sed erronee innuit me hoc argumentum protulisse ut positivum (1), quum e contra expresse declaraverim (p. 180) hoc

(1) Ego non annotavi prædictum argumentum non importare conclusionem positivam, nec innui D. Dryvers hoc argumentum protulisse ut positivum, sed relato argumento sicut habetur in libro, scripsi: « Conclusio igitur non est: ergo Ecclesia catholica est miraculum », significando per hanc animadversionem argumentum illud non valere ad scopum intentum ab auctore: quod iterum nunc affirmo.

argumentum esse tantum negativum. Positivum autem de catholicitate argumentum subsequitur p. 182; de hoc nihil habet censor (1).

« 2° Scribit Dom. V. d. M.: Major illius syllogismi (sc. religionem divinam debere esse catholicam) demonstrari nequit. — Et ego ipse adnotaveram (p. 181) hanc majorem non esse absolute certam, sed tamen valde probabilem, quia nulla ratio adduci possit, cur Deus, omnium populorum Creator et Pater, quosdam populos a beneficiis suæ religionis excluderet. — Criticus vero hanc meam explicationem prætermittendo, erronee suggerit me illam majorem posuisse ut absolute certam (2).

---

(1) Ut lectores valeant intelligere quæ dicit hîc D. Dr., oportet ut quædam ex ejus libro transcribamus: « De drie kenmerken (algemeenheid, eenheid, heiligheid) kunnen opgevat worden, als negatieve of mogelijk-makende bewijzen van de goddelijkheid der Kerk; en ook als positieve of stellig-makende bewijzen. Als mogelijk-makende, bewijzen zij dat de Roomsche Kerk *kan* goddelijk zijn, in dezer voege: (sequitur argumentum suprà descriptum)... (p. 180-181). De drie kenteekenen kunnen ook als stellig-makende bewijzen aanzien worden, dit is als mirakelen in de zedelijke orde. Dan luiden zij alzoo: Eene Kerk, wier algemeenheid zoodanig is dat zij alleen van God komen kan, is de Kerk van God. Welnu de algemeenheid der Kerk... is zoodanig dat zij aan Gods bijzondere tusschenkomst moet toegeschreven worden. Dus is de Roomsche Kerk de Kerk van God » (p. 182).

Circa quæ animadvertimus: a/ recte distinguuntur *notæ* in positivas et negativas, sed non ideo recte dicuntur *demonstrationes* positivæ, quæ desumuntur ex notis positivis, et *demonstrationes* negativæ quæ desumuntur ex notis negativis.

b/ argumentum cujus conclusio est: « Dus kan alleen de Roomsch-Katholieke Godsdienst van God komen » si quid valet, est positivum; huc enim spectat ut *positive* ostendatur quod sola Ecclesia catholica possit esse vera Dei religio.

c/ Argumentum quod A. exhibet ut positivum (p. 182) bonum est, dummodo demonstretur minor: mihi autem videtur quod sola catholicitas non sufficit ad demonstrandum *miraculosam* esse Ecclesiam; requiritur ut simul considerentur et unitas et catholicitas: cf. Wilmers, *De Ecclesia*, n. 296 ss.; De San, *De Ecclesia*, p. 101 ss.

(2) a/ D. Dryvers non *annotat* (p. 181) hanc majorem non esse absolute certam, sed in explicatione hujus majoris dicit: Deus stricte loquendo posset instituere aliquam religionem exclusive pro aliquibus populis, sed nulla ratio adduci potest cur Deus... quosdam populos a beneficiis suæ religionis excluderet.

b/ Probabilitatem hujus Majoris non admitto, ut exponam in notula sequenti.

« 3° Contra eamdem Majorem objicit censor noster : Ante Christi adventum nulla erat religiosa societas *de facto* catholica, licet populus hebraïcus revelatam haberet et custodiret religionem. — Affert, dico, hanc objectionem, non referens me ipsi mihi illam posuisse et illi respondisse (p. 28). Unde lectores falso concludent me hanc objectionem non prævidisse. Responderam autem religionem judaïcam (quæ fuit stadium inchoativum christianismi) jam ab initio natam fuisse fieri catholicam (1).

« 4° Immerito me carpit criticus quasi ad salutem paganorum non requirerem veram fidem, quum ex verbis meis (p. 88) opposita sententia facile erutur (2).

« 5° Distinctionem inter fidem et scientiam profanam nullo modo sustuli, ut innuit criticus, sed e contra clare, ut puto, indicavi (p. 172). Fidem autem appellavi scientiam

---

(1) In p. 28 auctor babet hanc notulam : « De Joodsche godsdienst, ofschoon nationaal, was nochtans reeds tot algemeenheid bestemd. Aan Abraham werd beloofd dat in hem alle volkeren moesten gezegend worden ». Circa quæ notemus : a/ *destinatio* ad catholicitatem nullo modo tradi potest ut *nota* alicujus existentis religionis ; b/ religio judaïca, qua talis, non erat *destinata* ad catholicitatem : *societas* a Christo instituta est *realiter distincta* a Synagoga : *nova* illa *societas*, a Christo instituta, est catholica, altera, nempe synagoga, minime. Licet judaismus fuerit stadium inchoativum christianismi, tamen in mente Dei non fuit in hoc stadio destinatus ad universalitatem, de qua agitur : catholicitas est proprietas *solius* ecclesiæ *a Christo fundatæ*. Promissiones factæ ad Abraham nonnisi *in Christo* verificandæ erant. c/ Inde iterum affirmo nec certam, nec probabilem esse hanc propositionem : « Een godsdienst die van God komt *moet* een algemeene of wereld godsdienst zijn » : nam voluit vel permisit Deus ut per tot sæcula religio, ab Ipso revelata, non esset catholica.

(2) En verba Auctoris, p. 88 : « Met andere woorden men moet God kennen als oppersten wetgever op zedelijk gebied. Die kennis nu kunnen alle menschen door hunne rede verwerven ; zulke kennis is nog geen zaligmakend geloof ; maar komt daar dan de bovennatuurlijke gratie bij, welke God hun niet zal weigeren, dan zijn die menschen op den weg naar den hemel, mits maar de natuurlijke wet te onderhouden in zoover zij kunnen ». Ergo, secundum Auctorem, a/ cognitio necessaria est cognitio *naturalis*, quippe quæ ab omnibus hominibus *ratione* potest acquiri ; b/ hæc cognitio *non est fides salvifica ;* c/ tamen illa cognitio naturalis sufficit dummodo huic accedat gratia supernaturalis. — Quid hoc sibi vult? An putat D. Dryvers cognitionem naturalem *transformari* per gratiam in veram fidem?

eodem sensu quo S. Thomas doctrinam catholicam veram esse scientiam demonstrat (1).

« Quum vero Dom. V. d. M. neget se argumenta mea ad probandam miraculosam Ecclesiæ existentiam *clare* demonstrantia invenire, libenter coram lectoribus *Collationum* longius dissererem de hac gravi quæstione: quænam præcise claritas in demonstratione veræ fidei requiri possit ac debeat. Sed quia mihi responsum est Collationes non admittere articulos ab extraneis conscriptos, huic rationi acquiescere debeo, sperans fore ut alibi hanc quæstionem elucidare possim.

« Interim non dubito quin in gratiam veritatis et æquitatis, præsentes explicationes lectoribus vestris libenter communicetis et summa cum reverentia permaneo

humillimus famulus vester
FR. DRYVERS.

*
* *

E. De Saegher, *Schetsen van voordrachten over geloofsverdediging,* 2 Boekd. Rousselare, De Meester. In-12, 64 en 82 bl.

In deze twee boekjes vinden wij den inhoud der voordrachten die de schrijver met altijd aangroeienden bijval te Rousselare geeft: in het *eerste,* handelt hij over den aard der geloofsverdediging, het bestaan en de eigenschappen van God, het verstand en den vrijen wil van den mensch, de noodzakelijkheid van den godsdienst; in het *tweede,* over de openbaring: hare mogelijkheid, en noodzakelijkheid, kenbaarheid bij middel van de voorzegging en het wonderwerk of mirakel; daar ook vinden wij eene belangrijke verhandeling nopens *Geloof* en *wetenschap* waar het verschil dezer kennissen en hunne wederzijdsche overeenkomst wel voorgesteld worden.

Die « Schetsen » zijn grondig en zeker in de leering, klaar in de verdeeling der stoffe, duidelijk en nauwkeurig in den uitleg der begrippen.

J. VAN DER MEERSCH.

---

(1) Non dixi a Dno Dryvers negari distinctionem inter fidem et scientiam *profanam,* sed dixi et dico: « scientia non est fides, sive natura *actus cognoscitivi* spectetur sive *objectum* ». Est enim aliqua vera *scientia,* quæ non est profana, illa scilicet quæ vocatur *theologia,* et hæc scientia est distinguenda a fide. Quodsi D. Dryvers, inaccurate loquendo, *fidem* vocat *scientiam fidei,* tunc dicat fidem esse scientiam! Sed sic non loquitur S. Thomas. Perpendamus v. gr. hæc ejus verba: Fides *cognitio* (non scientia) quædam est, inquantum intellectus determinatur per fidem ad aliquod cognoscibile. Sed hæc determinatio ad unum non procedit ex visione credentis, sed a visione ejus cui creditur. Et sic, inquantum deest visio, deficit a ratione cognitionis, quæ est in *scientia.* Nam *scientia* determinat intellectum ad unum per visionem et intellectum primorum principiorum » I, Q. XII, a. 13, ad 3.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris.

—

I

Cùm in secunda panum multiplicatione (*Mt* XV, 32-38 coll. *Mc* VIII, 1-10) Apostoli prioris multiplicationis (*Mt* XIV, 15-21) non videantur recordari, et nesciant quomodo penuriæ miraculose occurri possit; cùm præterea similitudines quædam cum priore eventu deprehendantur, plures Rationalistæ contendunt in Evangeliis duas reperiri relationes ejusdem eventûs (seu, ut ipsi volunt, ejusdem legendæ). Ipsos perperam ratiocinari ostende.

II

Quid censes de valore sequentis argumenti: Est scripta in corde omnium hominum lex quædam moralis qua vere obligatur voluntas; atqui talis lex supponit legislatorem supremum; ergo existit supremus legislator, h. e. Deus.

III

Describatur influxus passionis in voluntarium et liberum.

IV

Indica præcipuas difficultates quæ contra praxim a confessario circa formulam G. v. d. adhibendam, moveri solent.

V

Solvantur eædem difficultates.

VI

Accurate describe quomodo facienda sint signa crucis super hostiam vel calicem vel utrumque. Breviter adde eorum significationem.

Vient de paraître chez BEYAERT, Editeur à Bruges:

Le Pain de Vie. *Vie surnaturelle-Communion quotidienne*, par JÉR. MAHIEU, S. T. L., Directeur du Grand Séminaire. Un vol. de 300 p. Prix: 1,50 fr. Cartonné: 1,80 fr. Par 12 exempl., remise de 20 %.

A. De Smet, S. T. L. *Commentarius in decretum 2 Aug. 1907 de Sponsalibus et Matrimonio.* (Ex periodico COLLATIONES BRUGENSES, t. XIII) Brugis, Ad. Maertens-Matthys, 1908, 48 p. Prix: 0,50 fr.

A. Camerlynck, S. T. D. *Dieu a inspiré la Bible — La famille,* Bruges, Ad. Maertens-Matthys. Prix 15 centimes. Remise importante pour la propagande.

Canisiusblad. — Bij JULIUS DE MEESTER, te Rousselare (West-Vlaanderen). PRIJS: 2 fr. 's jaars. — Met St. GREGORIUSBLAD erbij: 2 fr. 50.

Inhoud van Mei: Godsdienstonderwijs. — Over Palestina. — Over gewijde voorwerpen. (Vervolg).

Inhoud van Juni: Woorduitleg van den Catechismus. — Over Palestina. — Het aanleeren van de Catechismusles in de school. Aanbevolen boek. — Nog de veertiendaagsche Communie der kinderen. (Zie Canisiusblad, bl. 40). — Wenken en Vragen. — Allerlei.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X CONSTITUTIO APOSTOLICA DE ROMANA CURIA.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sapienti consilio sa. me. Pontifex Xystus V, Decessorum vestigiis inhærens eorumque cœpta perficiens, sacros Cardinalium cœtus, seu Romanas Congregationes, quarum aliquot jam erant ad certa negotia institutæ, augeri numero voluit, ac suis quamque finibus contineri. Quare Apostolicis Litteris, die XXII mensis Januarii an. MDLXXXVII, queis initium, *Immensa*, ejusmodi Congregationes constituit quindecim, ut, « partita inter eos aliosque romanæ Curiæ magistratus in- » genti curarum negociorumque mole », quæ solet ad Sanctam Sedem deferri, jam necesse non esset tam multa in Consistorio agi ac deliberari, simulque possent controversiæ diligentius expendi, et celerius faciliusque eorum expediri negotia, qui undique, sive studio religionis ac pietatis, sive juris persequendi, sive gratiæ impetrandæ, aliisve de causis ad Summum Pontificem confugerent.

Quantum vero utilitatis ex sacris his Congregationibus accesserit sive ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, sive ad justitiam administrandam, sive ad ipsos Romanos Pontifices relevandos, crescentibus in dies curis negotiisque distentos, compertum ex Ecclesiæ historia exploratumque omnibus est.

Verum decursu temporis ordinatio Romanæ Curiæ a Xysto V potissimum per memoratas Apostolicas Litteras constituta, haud integra perstitit. Nam et Sacrarum Congregationum numerus, pro rerum ac temporum necessitatibus, modo auctus est, modo deminutus; atque ipsa jurisdictio unicuique Congregationi primitus attributa, modo

novis Romanorum Pontificum præscriptis, modo usu aliquo sensim inducto ratoque habito, mutationibus obnoxia fuit. Quo factum est ut hodie singularum jurisdictio, seu *competentia,* non omnibus perspicua nec bene divisa evaserit; plures ex Sacris Congregationibus eâdem de re jus dicere valeant, et nonnullæ ad pauca tantum negotia expedienda redactæ sint, dum aliæ negotiis obruuntur.

Quapropter haud pauci Episcopi ac sapientes viri, maxime vero S. R. E. Cardinales, tum scriptis tum voce, et apud Decessorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII, et apud Nos ipsos sæpe institerunt ut opportuna remedia hisce incommodis afferrentur. Quod Nos quidem pro parte præstare curavimus datis Litteris die XVII mensis Decembris anno MCMIII, *Romanis Pontificibus;* aliisque datis die XXVIII mensis Januarii anno MCMIV, *Quæ in Ecclesiæ bonum;* itemque aliis datis die XXVI mensis Maii anno MCMVI, *Sacræ Congregationi super negotiis.*

Cum vero in præsenti res quoque sit de ecclesiasticis legibus in unum colligendis, maxime opportunum visum est a Romana Curia ducere initium, ut ipsa, modo apto et omnibus perspicuo ordinata, Romano Pontifici Ecclesiæque operam suam præstare facilius valeat et suppetias ferre perfectius.

Quamobrem, adhibitis in consilium pluribus S. R. E. Cardinalibus, statuimus ac decernimus, ut Congregationes, Tribunalia et Officia, quæ Romanam Curiam componunt et quibus Ecclesiæ universæ negotia pertractanda reservantur, post ferias autumnales decurrentis anni, hoc est a die III mensis Novembris MDCCCCVIII, non alia sint, præter consueta sacra Consistoria, quam quæ præsenti Constitutione decernuntur, eaque numero, ordine, competentia, divisa et constituta maneant his legibus, quæ sequuntur.

I

SACRÆ CONGREGATIONES

1°

CONGREGATIO SANCTI OFFICII

1. Hæc Sacra Congregatio, cui Summus Pontifex præest, doctrinam fidei et morum tutatur.

2. Eidem proinde soli manet judicium de hæresi aliisque criminibus, quæ suspicionem hæresis inducunt.

3. Ad ipsam quoque devoluta est universa res de Indulgentiis, sive quæ doctrinam spectet, sive quæ usum respiciat.

4. Quidquid ad Ecclesiæ præcepta refertur, uti abstinentiæ, jejunia, festa servanda, id omne, huic Sacro Consilio sublatum, Congregationi Concilii tribuitur; quidquid ad Episcoporum electionem spectat, sibi vindicat Congregatio Consistorialis; relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum, Congregatio negotiis sodalium religiosorum præposita.

5. Etsi peculiaris Congregatio sit constituta *de disciplina Sacramentorum*, nihilominus integra manet Sancti Officii facultas ea cognoscendi quæ circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtæ religionis versantur, præter ea quæ attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis Sacramentis, doctrinam.

2°

CONGREGATIO CONSISTORIALIS

1. Duas hæc Sacra Congregatio, easque distinctas partes complectitur:

2. Ad primam spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed præterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxiis novas diœceses et *capitula* tum *cathedralia* tum *collegiata* constituere; diœceses jam constitutas dividere; Episcopos, Administratores apostolicos, Adjutores et Auxiliarios Episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu *processus* super eligendis indicere actosque diligenter expendere; ipsorum periclitari doctrinam. At si viri eligendi vel diœceses constituendæ aut dividendæ sint extra Italiam, administri Officii a publicis negotiis, vulgo *Secretariæ Status*, ipsi documenta excipient et *Positionem* conficient, Congregationi Consistoriali subjiciendam.

3. Altera pars ea omnia comprehendit, quæ ad singularum diœcesium regimen, modo Congregationi de Propaganda Fide subjectæ non sint, universim referuntur, quæque ad Congregationes Episcoporum et Concilii hactenus pertine-

bant, et modo Consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; cognitio eorum quæ ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum diœcesium; indictio apostolicarum visitationum, examenque earum quæ fuerint absolutæ, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos delatam singulis vicibus, præscriptio eorum, quæ aut necessaria visa fuerint aut opportuna; denique ea omnia quæ ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent.

4. Hujus Congregationis erit, in conflictatione jurium, dubia solvere circa *competentiam* Sacrarum Congregationum.

5. Hujus Sacri Consilii Summus Pontifex perget esse Præfectus. Eique Cardinales *a secretis* S. Officii et *Secretarius Status* semper ex officio accensentur, præter alios, quos Summus Pontifex eidem adscribendos censuerit.

6. A secretis semper esto Cardinalis a Summo Pontifice ad id munus eligendus; alter ab ipso erit Prælatus, cui *Adsessoris* nomen, qui idem fungetur munere a secretis Sacri Collegii Patrum Cardinalium, et sub ipso sufficiens administrorum numerus.

7. Consultores hujus Congregationis erunt *Adsessor* Sancti Officii, et *a secretis* Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, durante munere: quibus accedent alii, quos Summus Pontifex elegerit.

3°

CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

1. Est huic Sacræ Congregationi proposita universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi jure Congregationis Sancti Officii, secundum ea quæ superius statuta sunt, et Sacrorum Rituum Congregationis circa cæremonias quæ in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

2. Itaque eidem Congregationi tribuuntur ea omnia, quæ huc usque ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Romanæ Curiæ decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo

tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio conjugum, natalium restitutio seu legitimatio prolis; tum in disciplina aliorum Sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendæ, salvo jure Congregationis negotiis religiosorum sodalium præpositæ ad moderandam eorumdem ordinationem; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones Eucharistiæ sumendæ, Sacri litandi, adservandi Augustissimi Sacramenti; aliaque id genus.

3. Quæstiones quoque de validitate matrimonii vel sacræ Ordinationis, aliasque ad Sacramentorum disciplinam spectantes, eadem Congregatio dirimit, incolumi jure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio judicaverit hujusmodi quæstiones judiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad Sacræ Romanæ Rotæ tribunal remittat.

4. Congregationi huic, quemadmodum ceteris omnibus quæ sequuntur, erit Cardinalis Præfectus, qui præerit sacro Ordini, aliquot Patribus Cardinalibus a Pontifice Summo eligendis conflato, cum *Secretario* aliisque necessariis administris et consultoribus.

4°

CONGREGATIO CONCILII

1. Huic Sacræ Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quæ ad universam disciplinam Cleri sæcularis populique christiani refertur.

2. Quamobrem ipsius est curare ut Ecclesiæ præcepta serventur, cujus generis sunt jejunium (excepto eucharistico, quod ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinet) abstinentia, decimæ, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles; moderari quæ Parochos et Canonicos spectant; item quæ pias Sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa diœcesana, aliaque hujusmodi, attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quæ ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet.

3. Ad eamdem pertinent ea omnia quæ ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum cœtus seu *conferentias* referuntur, suppressa Congregatione speciali, quæ hactenus fuit, pro Conciliorum revisione.

4. Est autem hæc Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinæ, seu, ut vulgo dicitur, *in linea disciplinari* pertractandas judicaverit; cetera ad Sacram Romanam Rotam erunt deferenda.

5. Congregationi Concilii adjungitur et unitur, qua Congregatio specialis, ea quæ *Lauretana* dicitur.

5°

CONGREGATIO NEGOTIIS RELIGIOSORUM SODALIUM PRÆPOSITA

1. Hæc Sacra Congregatio judicium sibi vindicat de iis tantum, quæ ad Sodales religiosos utriusque sexus tum solemnibus, tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines sæculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

2. Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quæ sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quæ ratione disciplinæ, seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore; ceteræ ad Sacram Romanam Rotam erunt deferendæ, incolumi semper jure Sancti Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes.

3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a jure communi pro sodalibus religiosis.

6°

CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

1. Sacræ hujus Congregationis jurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia nondum constituta,

status missionis perseverat. Verum, quia regiones nonnullæ, etsi hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid præseferunt, eas Congregationi de Propaganda Fide subjectas esse volumus.

2. Itaque a jurisdictione Congregationis de Propaganda Fide exemptas et ad jus commune deductas decernimus — in *Europa* — ecclesiasticas provincias Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, et Hollandiæ, ac diœcesim Luxemburgensem; — in *America* — provincias ecclesiasticas dominii Canadensis, Terræ Novæ et Fœderatarum Civitatum, seu *Statuum Unitorum*. Negotia proinde quæ ad hæc loca referuntur, tractanda in posterum non erunt penes Congregationem de Propaganda Fide, sed, pro varia eorumdem natura, penes Congregationes ceteras.

3. Reliquæ ecclesiasticæ provinciæ ac diœceses, jurisdictioni Congregationis de Propaganda Fide hactenus subjectæ, in ejus jure ac potestate maneant. Pariter ad eam pertinere decernimus Vicariatus omnes Apostolicos, Præfecturas seu missiones quaslibet, eas quoque quæ Congregationi a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis modo subsunt.

4. Nihilominus, ut unitati regiminis consulatur, volumus ut Congregatio de Propaganda Fide ad peculiares alias Congregationes deferat quæcumque aut fidem attingunt, aut matrimonium aut sacrorum rituum disciplinam.

5. Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicet quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos, sive simul sumptos tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos, sive simul sumptos attingit, ad Congregationem Religiosorum negotiis præpositam remittat aut relinquat.

6. Unitam habet Congregationem pro negotiis Rituum Orientalium, cui integra manent quæ huc usque servata sunt.

7. Præfectura specialis pro re œconomica esse desinit; omnium vero bonorum administratio, etiam *Reverendæ Cameræ Spoliorum*, ipsi Congregationi de Propaganda Fide committitur.

8. Cum hac Congregatione conjungitur Cœtus pro *unione Ecclesiarum dissidentium*.

7°

CONGREGATIO INDICIS

1. Hujus sacræ Congregationis in posterum erit non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos si oportuerit, prohibere, et exemptiones concedere; sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, si quæ in vulgus edantur scripta cujuslibet generis, damnanda; et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere, eaque Sanctæ Sedi denunciare, ad normam Const. *Officiorum,* xxv Jan. MDCCCXCVII.

2. Cum vero librorum prohibitio persæpe propositam habeat catholicæ fidei defensionem, qui finis est etiam Congregationis Sancti Officii, decernimus ut in posterum omnia quæ ad librorum prohibitionem pertinent, eaque sola, utriusque Congregationis Patres Cardinales, Consultores, Administri secum invicem communicare possint, et omnes hac de re eodem secreto adstringantur.

8°

CONGREGATIO SACRORUM RITUUM

1. Hæc Sacra Congregatio jus habet videndi et statuendi ea omnia, quæ sacros ritus et cæremonias Ecclesiæ Latinæ proxime spectant, non autem quæ latius ad sacros ritus referuntur, cujusmodi sunt præcedentiæ jura, aliaque id genus, de quibus, sive servato judiciario ordine sive ratione disciplinæ, hoc est, uti aiunt, *in linea disciplinari* disceptetur.

2. Ejus proinde est præsertim advigilare ut sacri ritus ac cæremoniæ diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quæ Ecclesiæ Latinæ cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quæ ad sacros ritus vel cæremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in hæc abusus irrepant.

3. Denique ea omnia exequi debet, quæ ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quoquo modo referuntur.

4. Huic Congregationi adjunguntur Cœtus *liturgicus*, Cœtus *historico-liturgicus* et Cœtus *pro Sacro Concentu*.

9°

CONGREGATIO CÆREMONIALIS

Hæc Sacra Congregatio jura hactenus ipsi tributa integra servat; ideoque ad eam pertinet moderatio cæremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quæstiones cognoscit de præcedentia tum Patrum Cardinalium, tum Legatorum, quos variæ nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

10°

CONGREGATIO PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

In ea tantum negotia Sacra hæc Congregatio incumbit, quæ ejus examini subjiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem *Secretarium Status*, præsertim ex illis quæ cum legibus civilibus conjunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur.

11°

CONGREGATIO STUDIORUM

Est huic Sacræ Congregationi commissa moderatio studiorum in quibus versari debeant majora athenæa, seu quas vocant Universitates, seu Facultates, quæ ab Ecclesiæ auctoritate dependent, comprehensis iis quæ a religiosæ alicujus familiæ sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

II

TRIBUNALIA

1°

SACRA PŒNITENTIARIA

Hujus sacri judicii seu tribunalis jurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat quæ forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Itaque, externi fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina Sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit præterea quæstiones conscientiæ, easque dirimit.

2°

SACRA ROMANA ROTA

Quum Sacræ Romanæ Rotæ tribunal, anteactis temporibus omni laude cumulatum, hoc ævo variis de causis judicare ferme destiterit, factum est ut Sacræ Congregationes forensibus contentionibus nimium gravarentur. Huic incommodo ut occurratur, iis inhærentes, quæ a Decessoribus Nostris Xysto V, Innocentio XII et Pio VI sancita fuerunt, non solum jubemus « per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem judiciarium cum processu et probationibus requirentes » (Litt. Secretariæ Status, XVII Aprilis MDCCXXVIII); sed præterea decernimus, ut causæ omnes contentiosæ non majores, quæ in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad Sacræ Romanæ Rotæ tribunal, quod hisce litteris rursus in exercitium revocamus juxta *Legem propriam,* quam in appendice præsentis Constitutionis ponimus, salvo tamen jure Sacrarum Congregationum, prout superius præscriptum est.

3°

SIGNATURA APOSTOLICA

Item supremum Signaturæ Apostolicæ tribunal restituendum censemus, et præsentibus litteris restituimus, seu melius instituimus, juxta modum qui in memorata *Lege* determinatur, antiqua ordinatione tribunalium *Signaturæ papalis gratiæ et justitiæ* suppressa.

III

OFFICIA

1°

CANCELLARIA APOSTOLICA

1. Huic officio præsidet unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui posthac Cancellarii, non autem Vice-Cancellarii nomen assumet. Ipse juxta pervetustam consuetudinem in sacris Consistoriis, ex officio, notarii munere fungitur.

2. Ad Cancellariæ officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum diœcesium et capitulorum institutionem, et pro aliis majoribus Ecclesiæ negotiis conficiendis.

3. Unus erit earum expediendarum modus, hoc est per *viam Cancellariæ*, juxta normam seorsim dandam, sublatis iis modis qui dicuntur per *viam secretam, de Camera* et *de Curia*.

4. Expedientur memoratæ litteræ seu *bullæ* de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad ejus jurisdictionem spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis ad unguem in singulis casibus ipsius mandati terminis.

5. Suppresso collegio Prælatorum, qui dicuntur *Abbreviatores majoris vel minoris residentiæ,* seu *de parco majori vel minori;* quæ ipsius erant munia in subscribendis apostolicis bullis transferuntur ad collegium Protonotariorum Apostolicorum, qui vocantur *participantes de numero.*

2°

DATARIA APOSTOLICA

1. Huic officio præest unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui in posterum Datarii, non vero Pro-Datarii nomen obtinebit.

2. Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicæ Sedi reservata; conficere et expedire Apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quæ Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

3. In his omnibus agendis normas peculiares sibi proprias, aliasque seorsim dandas servabit.

3°

CAMERA APOSTOLICA

Huic Officio cura est atque administratio bonorum ac jurium temporalium Sanctæ Sedis, quo tempore præsertim hæc vacua habeatur. Ei officio præest S. R. E. Cardinalis Camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitas a Const. *Vacante Sede Apostolica,* xxv Dec. MDCCCCIV.

4°

SECRETARIA STATUS

Officium hoc, cujus est supremus moderator Cardinalis a *Secretis Status,* hoc est a publicis negotiis, triplici parte constabit. Prima pars in negotiis extraordinariis versabitur, quæ Congregationi iisdem præpositæ examinanda subjici debent, ceteris, pro diversa eorum natura, ad peculiares Congregationes remissis; altera in ordinaria negotia incumbet, ad eamque, inter cetera, pertinebit honoris insignia quæque concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quæ Antistiti pontificali domui Præposito sunt reservata; tertia expeditioni Apostolicorum Brevium, quæ a variis

Congregationibus ei committuntur, vacabit. — Primæ præerit *Secretarius* Congregationis pro negotiis extraordinariis; alteri *Substitutus* pro negotiis ordinariis; tertiæ *Cancellarius* Brevium Apostolicorum. Inter harum partium præsides primus est *Secretarius* Sacræ Congregationis negotiis extraordinariis præpositæ, alter *Substitutus* pro ordinariis negotiis.

5°

SECRETARIÆ BREVIUM AD PRINCIPES ET EPISTOLARUM LATINARUM

Duplex hoc officium sua munia, ut antea, servabit, latine scribendi acta Summi Pontificis.

In posterum vero in omnibus Apostolicis Litteris, sive a *Cancellaria* sive a *Dataria* expediendis, initium anni ducetur, non a die Incarnationis Dominicæ, hoc est a die xxv mensis Martii, sed a Kalendis Januariis.

Itaque Congregationes, Tribunalia, Officia, quæ diximus, posthac Romanam Curiam constituent, servata eorum quæ ante Nostras has litteras exstabant, propria constitutione, nisi immutata fuerit secundum superius præscripta aut secundum legem ac normas sive generales sive speciales quæ Constitutioni huic adjiciuntur.

Congregatio quæ dicitur *Reverendæ fabricæ S. Petri*, in posterum unam sibi curandam habebit rem familiarem Basilicæ Principis Apostolorum, servatis ad unguem in hac parte normis a Benedicto XIV statutis Const. *Quanta curarum* die xv mensis Novembris MDCCLI data.

Cœtus *studiis provehendis* sive *Sacræ Scripturæ*, sive *historiæ; Obulo S. Petri administrando; Fidei in Urbe præservandæ;* permanent in statu quo ante.

Sublata Congregatione *Visitationis Apostolicæ Urbis*, quæ ipsius erant jura et munia, ad peculiarem Patrum Cardinalium cœtum, penes urbis Vicariatum constituendum, deferimus.

In omnibus autem et singulis superius recensitis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis hoc in primis solemne sit, ut nil grave et extraordinarium agatur, nisi a moderatoribus

eorumdem Nobis Nostrisque pro tempore Successoribus fuerit ante significatum.

Præterea, sententiæ quævis, sive gratiæ via, sive justitiæ, pontificia approbatione indigent, exceptis iis pro quibus eorumdem Officiorum, Tribunalium et Congregationum moderatoribus speciales facultates tributæ sint, exceptisque semper sententiis tribunalis Sacræ Rotæ et Signaturæ Apostolicæ de ipsarum competentia latis.

Huic Constitutioni accedunt leges propriæ, ac normæ tum generales tum particulares, quibus disciplina et modus tractandi negotia in Congregationibus, Tribunalibus, Officiis præstituitur; quas leges et normas ad unguem ab omnibus observari mandamus.

Atque hæc valere quidem debent Apostolica Sede plena; vacuâ enim standum legibus et regulis in memorata Constitutione « *Vacante Sede Apostolica* » statutis.

Decernentes præsentes Litteras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et illis ad quos spectat aut pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuslibet etiam specialissima mentione dignis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo nongentesimo octavo, die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, III Kal. Julias, Pontificatus Nostri anno quinto.

A. Card. DI PIETRO
Pro-Datarius

R. Card. MERRY DEL VAL
a Secretis Status

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium

V. Cugnonius.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. *Explica quid sit parabola in S. Scriptura, in specie in Novo Testamento, et ostende quomodo differat a fabula (e. g.* Jud. *IX, 9-15), a proverbio (v. g. in libro* Prov.*) et ab allegoria (v. g.* Jo. *XV, 1 ss.).*

R. I. **Parabola** etimologice (παραβολή a παρὰ-βάλλω: unum juxta aliud pono, comparo) idem sonat ac *comparatio*. In sensu latiori significat quodcumque figuratum dicendi genus, ut similitudinem, exemplum, proverbium, allegoriam, etc. In sensu stricto est narratio ficta alicujus facti vel ex eventibus naturæ vel ex vita quotidiana petiti, qua sub involucro seu imagine rerum sensibilium veritas spiritualis seu religiosa, sive dogmatica sive practica inculcatur (1).

In Vetere Testamento non occurrunt parabolæ stricte dictæ. Vox parabola (hebr. *mashal*) frequenter usurpatur: tribuitur quidem proverbiis, sententiis, canticis, imo oraculis Balaam, sermonibus Job, etc. Verùm in omnibus his casibus, vox parabola in sensu lato, et sæpe latiori, usuvenit. Imò loca quædam a nonnullis auctoribus (2) ut parabolæ in sensu strictiore proposita, ad apologum (*IV Reg.* XII, p. 4) vel allegoriam (*Is.* V, 1-6) etc. revocanda videntur.

In Novo Testamento vox παραβολή nunquam occurrit

---

(1) Cf. Ceulemans, *Commentarius in Evangelium secundum Matthæum*, Mechliniæ 1900, p. 169; — Van Steenkiste, *Ev. secundum Matthæum*, Brugis 1903, p. 1526 ss.

(2) E. g. Koenig apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, t. III (Edinburgh, 1900) p. 660 ss.

in Evangelio S. Joannis, ubi parabolæ stricte dictæ non reperiuntur. Excepto duplici loco, *Heb.* IX, 9 et XI, 19 (1), alibi non occurrit nisi in tribus Evangeliis Synopticis, ubi aliquoties in sensu latiori de dicto breviore seu proverbio usuvenit (*Mt* XV, 15; *Mc* III, 23; VII, 17; *Lc* IV, 23; VI, 39), sed ordinarie stricte dictam parabolam significat (2).

Omnes Novi Testamenti parabolæ Christum ipsum habent auctorem; omnium interpretum judicio, etiam infidelium, tùm sub respectu literario, tùm sub respectu didactico cunctæ hæ parabolæ sunt plane mirabiles, plerumque ad captum omnium, maxime ad vulgarem populi sensum accomodatæ. Methodo parabolica Christus frequenter usus est, uti patet, v. g. e *Mt* XIII, 34 et *Mc* IV, 33-34 (3). De numero parabolarum in Novo Testamento non convenit inter Auctores. Dum alii solas narrationes longiores ut parabolas habent, alii contrà breviores comparationes, imo et allegorica dicta inter parabolas computant, ità ut numerus inter 29 et 72 varius proponatur (4). Quare Christus frequenter parabolico dicendi genere usus sit, vide in Resp. ad Q. I mensis seq.

II. **Differentiæ** parabolam evangelicam inter et fabulam, proverbium et allegoriam.

---

(1) In utroque loco idem sonat ac *figura*.

(2) παραβολή sat sæpe vertitur *similitudo* in Vulgata, præsertim apud *S. Lc* IV, 23; V, 36; VI, 39; VIII, 4; XII, 16; XIII, 6; XX, 19; XXI, 29.

(3) Apostoli consciè (scil. ex reverentia erga Christum, doctorem) vel inconscie a parabolis proponendis abstinuerunt, quamvis allegoriæ in eorum scriptis reperiantur (e. g. *Rom.* XI, 17). Quod factum (sicut plura alia indicia) contradicit thesi a Rationalistis (e. g. a JUELICHER, *Die Gleichnissreden Jesu,* Freiburg i. B. 1899) et LOISY (*Etudes Evangeliques,* Paris 1902, p. 1 ss.) propugnatæ, quæque contendit evangelistas simplices fabulas a Christo propositas, admixtâ priscæ Ecclesiæ doctrinâ, adulterasse. — Probè pariter notandum est nullam omnino parabolam in variis apocryphis evangeliis reperiri.

(4) Cf. LESÈTRE, apud VIGOUROUX, *Dictionnaire de la Bible,* t. IV, p. 2114 ss.; FONCK, *Die Parabeln des Herrn im Evangelium,* Innsbruck 1904 (hic auctor 72 parabolas computat); PLUMMER, apud HASTINGS, *o. c.,* p. 664.

1° Differt a **fabula** *(apologue, fable)* duplici ratione. Imprimis quatenus fabula talia sæpe confingit quæ in rerum natura nullatenus contingunt: ita in fabulis bruta animalia, plantæ loquuntur etc., verbò modo naturæ suæ plane inconvenienti agere finguntur. Contrà factum in parabola propositum in rerum natura vel in vita quotidiana contingere solet: natura autem prout a Deo condita ordinataque existit, multo aptior est ad homines docendos, quam natura fictitia in fabulis excogitata. Præterea, dum fabula homini inculcat tantum solertiam, industriam vel adagium quoddam sapientiæ mere humanæ, parabola contrà veritatem ordinis altioris, scil. religiosi docet (1). Neque prophetæ Veteris Legis neque Christus unquam fabulas in sua prædicatione usurparunt (2).

2° Differt **proverbio** quod est *brevis* sententia moralis ordinarie aliud quam quod sonat significans. Plura proverbia nullam comparationem seu similitudinem involvunt; proverbia tamen magis acuta et celebriores sententiæ aliqua comparatione nituntur. Ità *Prov.* XXI, 13: *Qui fodit foveam, incidet in eam:* quod proverbium alia simili locutione redditur *Mt* VII, 2: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

Proverbium parabolam in germine continere potest, et ità fit ut distinctio parabolas inter et proverbia in Evangeliis non semper servetur: *brevia* Christi dicta figurata parabolæ quandoque vocantur (3). Et ità pari-

---

(1) Parabolæ evangelicæ in tres classes dividi possunt: 1ª classis: parabolæ de regno cœlorum in se considerato, de ejus existentia, propagatione et efficacia (maxime apud Mt); 2ª classis: parabolæ spectantes cives reegni cœlorum eorumque officia (præsertim apud Lc); 3ª classis: parabolæ respicientes regem regni cælorum ejusque cum subditis relationes.

(2) In Vet. Test. duæ inveniunter fabulæ, sed adhibentur non ad scopum religiosum, verùm ab hominibus ad proprios sucs fines: ità a Joathan (*Jud.* IX, 8-15) et a rege Joas (IV Reg. XIV, 9-10).

(3) Cf. *Mt* XV, 15; XXIV, 32; *Mc* III, 23; VII, 17; *Lc* IV, 23; VI, 39. Vox hebr. *mashal* cæteroquin parabolam et proverbium significat. — Imo

ter aliqui interpretes ut parabolas habent brevia Christi dicta, in quibus latet comparatio, uti dictum de sale terræ *Mt* V, 13; de liliis agri *Mt* VI, 26; de ædificante super arena *Mt* VII, 26; de sepulcris dealbatis *Mt* XXIII, 27; de piscatoribus hominum *Mc* I, 17; de lucerna *Mc* IV, 21; de arundine vento agitata *Lc* VII, 24; de ligno virido et arido *Lc* XXIII, 31; de aqua viva *Jo* IV, 10; de regionibus albis ad messem *Jo* IV, 35; de muliere pariente *Jo* XVI, 21.

3° Differt ab **allegoria** quæ est metaphora evoluta et continuata, et in qua verba non adhibentur in significatione propria et nativa, sed in sensu metaphorico seu figurato, qui solus intenditur. Cf. allegoriam vitis et palmitum *Jo* XV, 1 ss. *Ego sum vitis vera : et Pater meus agricola est* etc. Omnia Christi verba metaphorice sumantur oportet, quem sensum metaphoricum ut doceat necessitatem manendi in ipso, unice intendit. In parabola verò (e. g. de filio prodigo *Lc* XV, 11 ss.) verba in sensu proprio usurpantur, directe exprimunt quod revera in vita communi contingit aut saltem contingere potest, estque figura veritatis propositæ (in casu : magnæ Dei bonitatis et clementiæ erga peccatores).

A. Camerlynck.

II

Q. *Demonstra Christi Ecclesiam esse societatem realiter distinctam a Synagoga.*

R. Nomine *synanoga* designatur *cœtus religiosus* veteris populi judaici : hic porro cœtus non erat adæquate distinctus a societate civili Judæorum : hi enim constituebant aliquem populum, aliquam nationem, et hæc natio, qua talis, verum Deum colebat et ab ipso Deo

---

apud *Mt* XV, XV, 15 coll. 11 παραβολή sermonem obscurum seu ænigmaticum designat.

supernaturaliter receperat veritates credendas, præcepta observanda, cultumque exercendum: Judæi ergo, formaliter qua religionem exercentes, constituebant synagogam, cui etiam alii, non Judæi, poterant conjungi.

Intendimus nunc demonstrare cœtum religiosum a Christo initium habentem esse aliquam *novam societatem,* numerice diversam a Synagoga, a Christo ipso immediate constitutam (1).

Demonstatur assertum ex hoc quod Christus *regimen* instituit, omnino diversum a regimine synagogæ, et omnes christianos coadunans in uno sociali corpore. Etenim Christus doctrina ac miraculis collegit cœtum hominum sibi adhærentium in ordine ad sanctitatem acquirendam et æternam salutem. In hoc cœtu elegit Simonem, quem vocavit Petrum (2), cui primo promisit amplissimam ac supremam auctoritatem in cœtu illo: ita ut Petrus futurus esset fundamentum Christi Ecclesiæ quæ ædificanda erat super illum (3); deinde post resurrectionem contulit Petro Christus olim prædictam ac promissam potestatem: « Pasce agnos meos », « Pasce oves meas » (4). Hoc autem facto Christum instituisse *veram societatem* facile intelligitur: nam auctoritas est jus *obligandi* et *cogendi* homines ad certo aliquo modo operandum vel non operandum in ordine ad aliquem

---

(1) Non negamus Ecclesiam Christi, secundum *genericam essentiam,* semper exstitisse: nam nomine Ecclesiæ designari potest cætus hominum rite colentium Deum: talis cætus semper exstitit; imo, quum a tempore promissi Redemptoris, qui rite colebant Deum necessario credebant, saltem implicite, in Christum Redemptorem, ideo semper exstitit, aliqua ratione, Ecclesia *christiana.* Unde Ecclesia Christi, generice sumpta, eadem dicitur ante et post Christum, quatenus habet eumdem *finem,* scilicet supernaturalem sanctitatem in hac vita et æternam salutem in altera; idem habet *internum principium,* nempe fidem in Christum et gratiam per Christum; idem tandem habet *invisibile caput,* nempe Christum. Cf. Palmieri, *De Romano Pontifice,* Romæ, 1877, p. 14 ss.; Mazzella, *De vera religione et Ecclesia,* Romæ 1885, n. 431 ss.

(2) Cf. Marc. III, 6; Jo. I, 42.

(3) Cf. Matth. XVI, 18 s.

(4) Jo, XXI, 15 ss

determinatum finem; ideo auctoritas respicit formaliter *cooperationem* omnium ad bonum communiter attingendum (1), et auctoritas est consequenter principium *unitatis* operationis socialis (2): consequenter qui plures homines coadunat sub una auctoritate, cui subjiciuntur, eo ipso illos constituit in veram societatem, quippe quæ nihil aliud est quam conspiratio plurium ad communem consecutionem boni. Christus igitur, conferendo Petro supremam potestatem, constituit veram societatem.

Hæc porro societas est realiter distincta a Synagoga: illa enim auctoritas, omnino independens ab auctoritate, quæ existebat in Synagoga, et diversa ab illa, fuit ab

---

(1) Auctoritas est omnino necessaria ut possit existere societas, saltem inter homines. Nam posita mediorum ad finem utilium et hominum ingeniorum diversitate, deficere facile posset conspiratio, nec adesset ratio sufficiens ejus permanentiæ nisi esset aliquod principium intelligens, conspirantium intelligentiis eumdem modum operandi præscribens, eorumdemque voluntates ad illum servandum *obligare* valens: illud principium est vel unus *homo*, vel *hominum cætus*, fruens *auctoritate*, h. e. *regimen*. Cf. TAPPARELLI, *Saggio di dritto naturale*, Prato, 1883, t. I, n. 421 ss.; MAZZELLA, *o. c.*, n. 430.

(2) Quum auctoritas formaliter *operari* sociale respiciat et non *esse* sociale, ideo non omnino recte, ut videtur, dicitur auctoritas esse *forma* societatis: est potius *proprietas* necessario connexa cum forma: nempe proprietas necessario consequens ad ipsam societatis essentiam, quæ formaliter habetur per *communem* cognitionem et volitionem finis simul ac volitionem mutui auxilii. Licet auctoritas non sit ipsa forma societatis, tamen sine illa nondum est societas in actu *perfecto* constituta, sicut homo non esset perfectus si haberet animam absque intellectu et voluntate, proprietatibus animæ.

Apposite De San: « Suprema quædam auctoritas cujus sit decernere de mediis ad communis finis procurationem communiter adhibendis et horum mediorum executionem efficaciter urgere, non est quidem ipsa forma societatis, uti a nonnullis recentioribus contenditur; habere tamen talem auctoritatem sibi præsidentem, est proprietas societatis cum ejus forma necessario connexa; quia sine aliqua auctoritate cui in communi subjecta sint societatis membra, impossibile est hæc societatis membra concordare circa media per quæ finis communis communiter procurandus sit... » *De Ecclesia*, Brugis, 1906, p. 5.

Hæc ratio concipiendi auctoritatem in societate est intime connexa cum sententia de origine politici principatus: qua de re cf. SCHIFFINI, *Disputationes philosophiæ moralis*, Augustæ Taurinorum, 1891, n. 434 ss.; BILLOT, *De Ecclesia*, Romæ, 1900, t. III, p. 8 ss.

ipso Christo *immediate* collata *Petro,* tamquam proprio subjecto: ita ut quicumque velint per Christum sanctificari et salvari debeant *Petro* adhærere et eatenus possint *conspirationis* ad illum finem esse participes, quatenus *Petro* subjiciantur: societas igitur sic formata est vere una, vere indivisa in se et divisa seu distincta a qualibet alia societate, etiam religiosa.

Socialis entitatis distinctio inter Ecclesiam et Synagogam concluditur etiam ex electione et constitutione collegii *duodecim* apostolorum (ἐποίησεν) ab ipso Christo facta, cui veram contulit potestatem et munus proprium regendi in sua Ecclesia (1): inde hac etiam ratione agendi et societatem suam constituebat Christus et illam a Synagoga separabat.

Confirmatur demonstratio ex hoc quod *apparet* ab initio christianos distinctam efformasse religiosam societatem: v. gr. erant perseveranter attendentes instructioni de re religiosa ab Apostolis traditæ, habebantque conventus rituales proprios (2), in ipso Templo specialem sibi eligebant locum (3); adepti sunt nomen distinctivum, sc. « christiani » (4); præsertim autem apparuit separatio societatis christianæ a Synagoga in Concilio Hierosolymitano: nam a/ exorta controversia de observantia Legis Moysis non *ad sacerdotes Levitici generis,* sed ad apostolicam hierarchiam, cui Petrus præsidet, communi omnium consensu, judicium et decisio defertur; b/ sicut Concilium ex suprema minimeque dependente potestate agit (« *Visum est*, inquit, *Spiritui Sancto et nobis* ») ita ejus definitio ut irrefor-

---

(1) Cf. Luc. VI, 13; XXII, 19; Matth. XIII, 18; XXVI, 16 ss.; Jo. XX, 21; Card. Segna, *De Ecclesiæ Christi constitutione et regimine,* Romæ, 1900, p. 6-24; Battifol, *L'apostolat, Revue biblique*, 1906, p. 520 ss.

(2) *Act.*, II, 42 ss., IV, 23 ss.

(3) *Id.*, V, 12 s. Abstrahimus a sensu verborum: « Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis » v. 13: quæ quidam intelligunt de metu quo Judæi abstinebant a conjunctione cum Christianis in Templo convenientibus.

(4) *Id.*, XI, 26.

mabile decretum seu dogma a cunctis recipitur; c/ decretum ipsum continet authenticam declarationem de eo quod Mosaicæ ceremoniæ minime essent christianis imponendæ (1).

Adnotatio. Demonstravimus Ecclesiam a Christo fundatam esse in sua *entitate sociali* realiter distinctam a Synagoga, esse in individuo aliam societatem. Præterea aliis etiam rationibus diversa est Ecclesia a Synagoga: nempe a/ *fine:* utriusque enim finis est quidem sanctificatio et salus: sed Synagogæ finis *immediatus* et proprius erat sanctitas quædam legalis, quæ erat dispositio ad gratiam, ideoque non nisi *mediate* ut finem habebat internam hominum sanctificationem; e contrario hic est *immediatus* Ecclesiæ finis. Sub hoc respectu *specifice,* ut videtur, differunt illæ societates; b/ *mediis:* nempe fidei objecto, cultu et præsertim sacrificio, sacerdotio (2), sacramentis; c/ *proprietatibus* nonnullis, v. gr. *indefectibilitate*, quæ Ecclesiæ competit, non Synagogæ; *catholicitate:* nempe catholicitas *facti* est lata per orbem extensio actualis cum magna et conspicua membrorum multitudine (3): hæc est proprietas ac nota Ecclesiæ a Christo institutæ, et minime convenit Synagogæ; hæc nec destinata fuit ad universalitatem (quæ vocatur catholicitas *juris*), nam Synagoga erat nationalis et perire debebat cum exsurgeret illa nova societas, a Christo instituta, quæ omnes complecteretur gentes. d/ Tandem ab *auctore* diverso conditæ sunt: Synagoga a Moyse, a Christo Ecclesia (4).

J. Van der Meersch.

---

(1) Ita Billot, *o. c.*, t. I, p. 98. Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 566, 620, 682.

(2) Cf. *Hebr.* VIII.

(3) Cf. De Brouwer, *De Ecclesia,* Brugis, 1891, n. 303; v. adnotationem nostram, suprà, p. 479.

(4) Cf. Palmieri, *o. c.*, p. 19; Pesch, *Prælectiones dogmaticæ,* Friburgi Br. 1894, t. I, n. 312; Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium,* Œniponte, 1896, t. I, n. 214; Billot, o. c., t. I, p. 81.

III

Q. *Solve sequentem objectionem: Ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur saltem illam opinionem amplecti, quæ propius ad veritatem accedit; ergo probabilior opinio est sequenda.*

Prænotandum. « Probabilioristis et æquiprobabilistis, ait Cl. BOUQUILLON (1), commune est principium: *Ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur saltem illam opinionem amplecti, quæ propius ad veritatem accedit*, cum hoc tamen discrimine, quod plerique probabilioristæ illud in favorem libertatis (contra tutioristas) applicant soli probabilioritati notabili; æquiprobabilistæ vero illud in favorem libertatis et legis (contra tutioristas et probabilistas) applicant cuivis probabilioritati certæ ». Notandum tamen recentiores æquiprobabilistas, saltem nunc, ut videtur, concedere sententiam *certo* probabiliorem, esse *de facto* etiam *notabiliter* probabiliorem (2).

Si hoc admittatur, *practice* vix discrimen remanet inter æquiprobabilistas et probabilistas, cum plerique saltem ex his, concedant sequendam esse sententiam faventem legi, quando est unice probabilis vel certo ac notabiliter probabilior (3). Manet tamen discrimen *theoreticum,* quatenus nonnulli æquiprobabilistæ illud principium: *In dubio verisimilius est sequendum,* habent tamquam verum principium reflexum, ut ex responso patebit.

R. Si valeat hoc principium, logice sequitur illud esse applicandum etiam sententiæ *paulo verisimiliori*, quam tamen applicationem recentiores æquiprobabilistæ urgere non audent.

Omisso hoc responso ad hominem, jam directe refel-

---

(1) *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 292; ed. 3ª, n. 298.

(2) Vide quæ exposuimus ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 402 ss. Ibi citantur præsertim PP. Wouters, Ter Haar et Jansen, C. SS. Red.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 96.

limus objectionem positam. Distingue imprimis *ordinem speculativum* et *ordinem practicum*. Si spectetur solum *bonum intellectus speculativi,* positum in *theoretica cognitione veritatis,* videtur exigere in casu prudentia ut vel in neutram partem assensum adhibeas, vel amplectaris id quod est verisimilius (1). Sed hic non agitur de assensu opinativo dando vel negando, verum de dubio practico solvendo in re morali, utrum videlicet *voluntas* libera sit ab obligatione an teneatur lege.

Si spectemus *ordinem practicum* et *directionem voluntatis*, tenemur saltem illam opinionem amplecti, quæ propius accedit ad veritatem: quia *de facto* illa opinio verisimilior *est moraliter certa*, *Concedo;* quia *est verisimilior, Nego.*

Videlicet admittendum videtur quod, si una pars sit certo ac notabiliter probabilior, *de facto* opposita erit, plerumque saltem, dubie probabilis; et tunc, sequenda erit verisimilior, non quia est verisimilior, sed quia est moraliter certa, certitudine late vel etiam latissime dicta, qua sæpe major in moralibus obtineri nequit (2). Si esset sequenda verisimilior, quia verisimilior, principium: *In dubio verisimilius est sequendum,* habendum esset tamquam verum principium reflexum, quo mediante obtineretur certitudo practica modo indirecto (3).

Hujusmodi autem efficaciam dicto principio omnino denegandam censemus. Si enim excessus probabilitatis in favorem legis est adeo notabilis, ut sententia favens libertati jam non possit haberi tamquam solide probabilis, obtinetur certitudo modo directo, adeoque non intervenit principium reflexum; si vero libertas maneat solide probabilis, intervenit principium reflexum probabilismi: *Lex dubia non obligat.* Probe nimirum distin-

---

(1) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, De Meester, 1900, n. 95; Ill. ac Rev. Waffelaert, *De dubio solvendo in re morali,* Lovanii, 1880, P. I, sect. 1, c. 2.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 96; t. XI, p. 405.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 586.

guendum est inter *opinionem probabilem* seu assensum opinativum et *sententiam probabilem* seu judicium probabilitatis (1). Stante enim judicio de probabilioritate unius partis, imo stante assensu opinativo in partem verisimiliorem, nihil obstat partem oppositam *esse* et *a me judicari* vere probabilem. Hoc autem sufficit ut pars verisimilior sit et judicetur incerta: lex non dicitur dubia adeoque nulla, præcise *quia opinor* pro libertate, sed quia libertas *judicatur et est* vere probabilis (2).

Conati tamen sunt probare recentiores æquiprobabilistæ principium citatum habere vim principii reflexi, sed inefficaciter. En argumentum, quale proponitur a P. Wouters (3): « Debeo sincere tendere ad convenientiam actionis seu electionis meæ cum ipsius actionis moralitate objectiva... Atqui, id haudquaquam præsto, quum eligo seu sequor normam, quæ meo judicio prædictæ moralitati... *probabilius adversatur* quam convenit cum ea, relicta norma quæ eidem... *probabilius congruit*, quam *non congruit* ei ».

Respondetur breviter (4): *Distinguo Majorem*:... moralitate objectiva *cognita*, *concedo; non cognita, subdist.* hoc sensu, quod paratum geram animum me ei conformandi, cum primum fuerit mihi cognita, *concedo;* eo sensu, ut, neglecta sententia solide probabili, pro norma agendi sequar probabiliorem, *Nego*. Sane debeo tendere ad hoc ut *cognoscam* moralitatem objectivam actionis, et quoties eam cognosco, debeo eidem *me conformare;* sed quando eam non cognosco, imo eam ignoro invincibiliter, ei me conformare non debeo. Jamvero quoties libertas est solide probabilis, obligatio est incerta adeoque nulla.

H. Mahieu.

---

(1) Cf. De Jaegher, *op. cit.*, n. 94-95.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 174.

(3) *De minusprobabilismo*, Galopiæ, 1905, p. 58; vide *Collat. Brug.*, t. XI, p. 405.

(4) Lehmkuhl, *Probabilismus vindicatus*, Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1906, p. 16 ss.; *Collat. Brug.*, t. XI, p. 404 ss.

IV

Q. *Solve sequentem difficultatem: Sicut non repugnat virtutes Fidei et Spei solas servari in peccatore, ita nec repugnat eas solas infundi. Ad talem autem infusionem, actus Fidei vel Spei videtur esse dispositio sufficiens, sicut actus Caritatis est ultima dispositio ad infusionem gratiæ et Caritatis. (Quod est argumentum præcipuum in favorem sententiæ 1ª circa infusionem Fidei et Spei extra justificationem, expositæ supra, p. 326 ss.)*

R. Sententia cujus hic argumentum præcipuum impugnamus affirmat habitus Fidei vel Spei infundi quoties eliciuntur actus iisdem respondentes, etsi ob defectum dispositionis requisitæ non infundantur gratia sanctificans et Caritas (1).

Argumentum autem desumitur ex duplici collata paritate, quas separatim examinemus:

1. « Sicut non repugnat virtutes Fidei vel Spei solas *servari* in peccatore, ita nec repugnat eas solas *infundi*. »

Resp. distinguendo paritatem: Sicut *absolute possibile* est virtutes Fidei vel Spei solas servari in peccatore, ita *absolute possibile* est eas solas infundi; conc. paritatem; — Sicut *conveniens* est virtutes Fidei vel Spei solas servari in peccatore, ita *conveniens* est eas solas infundi; neg. paritatem.

Explicatur. Sane non negamus esse *absolute possibile* virtutes Fidei vel Spei solas infundi; hoc enim sequitur ex eo ipso quod possunt solæ servari et consequenter solæ existere. Sicut animæ humanæ utpote quæ solæ servari possunt, possent, possibilitate absoluta, separatæ produci (2). Sed minime inde sequitur utrumque

(1) Supra, p. 328 ss.

(2) Hinc apparet recte quidem dici virtutes infusas ad gratiam habitualem se habere sicut potentiæ naturales se habent ad naturam; sed paritas stricta non est, quum in ordine naturæ sit plane impossibile existere potentias sine natura, vel solas servari, vel solas produci, puta voluntatem humanam sine anima; id autem in ordine gratiæ non obtinet. Cfr. supra p. 330, 4°.

esse æque conveniens seu connaturale. Aliud enim est *conservari*, aliud *infundi*. Sicut animæ humanæ, a corpore separatæ, convenienter omnino *pergunt* existere, sed tamen non possunt convenienter naturæ suæ seu connaturaliter in statu separationis a Deo *creari*. Jamvero habitus Fidei vel Spei bene intelliguntur *conservari*, abeunte gratia et Caritate ob peccatum mortale; omnis enim res, semel existens, exigit conservari secundum quod capax est persistere. Atqui abeunte gratia et Caritate, salva manet essentia habitus Fidei et Spei, quamvis, ob conditionem subjecti orbati Caritate quæ forma est virtutum, fiant informes, decidentes nimirum a statu perfectæ virtutis (1). Intelligitur autem non adesse eadem convenientia ut habitus sic in statu informi et mortuo primo producantur et *infundantur*.

Hinc patet quare admittamus virtutes Fidei et Spei posse conservari in peccatore (pp. 331 ss.), et negemus eas posse infundi ante Caritatem et gratiam sanctificantem (pp. 328 ss.): Prius enim apparet esse conveniens, et simul stabilitur indubiis argumentis ex documentis ecclesiasticis; alterum e contra apparet esse inconveniens, et simul desunt documenta similia in ejus favorem, imo varia adsunt argumenta ex Conc. Trid. et ex ratione quæ ipsi adversantur (pp. 328 ss.).

2. « Ad infusionem habitus Fidei vel Spei, videtur actus Fidei vel Spei esse dispositio sufficiens, sicut actus Caritatis est ultima dispositio ad infusionem gratiæ et Caritatis. »

Resp. negando paritatem. Si enim actus Fidei ante justificationem esset proxima dispositio ad infusionem habitus Fidei, hæc dispositio non esset nisi ad habitum informem. Habitus autem informis convenienter non infunditur a Deo (2). Contra habitus Caritatis nequit

---

(1) Supra, p. 329, nota 2°.

(2) Hinc actus Fidei vel Spei præcedentes ipsam infusionem horum habituum, non sunt nisi dispositio *remota* ad eam, quatenus hominem

esse informis, et proinde ratio quæ obstat infusioni separati habitus Fidei vel Spei, pro Caritate non datur (1).

V

Q. Solve sequentem difficultatem: Sicut non repugnat virtutes Fidei et Spei solas servari in peccatore, ita nec repugnat eas solas infundi. Ad talem autem infusionem, actus Fidei vel Spei videtur esse dispositio sufficiens, in eo qui cum obice ad gratiam, accedit ad Baptismum. Sacramenta enim conferunt effectus in quantum obex non opponitur; in casu autem exposito, ponitur obex habitui Caritatis, sed non habitibus Fidei et Spei. (Quod est argumentum præcipuum in favorem sententiæ 2ª circa infusionem Fidei et Spei extra justificationem, expositæ supra, p. 326 ss. Cfr. SCHIFFINI, o. ibid. c., *p. 37)*

R. Sententia cujus hic argumentum præcipuum impugnamus, affirmat habitus Fidei vel Spei infundi non tantum in justificatione, sed etiam extra justificationem, in hoc scil. casu quo quis, per actus Fidei vel Spei dispositus sed cum obice ad gratiam recipit Sacramentum Baptismi. Hinc dum patroni sententiæ de qua qu. IV, arguebant ex efficacia operis operantis, actuum scil. Fidei vel Spei, hic contra arguitur ex efficacia operis operati, seu Sacramenti Baptismi.

Porro sic iterum per partes resolvimus argumentum:

1. « Sicut non repugnat virtutes.... » Cfr. dicta qu. IV.

2. « Ad infusionem habituum Fidei vel Spei, actus Fidei vel Spei videtur esse dispositio sufficiens, in eo qui cum obice ad gratiam, accedit ad Sacramentum. »

Resp. negando assertum. — Ad ejus probationem: « Sacramenta conferunt effectus in quantum obex non opponitur. » Conc. majorem.

---

præparant ad infusionem gratiæ sanctificantis quacum habitus Fidei et Spei infundantur.

(1) Cfr. BILLOT, *De Virtutibus infusis*, pp. 141 ss.

« Atqui, in casu exposito (illius np. qui cum obice ad gratiam et Caritatem, sed tamen cum actu Fidei vel Spei, accedit ad Baptismum), ponitur obex habitui Caritatis, sed non habitibus Fidei et Spei. » Neg. minorem. Peccatum enim mortale, (nisi sit præcise tale quod valeat ipsum habitum Fidei vel Spei existentem destruere juxta dicta supra, pp. 332 s.), sane non est *directe* obex ad infusionem Fidei vel Spei, quemadmodum est relate ad infusionem Caritatis, sed *indirecte* est obex habitibus Fidei vel Spei infundendis. Ut enim supra ostendimus, inconveniens est ut infundantur habitus Fidei et Spei ante gratiam et Caritatem, et proinde inconveniens esset Sacramenta separatos infundere dictos habitus. Quare dicit Conc. Trid., sess. 6, c. 7: « Unde *in ipsa justificatione*... hæc omnia *simul* accipit homo... fidem, spem et charitatem ».

Merito nos rejicere minorem, confirmatur ex eo quod *res* Sacramenti Baptismi, ubique assignatur renascentia seu regeneratio seu spiritualis nativitas novi hominis, juxta illud Jo. III, 5: « nisi quis *renatus* fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei », et Tit. III, 5: « Salvos nos fecit per lavacrum *regenerationis* et renovationis Spiritus Sancti ». Ergo vel nullus est baptismi fructus, vel si est, in *completa* nativitate spirituali necessario consistit. Sicut enim naturalis generationis vis nusquam est ad generandum manum aut pedem aut caput, aut aliquam partem separatam, ita et vis baptismi non est nisi ad conferendam naturam novam cum omnibus ad eam consequentibus, et in specie cum habitibus Fidei et Spei quæ quasi potentiæ ad novam illam naturam consequuntur (1).

A. Vander Heeren.

---

(1) Cfr. Billot, *De Virtutibus infusis*, p. 140.

VI

Q. *Quomodo et quandonam debet celebrans osculari altare in missa? Expone osculi significationem et rationem præcepti in diversis adjunctis.*

R. I. **Quomodo?** — Juxta *Ritum celebrandi*, IV, 1 « *celebrans osculatur altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis* (1). *Qui ritus semper servatur quando osculatur altare; sed post consecrationem pollices ab indicibus non dijunguntur* » et manus ponuntur intra corporale, ante consecrationem vero et post communionem ponuntur extra corporale. Ut ritum illum facilius et decentius peragat, retrocedat paulisper celebrans ab altari.

II. **Quandonam?** — Altare osculari debet celebrans:

1/ Quando ad altare ascenderit, ad verba: *Quorum reliquiæ * hic sunt.*

2/ Quoties ad populum se convertit dicturus: *Dominus vobiscum,* scil. ante collectas, ante offertorii antiphonam, ante postcommuniones, et iterum his absolutis.

3/ Item dicturus: *Orate, fratres.*

4/ In initio canonis, ad verba: *Petimus * uti accepta habeas.*

5/ Post consecrationem, in oratione *Supplices,* ad verba: *Ut quotquot * ex hac altaris participatione.*

6/ Si est daturus pacem, dicta prima ex tribus orationibus ante Communionem, antequam osculetur instrumentum pacis vel diaconum.

7/ Finita oratione *Placeat.*

---

(1) Ratio obvia hujus manuum positionis est major facilitas ritum adimplendi, ut nempe celebrans se sustineat dum ad osculandum *se inclinat.* A pari solent rubricæ petere ut sacerdos manus junctas ponat super ora mensæ altaris, quando aliquam orationem *inclinatus* dicere debet. Mystice tamen explicari potest quasi ita agat « ad Christum aut sanctos quasi complectendos, eorumque benevolentiam consequendam » (De Herdt, *S. Liturg. praxis,* t. II, n. 54).

III. Ut plena osculi altaris significatio intelligatur, notari juvat:

1/ Osculum generatim esse signum amoris aut reverentiæ (1), adeoque in usu præsertim esse iis in adjunctis in quibus illos sensus magis decet exprimere, puta ad salutandum (2) v. g. in ingressu aut discessu, ad præstandum hommagium aut agnoscendum acceptum beneficium (3), ad exprimendam reconciliationem, animorum concordiam aut intimiorem communionem.

2/ Altari repræsentari Christum, adeoque altaris osculum censeri Christo datum. Sensus igitur venerationis et amoris quos sacerdos osculo exprimit, Christo Jesu exhibet; quare convenit ut summa reverentia semper hunc ritum persolvat.

IV. Ratio præcepti in singulis casibus inde facilius perspicitur.

1/ Primum osculum altari dat celebrans ut Christum reverenter et affectuose *salutet* in primo altaris ascensu, sicut in aliorum rituum (4) ita et in missæ principio.

Cui accessit decursu temporis minus principalis (5)

---

(1) Quare vocari solet a SS. Patribus « signum *charitatis* », « signum *pacis* ». Et, testante S. Hieronymo, « Hebræi juxta linguæ suæ proprietatem deosculationem pro *veneratione* possunt ».

(2) Talis erat usus Judæorum et primitivæ Ecclesiæ. Cf. Luc. VIII, 45; recole etiam osculum Judæ et verba S. Petri (V, 14) et S. Pauli (Rom. XVI, 16; I Cor. XVI, 20; II Cor. XIII, 12; I Thess. V, 26): « *salutate* invicem in osculo sancto ». Unde dicitur osculum ab Optato Milevitano: « commune *salutationis* officium ».

(3) Ita v. g. vassallus osculabatur manum domini quando recipiebat beneficium feodale.

(4) Ita v. g. ante benedictionem candelarum, cinerum, palmarum, in principio officii in Paresceve, ante incensationem altaris ad *Magnificat* vel *Benedictus*, etc.

(5) Ad excludendam præcipuam rationem, salutandi nempe *Christum*, non valet ratio a cl. De Herdt (*S. Liturg. praxis*, t. II, n. 54) allegata; « quia non fit in ipso accessu altaris sed ad verba *Quorum reliquiæ hic sunt* ». Nam osculum illud, quod adhibetur etiam extra missam, est antiquius oratione *Oramus te*, et hodiedum non omittitur iis in liturgiis particularibus in quibus vel nulla in ascensu altaris recitatur oratio, vel alia quædam usurpatur absque allusione ad Sanctorum reliquias. Verum quum in

intentio venerandi sanctos qui, tanquam membra unius corporis mystici, Christo sunt uniti, quemadmodum eorum reliquiæ altari, Christi typo, sunt insertæ.

2/ Osculum ante *Dominus vobiscum* et *Orate fratres* probabiliter inductum fuit pariter ut signum *reverentis salutationis* antequam se vertat ab altari ad populum. Præscribit enim *Cæremoniale Episcoporum* I, XIX, 6, « dum celebrans stat ante altare, et *se ad populum vertit,* ut prius osculetur altare in medio... et regulariter, quoties a sede vel faldistorio *ad altare accedit*, illud in medio osculatur ».

Verum ab ineunte jam medio ævo, et alia significatio addita fuit: ut nempe sacerdos complexu altaris seu Christi manifeste exprimeret se ab ipso Jesu petere et accipere benedictionem Domini quam statim verbis et gestu apprecabitur adstantibus. Et hæc interpretatio, si non omnino primitiva, valde antiqua et vere solida est: confirmatur v. g. ex analogia cum aliis osculis (infra sub 5 et 6) et cum significatione junctionis manuum ante benedictionem (1).

3/ Quamvis verba *Orate fratres* formaliter non sint nisi monitio ad orandum, habita tamen fuerunt simul ut quædam apprecatio (2) gratiæ ad bene orandum: unde osculo altaris duplex eadem ac sub 2/ tribui solet significatio (3).

4/ Minus liquet ratio osculi in principio canonis, quod sæculo decimo secundo aut tertio vix antiquius

---

usum devenisset oratio hodierna *Oramus te,* pronum erat osculi significationem referre *et* ad Christum *et* ad Sanctos, adeoque illud peragere præcise ad verba: *Quorum reliquiæ* HIC *sunt.*

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 274.

(2) Ita BELETH, *Divin. off.*, c. 44 putat subintelligi « Dominus vobiscum ». Ceterum si verba haberentur ut mera monitio ad populum, cur non dicerentur *alta voce* et quidem *a diacono?*

(3) Certe altaris osculum explicari nequit, ut quædam conferentiæ fecerunt, ex verbis præcedentibus: *Per eumdem Christum Dominum nostrum,* quæ formula sæpius in missa recurrit quin unquam altaris osculum sit præscriptum.

esse videtur. Forte haberi potest ut signum quo exprimat sacerdos suam unionem cum Christo a quo petat benedictionem quam verbis efflagitat et signo crucis exprimit super « *hæc* † *dona, hæc* † *munera* » etc. (1). Quum tamen infra canonem similia pluries repetantur absque osculo, dicendum videtur hoc osculum exprimere simul quamdam reverentia et amore plenam *salutationem* ratione exordii canonis in quo perficitur tremendum transsubstantiationis mysterium. Quasi intimius accedit ad altare sacerdos ad sacrificium offerendum, ideoque illud salutat (2).

5/ Per osculum in oratione *Supplices,* ut ex ipsis verbis « *ex hac altaris participatione* » patet, significat celebrans se omnesque communicantes per unionem cum Christo et sacrificii participationem petere ut « omni benedictione cœlesti et gratia repleantur ».

6/ Idem certe significat osculum *ante pacem* dandam. Donum salutare « pacis » quod aliis statim apprecabitur et osculo communicabit, celebrans prius osculo altaris ab Ipso Christo recipit Ipsique refert acceptum.

7/ Osculum ultimum ex primæva institutione et principali significatione non refertur ad sequentem benedictionem (3) utpote quæ non datur in missis *Requiem;* nec ad præcedentem orationem *Placeat,* quum non infra sed post hanc orationem præscribatur. Sed est *salutatio* ultima Christo data, antequam discedat ab altari. Olim enim cæremoniæ Missæ absolvebantur post, imo ante hanc precem (4).

C. Callewaert.

---

(1) Cf. N. Gihr, *Le Saint Sacrifice de la Messe* (trad. Moccand) t. II, p. 248.

(2) Nec objiciatur osculum non dari ad *prima* verba canonis. Hæc enim debet recitare sacerdos corpore profunde inclinatus; quæ inclinatio olim, ut videtur fiebat non supra, sed *ante* altare, ita ut se erigens de facto ad altare pro canone accederet.

(3) Hæc benedictio tamen probabiliter effecit ut servaretur illud osculum quamvis decursu temporis aliæ cæremoniæ, puta S. Joannis evangelium, accesserint post ultimam salutationem.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 441.

Circa anterioritatem matrimonii civilis præ matrimonio religioso

Notum est a D. Woeste nuper esse propositam legem a Comitiis Publicis condendam (1), vi cujus *matrimonia in extremis* non forent, in casu urgenti, obnoxia dispositioni nostri Codicis Pœnalis, sub art. 267, prohibenti sub gravis pœnæ comminatione, ne minister sacer ad benedictionem nuptialem procedat ante celebrationem matrimonii civilis (2).

Nimirum post priorem dicti art. paragraphum proponit inserendum: « Cette disposition ne sera pas applicable lorsque la personne requérant le mariage était en danger de mort, et que tout retard apporté à la bénédiction nuptiale eût pu avoir pour effet de rendre le mariage religieux impossibile » (3).

Porro hac occasione opportune recolentur fata hujus dispositionis legalis circa anterioritatem matrimonii civilis, ac brevis instituetur ejusdem crisis, suggerendo simul remedia quæ afferri possent, necnon quædam corollaria practica indicando.

I/ **Fata Historica.**

A/ **In Gallia.**

1°/ Anno 1791, in *Constitutione* a gallicis perturbatoribus condita sub art. 7, Tit. II, proclamatum est principium: *matrimonium a lege non spectari nisi qua*

(1) Séance de la Chambre des Réprésentants du 12 Mars 1908.

(2) « Sera puni d'une amende de cinquante francs à cinq cents francs tout ministre d'un culte qui, hors les cas formellement exceptés par la loi, procédera à la bénédiction nuptiale avant la célébration du mariage civil.

En cas de nouvelle infraction de même espèce, il pourra en outre être condamné à un emprisonnement de huit jours ».

(3) Cf. *Exposé des motifs,* apud *Documents Parlementaires.* — Chambre des Représentants, n. 134; quo loco refertur, per modum introductionis, recens condemnatio R. D. Van Langenhove, qui die 4 Oct. 1907 matrimonium celebravit moribundi, nondum civiliter juncti.

contractum civilem (1). Qua formula non denegabatur matrimonio caracter sacer et sacramentalis, imo implicitè agnoscebatur: *abstrahebant* nempe Constitutionis conditores ab indole sacramentali, distinguentes cum theoria gallicana contractum a sacramento, et solum intendentes regere contractum civilem, seposito sacramento (2).

Jamvero consentaneum erat huic conceptui quod civili contractui *succederet* benedictio nuptialis, quippe quæ, coram Constitutionis auctoribus erat elementum contractum civilem perficiens; nec adeo mirum est a relatore articuli 7i propositam fuisse dispositionem, vi cujus benedictio nuptialis non posset civiles formalitates præcedere: quæ tamen dispositio non fuit in legem sancita, imo ab ipso auctore propositionis retracta coram reclamationibus factis.

2°/ *Cœtus Legislativus* anni 1792 (L'Assemblée Législative) ulterius processit in sæcularisando matrimonio, non tantùm abstrahens ab indole sacra, sed illam prorsus *repudians ac negans,* non modò spectans matrimonium uti contractum civilem, seposito sacramento, sed illud nihil aliud esse quam contractum civilem proclamans (3): cujus conceptus favore inductum est matrimonium merè civile, ab omni caractere sacro destitutum, in se perfectum, et nulla cæremonia religiosa perficiendum.

---

(1) « La loi ne considère le mariage que comme contrat civil ».

(2) Id innotescit tum ex eo quod rejectus fuerit prior tenor articuli: « La loi *ne reconnait* le mariage que comme contrat civil »; tum ex verbis legis relatoris *Durand de Maillane,* qui aperte favebat theoriæ gallicanæ, et indolem sacram matrimonii urgebat. Cf. Basdevant, *Des Rapports de l'Eglise et de l'Etat dans la Législation du mariage,* Paris, 1900, pp. 177-180.

(3) Id constat manifestè tam ex declaratione *Muraire,* legis relatoris, tum ex ipso tenore legis, necnon ex integra lege data circa divortium, quatenus nempe hoc fuerit qua principium sancitum, matrimonium scilicet contrahentium voluntate esse dissolubile non secus ac reliquos contractus civiles. De quibus cf. Lemaire, *Le mariage civil,* Paris, 1901, p. 98, p. 104.

Equidem novatores non denegabant catholicis jus recurrendi ad benedictionem nuptialem et ad cæremonias pro matrimonii religiosi celebratione, sed, secus ac sub Constitutione anni 1791, omnem repudiabant distinctionem inter matrimonium civile et celebrationem matrimonii religiosi, plenam vindicantes matrimonii civilis independentiam a quacumque benedictione nuptiali.

Porro, stante hujusmodi conceptu matrimonii, logicè non referebat utrum benedictio nuptialis matrimonium civile præcederet vel sequeretur; et de facto a Cætu Legislativo nihil fuit statutum circa anterioritatem celebrationis civilis.

3°/ *In Concordato*, introducta est, sub art. organico 54, et postea, anno 1810, in Codice Pœnali, art. 199 et 200 (1), gravibus pœnis sancita, clausula anterioritatis obligatoriæ matrimonii civilis.

Verum motivum quod illam dispositionem provocavit fuit timor ne plures sponsi coram sola Ecclesia nuberent, ac civile matrimonium negligerent, unde difficultates orirentur in determinando eorum statu civili (2). Attamen Portalis, qui perspectam habebat illogicitatem dictæ clausulæ sub regimine matrimonii

---

(1) Tenorem articulorum, cum mutatione Anno 1837 allato, exhibet ALLÈGRE, *Le Code civil commenté*, Paris, 1899, p. 128.

(2) « Il arrive en effet, arguebat *Portalis*, que des époux abusés ou peu instruits, négligent d'observer les lois de la République, se marient devant le prêtre, sans se présenter à l'officier civil, et compromettent ainsi, par des unions que les lois n'approuvent pas, l'état de leurs enfants et la solidité de leurs propres contrats ». HÉBRARD, *Les Articles organiques*, Paris, p. 285.

Ad idem motivum provocatur in *Exposé des motifs*, in ordine ad vindicandos art. 199 et 200 Codicis Pœnalis; « Les ministres qui procèdent aux cérémonies religieuses d'un mariage sans qu'il leur ait été justifié de l'acte de mariage reçu par les officiers de l'état civil, compromettent évidemment l'état civil des gens simples, d'autant plus disposés à confondre la bénédiction nuptiale avec l'acte constitutif du mariage, que le droit d'imprimer au mariage le sceau de la loi était naguère dans les mains de ces ministres ». SCHAEPMAN, *Het Burgerlijk Huwelijk der R. Kathol in Nederland*, Utrecht, 1900, p. 23.

mere civilis, conatus est illam aliunde legitimare, antiquatam scilicet resuscitando theoriam gallicanam de contractu-sacramento, cui vidimus adhuc adhæsisse Constitutionis conditores, et, qua posita, sponte sua sequitur necessitas matrimonium, qua contractus est, præmittendi matrimonio qua sacramento (1).

Hodiedum viget, in Gallia, descripta disciplina. Quousque autem consistat cum infausto regimine separationis, cf. *Rev. Augustinienne,* 1906, p. 424 ss.; *Canon. Contemp.,* 1906, p. 648 ss.; DELASSUS, o. c., p. 12 ss.

B/ **In Belgio.**

1°/ Favore *Decreti 7 Martii 1815* abrogata sunt « L'art. 54 de la loi du 18 Germinal an X sur l'organisation du culte, ainsi que les art. 199 et 200 du Code Pénal et toutes autres dispositions qui exigent que le mariage devant l'officier civil soit préalable à la bénédiction nuptiale, ou cérémonie religieuse du mariage » (2).

2°/ Sub prætextu quod multi negligebant formalitates civiles, reintroducta est, *die 10 Jan. 1817,* anterioritas obligatoria matrimonii civilis.

3°/ *Sub Gubernio Provisorio,* die 16 Oct. 1830, abrogatæ sunt « Les lois générales et particulières entravant le libre exercice d'un culte quelconque et assujettissant ceux qui l'exercent à des formalités qui froissent les consciences, et gênent les manifestations de la foi professée ».

---

(1) Il invoque les principes « attestés par le chancelier... qui après avoir distingué le mariage du sacrement de mariage, établit que... le sacrement ne peut être appliqué qu'à un mariage contracté..., que la bénédiction nuptiale appliquée à un mariage qui n'existerait point encore, serait un accident sans sujet ». HÉBRARD, o. c., p. 286. Cf. etiam DELASSUS, *L'antériorité des formalités civiles sur le sacrement dans le mariage,* Lille, 1906, p. 7 s., ubi notatur eamdem theoriam fuisse invocatam in *Exposé des motifs* ad art. 199 et 200 Cod. Pœn.

(2) Ante illud decretum anni 1815, prodierat decretum 21 Oct. 1814, quo officialibus status civilis interdictum erat ad formalitates civiles procedere, absque prævia declaratione parochi de absentia impedimenti canonici. Cf. FRIEDBERG, *Das Recht der Eheschliesung,* Leipzig, 1865, p. 587.

Quo decreto ablata censebatur clausula urgens anterioritatem matrimonii civilis, quemadmodum agnoscebat Gubernii Secretarius, in epistola interpretatoria brevi post data ad Episcopos (1).

4°/ Tandem in *Congressu Nationali,* die 7 Febr. 1831, post prolixas discussiones (2), inserta est in Constitutione Belgica, sub præsenti art. 16: « Le mariage civil devra toujours précéder la bénédiction nuptiale, sauf les exceptions à établir par la loi, s'il y a lieu ». Quæ clausula in Codice nostro Pœnali, sub relato suprà art. 267, severius urgetur (3).

Quibus in textibus attende explicitè agnosci locum esse exceptionibus a lege determinandis: quò præcisè spectat suprà laudata propositio D. Woeste.

II/ **Crisis.**

1°/ Illa dispositio, licet, juxta dicta, non fuerit introducta in odium Religionis ac matrimonii religiosi, nata

---

(1) Archiepiscopus Mechliniensis, descriptum libertatis statutum cum parochis communicando illis prohibebat usum illius libertatis extra casum necessitatis, quatenus non potuerint matrimonium religiosum celebrare ante matrimonium civile, nisi ubi salus spiritualis aliter exigebat et salvo recursu ad Ordinarium. Friedberg, o. c., p. 589 s.; Huyttens, *Discussions du Congrès national de Belgique,* Bruxelles, 1844, I, p. 618.

(2) Cf. Huyttens, o. c., I, pp. 587-621 et II, pp. 466-472. Ex quibus discussionibus innotescit ex una parte oratores dictæ clausulæ faventes vix invocasse principia theoretica, sed maximè institisse in motivo opportunitatis practicæ, suprà jam invocato a Portalis, ne scilicet plures sponsi negligerent formalitates civiles et solo uterentur matrimonio coram Ecclesia; ex alia parte plures catholicos reluctasse contra sanctionem illius dispositionis anterioritatem matrimonii civilis urgentis, utpote libertatis læsivæ, eam tamen admisisse, ex spiritu conciliationis, favore exceptionum quæ possent a lege induci.

(3) Circa hujus art. 267 *applicationem*, cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 133; cf. etiam *La Patrie,* 25 Febr. 1908, ubi refertur condemnatio R. D. Van Langenhove. Quod spectat ejusdem art. *interpretationem*, in hunc sensum clausulam interpretatur jurisprudentia Belgica, teste præ cæteris decreto Supremi Tribunalis Bruxellensis, 26 Dec. 1876, ut sanctioni pœnali obnoxii sint ministri cultus, quomodocumque ad matrimonium religiosum procedant, etiam absque benedictione nuptiali et absque ecclesiastico ritu. Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jus Canonicum,* II, n. 1184.

est multùm promovere opinionem popularem, matrimonium civile præstare matrimonio religioso, et hoc alterum esse habendum ad instar cæremoniæ accessoriæ (1). Insuper, et quæ sequuntur valent etiam contra incredulos et acatholicos,

2°/ Dispositio est undequaque *illogica*, nec conformis cum ipso principio matrimonii civilis cumque œconomia separationis et mutuæ independentiæ inter duo fora; quemadmodum fatentur et ipsi adversarii (2).

3°/ Est *libertatis destructiva*, quatenus facile contingit quod urgeat matrimonium coram Deo contrahendum a personis quibus hic et nunc impossibile est præmittere

---

(1) Lege eloquentes litteras Leonis XIII ad Episcopem Veronensem contra similem legem condendam (8 Febr. 1893), apud *Acta S. Sedis*, XXV, p. 459 ss. Cf. etiam LEMAIRE, o. c., p. 147 s.; DELASSUS, o. c., p. 3 s., ubi citantur verba Pii IX, in Allocutione ad Belgas, 3 Oct. 1875, et in Brevi 15 Jan. 1876.

(2) « De deux choses l'une, jam exclamabat *Batbie*, anno 1867: ou le mariage religieux n'est rien aux yeux du législateur, et alors pourquoi les articles 199 et 200 du Code pénal, qui érigent en délit un acte de religion? ou le mariage religieux est un fait important, et alors pourquoi le Code civil n'en tient-il aucun compte? Il faudrait choisir entre les deux partis. Que le mariage religieux soit non existant pour la loi civile et existant pour la loi pénale, c'est une contradiction manifeste » LEMAIRE, o. c., p. 122; cf. ibidem, p. 124, verba *Laurent*. Cf. etiam notanda verba D. *Van der Kaay*, relata à SCHAEPMAN, o. c., p. 21 s.

In eumdem sensum loquuntur *La Chronique*, 7 Mars 1908, et præsertim *Le Peuple*, 20 Mars 1908, cujus juvat verba referre: « Le mariage civil est absolument complet par lui-même, et il n'appartient pas à la loi, sans diminuer elle-même la force de son œuvre, de se préoccuper des compléments que celle-ci peut recevoir en dehors de son intervention.

Que l'homme et la femme s'unissent librement, cela les regarde; qu'ils contractent mariage et que ce mariage soit purement civil c'est affaire à eux; s'ils veulent à l'occasion de leur union faire célébrer une cérémonie religieuse, cela ne concerne qu'eux, le curé, le pasteur, le rabbin, l'iman, l'officier de l'armée du salut ou toute autre personnalité analogue; s'ils veulent passer successivement devant les ministres des diverses confessions religieuses, libre à eux; s'ils veulent contracter un mariage purement religieux mais civilement nul, c'est leur droit...

Le principe de la séparation des églises et de l'État veut que l'autorité civile n'intervienne pas dans les cultes; ces rapports doivent bénéficier du droit commun en dehors de tout privilège ».

matrimonium civile, sive ob existentiam impedimenti in foro civili indispensabilis, sive ob temporis angustias quæ non sinunt præviè recurri ad forum civile. Quam libertatis violationem vidimus a pluribus fuisse agnitam in ipso Congressu 1830-1831 (1).

Ne putes hanc hypothesim rarius obtinere et nonnisi cum moribundis ; contrà frequentes sunt hujusmodi casus, etiam sepositis matrimoniis in extremis, uti luculenter constat ex relationibus factis a Societate S. Francisci Regis. Exinde autem plerumque contingunt quod negetur consensus parentum, vel quod non præsto sint acta authentica quibus constet de actu reverentiali, de obitu prioris conjugis, vel quia tempestive adimpleri nequeunt formalitates quæ exiguntur a sponsis exteræ regionis: juxta dispositiones nempe Congressus Hagæ Comitum (La Haye), leges patriæ sunt observandæ quoad jus et habilitatem nubendi.

Quod autem spectat *rationes opportunitatis* practicæ, quæ fuerunt olim invocatæ, jam non est, in præsenti rerum statu, illis locus. Abunde satis nempe norunt homines etiam gregarii beneficia legis civilis, nec leviter illis renuntiabunt negligendo formalitates civiles (2); neque amplius timenda est illa confusio quam timebant redactores Codicis civilis, ex eo quod usque ad illa tempora parochus matrimoniis benedicens simul munere functus fuerat officialis civilis, nomine Principis (3).

Cæterùm si valet hæc ratio quod nempe plures sponsi

---

(1) Cf. etiam *Exposé des motifs* D. Woeste, ad vindicandam propositionem de qua suprà.

(2) « En wie er in den aanvang ook al onnoozel genoeg wezen mocht, om de burgerlijke huwelijksvoltrekking te verzuimen, de allertreurigste gevolgen van zijn verzuim zouden hem alras tot die burgerlijke huwelijksvoltrekking nopen, en de andere zouden zich uit louter eigenbelang wel wachten zijn verkeerd voorbeeld te volgen ». SCHAEPMAN, o. c , bl. 13 s.

(3) Nunc autem, uti arguit *La Cronique*, l. c., « le temps a passé, on sait que le prêtre ne peut conférer le caractère légal à l'union de l'homme avec la femme »; « chacun sait pertinemment, ait *Le Peuple*, l. c., à quoi s'en tenir sur la valeur respective des diverses formes du mariage ».

viverent extra matrimonium civile, deberet legislator civilis, vi ejusdem motivi, quoscumque concubinarios a concubinatu cohibere, quemadmodùm scitè advertit D. *De Gerlache* coram ipso Congressu Nationali. HUYTTENS, o. c., p. 590.

Tandem, si timendi essent abusus, Episcopi possent prohibere quominus parochi ad celebrationem matrimonii leviter procedant ante adimpletas formalitates civiles, uti prohibitum vidimus, anno 1830, ab Archiepiscopo Mechliniensi.

III/ **Remedia.**

A/ Radicale remedium esset in moderanda legislatione matrimoniali conformiter cum principiis catholicis suprà expositis, adeo ut Princeps regat matrimonium civile pro subditis suis infidelibus, pro fidelibus vero Ecclesiæ relinquat exclusivum regimen matrimoniale. Eo ipso recederet ridiculus dualismus nunc vigens, nec esset locus anterioritati unius matrimonii præ altero.

B/ Quodsi hoc, attenta animorum dispositione, sperari non licet, saltem medendum esset infaustis sequelis quæ consequuntur *obligatoriam anterioritatem matrimonii civilis*. Et quidem.

1°/ Logica solutio esset in *totali abrogatione* art. 16 Constitutionis, vel saltem sanctionis pœnalis, quam reclamant vel ipsi Ecclesiæ osores (1).

2°/ Si ad hanc abrogationem pertingi non possit, conandum est ut lex *eludatur*. Quod varia ratione fieri posset:

Vel a/ reduceretur jurisprudentia ad germanam legis

---

(1) Ita *La Chronique*, l. c., ubi concludit: « Nous serions d'avis d'aller plus loin (que Mr Woeste) et de supprimer tout simplement l'art. 267 du Code pénal. Nous sommes ainsi conséquents avec nous-mêmes; nous avons toujours dit que ce qui se passe à l'église ne nous regarde pas ».

Item *Le Peuple*: « La vraie solution consisterait à rayer de nos lois ces dispositions qui n'ont plus leur raison d'être ».

Ex alia parte mirum videbitur quomodo BOUDINHON, apud *Canon. Contemp.*, 1906, p. 641 ss., impugnat abrogationem clausulæ in Gallia »,

interpretationem, quatenus prohibitio et sanctio pœnalis non afficiant nisi benedictionem nuptialem seu cæremonias religiosas (1): satis esset tunc sacerdoti, ad evitandas pœnalitates, ut assistat tanquam testis auctorizabilis, secluso omni ritu sacro, merè exquirendo et recipiendo consensum.

Vel b/ S. Sedes extenderet dispositionem Decreti *Ne Temere*, sub art. VIII, quatenus matrimonium possit validè et licitè iniri coram duobus dumtaxat testibus, ad casus illos in quibus parochus adiri non possit absque pœnæ comminatione: quod contingit quotiescumque apud nos urget matrimonium religiosum celebrandum sine matrimonio civili vel ante illud.

Sunt qui putant dictum art. VIII sponte sua nostro casui applicari (2), sed ad minus dubia est illa sententia, nec adeo posset, absque S. Sedis declaratione in praxim deduci. Optandum autem videtur ut, de judicio quorum interest, in hunc sensum declaratio obtineatur extensiva, vi cujus dispositio præfati art. VIII, positis ponendis et salvo signanter recursu ad Ordinarium, applicari valeat in casu quo ex una parte urget matrimonium canonicum, et ex alia parte ad matrimonium civile procedi nequit aut tempus deest illud matrimonio religioso præmittendi.

Hanc extensionem propugnat, et formulam proponit R. P. VERMEERSCH, *De Forma Sponsalium et Matrimonii*, 1908, n. 99.

Efficacissima foret hujusmodi dispositio, cum ejus favore plena salvaretur libertas nubendi coram Ecclesia, intacta lege civili (3); necessitas autem consulendi

---

(1) Id suadent ipse textus legis, cæteroquin stricte interpretandus; suadet etiam finis legis primitus conditæ, uti ostendit SCHAEPMAN, *Ned. Kath. Stemmen*, 1905, p. 368 s., et in opusculo citato, p. 23. Favet etiam interpretatio data a Tribunali supremo Hollandiæ diei 22 Julii 1850, teste *Ned. Kath. Stemmen*, p. 366.

(2) OJETTI, *In Jus Ante-Pianum et Pianum*, 1908, n. 122.

(3) Salvat illam libertatem universim et non tantum pro matrimoniis

Ordinarium imprudentem facultatis usum removebit.

c/ Donec hæc proposita succedant, remanet remedium partiale, hucusque successive adhibitum, in hoc scilicet consistens quod ex una parte mitigetur ipsa lex anterioritatem urgens (1), et quod ex alia parte moderentur variæ formalitates ad matrimonium civile severius requisitæ et quæ frequentius conflictum provocent inter utrumque forum (2).

IV/ **Conclusio practica.**

Quousque manet œconomia matrimonii civilis, quousque etiam manet infausta anterioritatis obligatio, en normam in hoc negotio sequendam:

1°/ Matrimonium civile, uti sponte liquet, est habendum pro pseudo-matrimonio, ac pro mera formalitate civili; in hunc etiam sensum docendi sunt fideles, ut probè sciant sese non conjungi matrimonio antequam in facie Ecclesiæ consensum ritè emiserint (3).

2°/ Tolerat Ecclesia ut formalitates illæ civiles, licet a foro civili ipsis agnoscatur ratio veri matrimonii, equidem adimpleantur a fidelibus, etiam, ad id urgente

---

in extremis, imo potissimum pro matrimoniis extra hunc casum incundis; cæteroquin difficultatibus quæ obviæ sunt pro matrimoniis in extremis occurretur per futuram legem a D. Woeste propositam, et jam nunc magna ex parte providetur per facultatem qua gaudent parochi dispensandi cum moribundis concubinariis super impedimento clandestinitatis, uti notavimus, apud *Collat. Brug.*, t. VII, p. 133.

(1) Huc spectat propositio legis a D. Woeste subjecta, in hoc tendens ut matrimonia *in extremis* legi anterioritatis subtrahantur. Hæc eadem exceptio, quam cæteroquin suggerit ipse tenor art. 16 Constitutionis, jam viget in Germania (*Rev. eccl. de Metz.*, 1900, p. 138), et fuit, anno 1900, proposita in Hollandia, addita etiam alia dispositione derogatoria, sese extendenda ad casum quo sponsi formaliter declaraverint sese in concubinatu vivere. Cf. SCHAEPMAN, o. c., p. 34 s., coll. *De Tijd*, 1900, 9, 10 et 11 Oct., coll. *Bien Public*, 13 Oct. 1900.

(2) Huc spectant leges in Belgio introductæ: 26 Dec. 1891, circa publicationes antenuptiales, 30 Aprilis 1896, circa consensum parentum (*Collat. Brug.*, t. VI, p. 188 ss); 7 Januarii 1908, circa quasdam formalitates celebrationis (*Collat. Brug.*, t. XIII, p. 386 ss.).

(3) Cf. documenta citata apud THEOL. MECHL., o. c., n. 60, qu. 3; *Instr. S. Pœn.*, 15 Jan. 1866 (*Collectan. S. C. de P. F.*, n. 1406).

necessitate, ante matrimonium canonicum (1); imo, ne effectibus civilibus destituantur nuptiæ, neve conflictus provocentur, ad legis observationem regulariter adducendi sponsi, nec parochi debent *regulariter* ad nuptiarum celebrationem admittere sponsos, quos non constat formalitates civiles adimplevisse.

3°/ Possunt dari et dantur casus in quibus ex una parte necessitas urget matrimonium coram Ecclesia celebrandi, ut conscientiæ consulatur aut prolium legitimationi, et ex alia parte non potest ad matrimonium civile procedi, vel deficit temporis copia ad præmittendas formalitates civiles: quo casu non vereatur zelosus parochus officio suo fungi non obstante pœnalitatum comminatione; prudenter tamen procedat et cautè ut quo meliori potest modo conflictum vitet ac pœnalem sanctionem.

Nota. In difficultatibus enodandis in ordine ad matrimonium civile, in procurandis authenticis actis quæ ex lege civili requiruntur, ac facultatibus opportunis consequendis, maximo adjutorio esse potest non satis laudanda Societas S. Francisci Regis (2), cujus zelosa industria toties et tantopere profuit nupturientibus, indigentibus præsertim ac extraneis.

A. De Smet.

(1) Cf. *Instr. S. Pæn.*, l. c., sub 7, ubi monetur ut, quando urgetur præmittendum esse matrimonium civile, « matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur ». Quod monitum inculcat *Liber Manualis* Brugensis, p. 167, volens ut a parochis invigeletur ad hoc ut ipsa die matrimonium celebretur qua formalitates civiles implentur.

(2) Sedem suam principalem habet Bruxellis, Rue des Minimes, 39; secundarias autem sedes habet quatuor in diœcesi Brugensi: indicantur quotannis ad calcem Calendarii.

E Commissione Pontificia de re biblica

De Libri Isaiæ indole et auctore.

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontificia de re biblica sequenti modo respondit:

Dubium I. — Utrum doceri possit, vaticinia quæ leguntur in libro Isaiæ, — et passim in Scripturis, — non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel, si ante eventum prænuntiatum quidpiam agnosci opus sit, id prophetam non ex supernaturali Dei futurorum præscii revelatione, sed ex his quæ jam contigerunt, felici quadam sagacitate et naturalis ingenii acumine, conjiciendo prænuntiasse?

Resp. — Negative.

Dubium II. — Utrum sententia quæ tenet, Isaiam ceterosque prophetas vaticinia non edidisse nisi de his quæ in continenti vel post non grande temporis spatium eventura erant, conciliari possit cum vaticiniis, imprimis messianicis et eschatologicis, ab eisdem prophetis de longinquo certo editis, necnon cum communi S. S. Patrum sententia concorditer asserentium, prophetas ea quoque prædixisse, quæ post multa sæcula essent implenda?

Resp. — Negative.

Dubium III. — Utrum admitti possit, prophetas non modo tanquam correctores pravitatis humanæ divinique verbi in profectum audientium præcones, verum etiam tamquam prænuntios eventuum futurorum, constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed præsentes et sibi æquales, ita ut ab ipsis plane intelligi potuerint; proindeque secundam partem libri Isaiæ (cap. XLXVI), in qua vates non Judæos Isaiæ æquales at Jædæos in exsilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur, non posse ipsum Isaiam jamdiu emortuum auctorem habere, sed oportere eam ignoto cuidam vati inter exsules viventi assignare?

Resp. — Negative.

Dubium IV. — Utrum ad impugnandam identitatem au-

ctoris libri Isaiæ argumentum philologicum, ex lingua stiloque desumptum, tale sit censendum, ut virum gravem, criticæ artis et hebraicæ linguæ peritum, cogat in eodem libro pluralitatem auctorum agnoscere?

Resp. — Negative.

Dubium V. — Utrum solida prostent argumenta, etiam cumulative sumpta, ad evincendum Isaiæ librum non ipsi soli Isaiæ, sed duobus, imo pluribus auctoribus esse tribuendum?

Resp. — Negative.

Die autem 28 junii anni 1908, in Audientia ambobus R^mis^ Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus prædicta Responsa rata habuit ac publici juris fieri mandavit.

Romæ, die 29 junii 1908.

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S.-S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis.

E SS. Rituum Congregatione

I

Decreto *Urbis et Orbis* diei 13 Maii 1908, « Sanctitas Sua .. festum Septem Dolorum B. M. V. quod Dominicæ tertiæ Septembris adsignatum fuit, in posterum *sub ritu duplici secundæ classis* ubique recolendum declaravit, servatis Rubricis » (1).

II

De præcedentia commemorationis Concurrentis (Sequentis); de Vesperis diei infra octavam.

ATREBATEN.

R. D. Onesimus Machez, magister cæremoniarum ecclesiæ cathedralis Atrebaten. et extensor Kalendarii diœcesani,

(1) Decretum integrum videre est ap. *Ephemerides Liturg.*, 1908, p. 385.

de licentia sui R^mi Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit, nimirum:

I. Quando celebratur festum duplex Dominica infra Octavam communem, ponitur in Laudibus commemoratio Dominicæ, deinde Octavæ; debetne in secundis Vesperis idem ordo servari pro commemorationibus, si feria secunda sequenti fit de die infra Octavam, vel poni primo loco commemoratio Octavæ?

II. Quando feria VI post Octavam Ascensionis recolitur festum duplex aut semiduplex, quod in secundis Vesperis concurrit cum festo ejusdem ritus ob Vigiliam Pentecostes simplificando, debetne prius fieri commemoratio hujus festi simplificati ac postea feriæ, aut inversus ordo servari?

III. Post Horam tertiam, quæ præcedit Missam pontificalem, Episcopus celebrans debetne, dicto per chorum *Benedicamus Domino,* omittere versum *Fidelium animæ?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I et II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, juxta decretum n. 3843 *Commemorationum in Vesperis,* 5 Februarii 1895, quia habetur concursus, et commemoratio sumatur e primis Vesperis juxta Rubricas.

Ad III. Affirmative in casu.

Atque ita rescripsit, die 5 Junii 1908.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Adnotationes. Sedulo attendenda sunt hujus decreti duo priora responsa, quæ *novum statuunt principium* cujus applicatio sæpius usuveniet *in ordinandis octavis.*

Semiduplex habet officium integrum (*Rub. Gen.* II, 3) adeoque duas vesperas. Jamvero dies infra octavas sunt ritus semiduplicis (Ibid. II 1 et VII, 5). Ergo officium diei infra octavam de se habet tum primas tum secundas vesperas.

Ast, secunda excepta, singulæ dies infra octavam concurrunt cum die præcedenti infra eamdem octavam.

Jamvero quando concurrunt duo officia ejusdem ritus et objecti, vesperæ fiunt de præcedenti (secundæ nempe) et quidem, quia non fit bis de eodem, sine commemoratione sequentis. Inde statuitur (*Rub. gen.* VII, 5): « In vesperis infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi », nisi propria assignentur.

De facto igitur impediuntur generatim primæ vesperæ vel earum commemoratio. Ex hoc *facto* — immerito ut videtur — concludentes ad *jus,* rubricistæ statuerunt principium: *dies infra octavam non habere primas vesperas,* quod et auctores et decreta et rubricæ deducebant ad praxim.

Illud autem principium evertitùr responso præsenti ad I et II ultimis notatim verbis « *et commemoratio sumatur e primis Vesperis juxta Rubricas* ». Nan commemoratio, in priori casu formaliter, et in alteri æquivalenter, est de officio infra octavam. Ergo deinceps tenendum et applicandum est: *diem infra octavam habere non tantum secundas sed et primas vesperas.*

1/ Hoc posito, plene intelligitur responsum S. Cong. Nam juxta Decretum generale n. 3843, diei 5 febr. 1895 pro vesperis « post orationem diei, ante ceteras, commemoratio semper agenda est de alio cujuscumque ritus Festo, quod *concurrat,* si locum habeat ». Jamvero in casu *concurrit* dies infra octavam cujus fiet officium feria secunda. Ergo ejus commemoratio, in vesperis secundis festi duplicis die dominica celebrati, facienda erit deinceps primo loco, ante commemorationem dominicæ, et sumenda erat ex primis vesperis.

2/ Iisdem principiis solvitur dubium II.

3/ Ulterius juxta Rub. gen. IX, 6. « In secundis vesperis festi duplicis II classis fit commemoratio... de die infra octavam, si de ea fieri debeat officium die sequenti ». Hucusque statuebatur sumendam esse hanc commemorationem ex secundis vesperis festi octavæ, quia dies infra octavam carere censebatur primis vesperis. Deinceps sumenda erit commemoratio octavæ

ex primis vesperis quia *concurrit* dies infra octavam cujus officium fiet sequenti die.

4/ Eadem *concurrentia* adest quoties officium diei infra octavam sequitur Dominicam vel festum duplex aut semiduplex. Ergo commemoratio octavæ sumenda erit ex primis vesperis (1).

5/ Probe tamen notandum est hanc novam regulam, ut merito animadvertit cl. Piacenza in *Ephem. Liturg.*, 1908, p. 393, non ita esse intelligendam ac si possent a loco suo moveri versus et antiphonæ quæ ut omnino propriæ alicui diei adhærent v. g. vers. *Crastina die* et antiphona *Cum ortus fuerit sol* quæ ita sunt propriæ primis vesperis Nativitatis ut non verificentur infra octavam ejusdem festi; item nihil esse mutandum iis in octavis (v. g. Epiphaniæ) quæ pro singula die diversam et propriam habent antiphonam ad *Magnificat* (2).

Cl. P. Piacenza conatur jam deducere ex præfato decreto similiter everti principium communiter admissum et ad praxim deductum, v. g. in rubrica speciali posita in Breviario ad diem 14 decembris, juxta quod officium septimæ diei infra octavam terminatur ad Nonam, nec gaudet secundis vesperis (3). Hæc conclusio certe non continetur in decreto, quod nullatenus agit de *secundis* vesperis, sed mirandum non esset si disciplina hac in re quoque mutaretur.

C. Callewaert.

---

(1) Contrarium statuebatur in pluribus locis in rubricis Breviarii v. g. ad dies 12 et 17 Augusti ad secundas vesperas.

(2) Casus occurrit iis in locis ibi festum Titularis vel Patroni (v. g. S. Hilonii) occurrit infra præfatam octavam.

(3) Cujus rei alia ratio non esse videtur quam quia *de facto* generatim secundæ vesperæ diei septimæ *impediuntur* primis vesperis diei octavæ quæ est ritus altioris nempe duplicis.

Bulletin d'histoire ecclésiastique

I. Manuels pour l'enseignement supérieur.

F.-X. Funk. *Lehrbuch der Kirchengeschichte.* 5e édition (Wissenschaftliche Handbibliothek. Erste Reihe. Theologische Lehrbücher XIV) Paderborn. F. Schöningh, 1907. In-8°, XVI-645 pp. M. 7.

P. Albers, S. J. *Handboek der Algemeene Kerkgeschiedenis.* Nijmegen, L. Malmberg, 1905-1907. 2 vol. in-8°, XXXII-442, 680 pp. Fl. 6.

M. Marion. *Histoire de l'Église.* Paris, Roger et Chernoviz, 1905. 3 vol. in-8°, XVIII-696, 724, 854-44 pp. Fr. 12.

J. Marx. *Lehrbuch der Kirchengeschichte.* 2e et 3e éd. Trier, Paulinus-Druckerei, 1906. In-8°, XVI-903 pp. M. 9.

II. Manuels pour l'enseignement moyen.

G. Rauschen. *Kirchengeschichte.* 2e éd. (Lehrbuch der Katholischen Religion für die oberen klassen höherer Lehranstalten von Dr. G. Rauschen und Dr. W. Capitaine. Ie Teil). Bonn, P. Hanstein, 1907. In-8°, VII-148 pp. M. 1.90.

A. Ender. *Lehrbuch der Kirchengeschichte für Mittelschulen.* Freiburg im Breisgau, Herder, 1907. In-8, XII-195 pp. 25 planches. M. 2.50.

I. Manuels pour l'enseignement supérieur.

Les grands progrès réalisés, depuis quelque temps dans le domaine de l'histoire ont sur bien des points renouvelé cette science. Ils ne nous permettent plus de nous en tenir aux anciens manuels, trop peu au courant des résultats acquis et dépourvus de méthode et de cette judicieuse critique dont tout historien doit forcément s'inspirer, surtout à l'heure actuelle. Heureusement il n'est pas si difficile d'en trouver qui répondent aux exigences de nos temps ; il ne sera pas inutile, croyons-nous, d'en faire connaitre quelques uns.

Funk pour beaucoup n'est pas un inconnu : son *Lehrbuch der Kirchengeschichte,* dont nous annonçons la 5me édition, a paru une première fois en 1886 ; il a reçu tout de suite une large diffusion, ce qui prouve déja sa supériorité. La critique d'ailleurs a été unanime à déclarer que peu de manuels

traitent les questions d'histoire ecclésiastique plus à fond et d'une manière plus objective, et concentrent autant de matière en si peu de pages. Qu'on n'y cherche cependant pas de grands développements et qu'on n'aille pas y trouver les preuves de la doctrine avancée ; un manuel doit nécessairement se restreindre et suppose l'enseignement oral. M. Funk d'ailleurs est un auteur sûr, il a pratiqué l'histoire (1) et partout il donne à ses lecteurs le moyen d'approfondir la matière en indiquant les travaux les plus complets et les plus récents. Cette nouvelle édition a été soigneusement revue et corrigée d'après les travaux parus depuis 1902 (2).

Le manuel du **R. P. Albers, S. J.** suit le plan du Dr Funk, il introduit cependant, non sans raison, quelques modifications dans les subdivisions systématiques des périodes (3). Dans l'exposé clair et concis nous retrouvons dans une large mesure les qualités du manuel précédent : il vise même à être plus complet : certaines questions controversées sont traitées plus en détail (tels : séjour de St Pierre à Rome, symbole de la Foi, la primauté des Papes etc.), l'histoire de l'art religieux y est donnée plus complètement, et comme on pouvait s'y attendre dans un manuel destiné à être classique dans les séminaires néerlandais, l'histoire des Pays-Bas y est moins oubliée que dans les manuels d'origine allemande ou française. Personne ne saurait en vouloir au docte professeur d'avoir eu ses préférences ; seulement il est à regretter qu'elles se manifestent parfois au détriment d'autres questions : certains paragraphes par exemple, consacrés à l'histoire générale ou au développement de la science religieuse se réduisent

---

(1) Pour un certain nombre de questions on pourra utilement recourir aux *Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen* de l'auteur (3 vol. in-8°, 1897, 1899, 1907) qui forment comme un supplément à son manuel.

(2) La traduction française de M. l'abbé Hemmer (Paris, Colin et Cie, 1891, 5me éd. 1902), a été faite sur la 2me édition allemande. Le traducteur a introduit quelques paragraphes nouveaux et a enrichi la bibliographie de nombreuses références à des articles de revues et à des ouvrages français.

(3) Nous préférons avec le R. P. Albers ranger les erreurs concernant la discipline et les schismes qui s'en suivirent dans la 1re pér. de l'antiquité chrétienne sous le chap. consacré au Culte et à la discipline et non avec Funk au chapitre consacré à l'histoire des dogmes et hérésies.

presque à une sèche énumération de noms et de dates (1). Le grand mérité du R. P. Albers est d'avoir donné à ses compatriotes et en leur langue, un manuel d'histoire ecclésiastique qui peut rivaliser avec n'importe quel autre de l'étranger (2).

Les deux auteurs, que nous venons de signaler sont sobres en remarques personnelles; **M. Marion** se présente sous une toute autre allure: il croit qu'un peu de philosophie est nécessaire à l'histoire ecclésiastique pour en rendre l'étude tout à la fois agréable, facile et profitable (Préface, vol. I, p. XVI). C'est donc plus qu'un manuel ordinaire qu'il nous présente. Les faits à ses yeux ont surtout de l'importance par leur liaison avec les vérités dogmatiques et morales: de là, les épilogues apologétiques après maint chapître de son manuel, les preuves dogmatiques relevées, les réponses à certaines objections; de là encore les pieuses observations et les belles citations des auteurs qui ont commenté l'histoire de l'Eglise. Cette méthode a certainement du bon: elle met certains faits en relief, leur donne de la couleur, de la vie et du mouvement; mais elle a aussi des inconvénients. En donnant trop d'importance à certains aspects, notamment à tout ce qui a rapport à la vie intérieure de l'Église, l'auteur n'a pas su conserver l'équilibre entre les différentes parties, équilibre que nous sommes en droit d'attendre dans un manuel, qui à ce point de vue surtout — comme synthèse générale — doit être exact et complet. Ainsi pour nous en tenir à la 1re époque nous aurions voulu qu'il traitât l'histoire de la gnose, les développements de la doctrine concernant le *Logos* et les erreurs christologiques, avec le soin et l'exactitude qui se remarquent au chapitre consacré à la Patrologie (3),

---

(1) Cfr. vol. I, §§ 25, 26, 55; vol. II, § 179 où l'A. cite un peu au hasard les hommes de science contemporains. Par contre l'histoire des Papes à la fin du M. A. est très bien donnée; de même l'histoire de la Réforme (T. II, p. 277-387) dans laquelle l'A. accorde une attention spéciale aux doctrines des réformateurs, à l'évolution qu'elles subirent et aux luttes qu'elles produisirent parmi les sectateurs eux-mêmes.

(2) La librairie Lecoffre de Paris annonce une traduction française de l'ouvrage, faite par le R. P. R. Hedde, O. P. Elle paraitra encore cette année en 2 forts volumes in-12°. Pr. 8 fr.

(3) La façon de résumer les œuvres des Péres nous semble très heureuse.

et ailleurs, au vol. III, dans toute son histoire contemporaine. Ajoutons encore que l'auteur urge à l'excès ses subdivisions logiques et force quelque peu la matière à entrer dans des cadres tracés d'avance : de là assez souvent des redites, des détails insignifiants ou qui n'ont rien à voir avec l'histoire de l'Église, ou qui seraient bien mieux à leur place dans l'exposé de l'histoire générale : c'est le cas assez souvent pour les chapitres qui sont intitulés : « l'Église dans les diverses nations » (1).

Le travail de M. Marion est enrichi de nombreuses références, qui faciliteront les recherches ultérieures. Remarquons cependant que l'auteur a surtout des références aux « belles pages à lire » et que, s'il est bien au courant de la littérature historique de langue française, il semble connaître beaucoup moins les auteurs allemands.

Le manuel du **Dr Marx**, professeur d'histoire ecclésiastique et de droit Canonique au Séminaire de Trèves, occupera parmi les ouvrages généraux une place d'honneur : il a sans doute comme les travaux précédents pour premier but, celui de dresser minutieusement l'inventaire des connaissances acquises afin de rendre plus rapide aux travailleurs et aux étudiants l'assimilation des résultats de la critique et de fournir un point de départ à des recherches nouvelles, mais il a une façon de le faire qui, au point de vue pédagogique surtout, nous le fait préférer à d'autres.

Le grand écueil a éviter dans les manuels c'est d'un côté la sècherese et le manque d'unité dans l'exposé et d'un autre côté la synthétisation fantaisiste suivant les besoins d'un système. M.M. a très heureusement évité ces deux extrêmes. Il n'a d'autre système que celui de dire la vérité, ce qui suppose à son avis deux choses : la recherche critique des faits et ensuite l'exposé pragmatique (cfr. p. 13). Dans les manuels d'ordinaire la critique est présupposée, M.M. cependant a eu l'heureuse idée de mettre ses lecteurs, dans la mesure du

(1) Nous devons cependant faire une exception pour les chapitres consacrés a l'histoire contemporaine de l'Eglise dans les diverses nations, en Europe et hors de l'Europe, (vol. III, p. 690-757), ils méritent d'être loués sans séserve. On y lira avec plaisir les détails sur la situation actuelle du catholicisme.

*

possible, en état de la faire par eux-mêmes, et à cet effet il cite et discute assez souvent les textes, les sources mêmes de l'histoire ecclésiastique. Nous ne saurions assez le louer de cette méthode, qui rend l'enseignement de l'histoire bien plus scientifique. Quant à l'exposé pragmatique, l'auteur entend par là un exposé qui ne se contente pas d'énumérer les faits acquis par la critique, mais qui tient compte de leur dépendance mutuelle, de leurs rapports avec les hommes du passé, leur but, leurs idées, leurs motifs, qui tient compte surtout de leur lien avec Dieu, cause finale et première. Grâce à cette conception nous avons le plaisir de trouver dans le *Lehrbuch* du Dr Marx une clarté, une unité dans l'ensemble — eine übersichtlichkeit — qu'on voudrait trouver plus accentuée chez d'autres auteurs. Chaque période (division chronologique) et chaque chapitre (division logique) est introduit par un aperçu général, donnant les caractères distinctifs des matières qui seront traitées, les causes et les courants d'idées qui les ont amenées ou accompagnées et les conséquences qu'elles ont eues. Chaque paragraphe à son tour commence par un resumé, d'ordinaire très bien fait, du point à exposer; les développements ultérieurs utiles et nécessaires, les preuves et les textes (1), qui pourraient empêcher la vue de l'ensemble sont donnés ensuite sous plusieurs numéros d'ordre et en caractères plus petits. Le manuel de M.M. est assez détaillé et se recommande encore par le soin apporté aux questions concernant le droit public de l'Église: la 2de période du M. A. — pour ne citer qu'un exemple — est traitée avec une rare perfection; nous y trouvons très à propos l'exposé des théories Grégoriennes et très bien synthétisé le développement de la science religieuse. La bibliographie est très soignée: les références générales aux sources et aux travaux (la distinction est justement observée) sont données en tête des chapitres ou des paragraphes; les monographies plus spéciales sont indiquées dans les notes, au bas des pages.

II. Manuels pour l'enseignement moyen:

Les manuels des professeurs **Rauschen** et **Ender** sont

(1) Les textes trop longs sont donnés à la fin du livre en appendice.

destinés à complèter l'enseignement de la religion; ils ont dû en consequence restreindre la matière, faire un choix, tout en donnant cependant une idée de l'ensemble. Le Dr **Rauschen** à notre avis a très bien réussi dans cette tâche ingrate et son petit manuel peut passer pour un modèle du genre. Il suit dans les grandes lignes les divisions de Funk, et ne néglige aucun point de vue important tant de l'histoire externe que de l'histoire interne, (institutions, doctrines et hérésies, culte et discipline). Son exposé est clair, sa doctrine solide, puisée aux bons ouvrages généraux. Un soin spécial est apporté aux questions qui ont un intérêt apologétique et tout particulièrement aux questions qui regardent l'époque des origines, les plus en butte de nos jours aux attaques des historiens rationalistes et de tous ceux qui veulent enlever à la religion du Christ son caractère surnaturel.

La méthode suivi par M. **Ender** nous plait moins. Dans le dessein très louable de faciliter la tâche des professeurs et d'aider la mémoire des élèves, il a voulu concentrer l'histoire ecclésiastique en 82 §§ de une à deux pages, ou plutôt en autant de plans ou canevas de dissertations à faire, pour les quels l'auteur s'ingénie à trouver des divisions et subdivisions. Cette méthode peut mettre certains points en lumière, être même utile là où on dispose de peu de temps, mais donnera une idée bien faible de l'ensemble de l'histoire ecclésiastique. Il est vrai que l'A. tâche de ranger ces esquisses d'apres un plan général; mais ce plan d'ensemble n'est pas pour nous plaire d'avantage. L'histoire de l'Église, selon l'auteur, n'est autre chose qu'un exposé coordonné de luttes et de triomphes et partant de cette conception il partage chaque période en deux chapitres, dont le premier est consacré aux luttes de l'Église, le second à ses triomphes. En forçant ainsi la matière à entrer dans des cadres tout faits l'auteur n'est pas toujours également objectif et il nous semble en définitive avoir fait un petit commentaire — apologétique surtout — plutôt qu'un résumé de l'histoire de l'Église.

R. De Schepper.

Notæ Bibliographicæ

H. Axters. *Commentaire de la loi organique de l'instruction primaire et des lois et arrêtés relatifs aux pensions des instituteurs.* 2e édition. Bruges, Van Mullem, 1908, gr.-in-8°, XXXII-544 p. F. 5.

L'éloge que les *Collationes Brugenses* ont fait (1) de l'ouvrage érudit et nourri de M. Axters est mérité avec plus de raison encore par la seconde édition de ce livre. Celle-ci, sans augmenter de volume, a augmenté de valeur, par une mise au point parfaite, par plus d'ordre et de clarté, par son caractère plus accentué de commentaire pratique. Car, le présent ouvrage n'est pas une œuvre de théorie, de discussions juridiques; c'est une explication méthodique et pratique de la loi de l'instruction primaire, faite d'après les travaux préparatoires et tenant compte de toutes les décisions administratives qui l'ont expliquée et appliquée, à l'usage de tous ceux qui s'occupent activement d'enseignement, des membres des administrations provinciales et communales, du personnel de l'enseignement, des directeurs laïques et ecclésiastiques d'écoles.

Spécialement les curés, doivent de par leurs fonctions, être au courant de ce qui concerne les conditions, avantages, formalités de l'adoption; les droits des communes et de l'État relativement aux écoles adoptées ou adoptables; l'enseignement de la religion et de la morale dans les écoles communales; l'organisation matérielle de l'enseignement primaire; la situation des écoles gardiennes et d'adultes adoptées ou subsidiées; l'obtention des divers subsides de l'État, etc. Bien persuadés, qu'ils n'ont pas dans l'œuvre de l'instruction morale et religieuse de leurs ouailles, de meilleurs collaborateurs que les instituteurs catholiques, ils doivent pour savoir faire appel à leur dévouement, leur montrer de l'intérêt en connaissant et en faisant valoir leurs droits au traitement et à la pension, qui leur sont dus. Le livre de M. Axters leur fournira sur toutes ces matières des renseignements exacts et complets. L'ordre logique suivi par l'auteur, les tables alphabetico-analytiques leur permettront de se renseigner vite et bien.

Une remarque pour finir. Nous aurions désiré dans l'introduction, qui passe en revue l'histoire de l'enseignement primaire en Belgique depuis 1815 jusqu'à nos jours, un peu plus d'érudition. L'auteur aurait pu y ajouter l'exposé de sa méthode de travail et du point de vue auquel il s'est placé, ainsi qu'une mention des collections de textes qu'il a si patiemment compulsées. Nous croyons aussi que le commentaire aurait gagné en clarté, par une distribution *plus apparente* des matières, par plus de divisions et de points de repère. Enfin nous regrettons dans cette seconde édition la disparition de certains documents mis en annexes dans la première et qui avaient leur utilité.

A. De Meester.

(1) T. III, p. 543 s.

S. Reinstadler, *Elementa philosophiæ scholasticæ*, 3ª Edit. 2 vol. Friburgi Br., Herder, 1907. In-12, XXVII-467 et XVIII-457 p. Pr. 7,50 fr.

His libris continetur cursus completus philosophiæ complectens etiam theologiam naturalem ac ethicam. Doctrinam vere scholasticam solide, dilucide ac breviter tradit A., simul ac recentiorum et hodiernorum philosophorum opiniones indicando atque dijucando lectores reddit aptos qui controversiis hodie agitatis animum intendant ac solutionum recta principia calleant. Licet quædam quæstiones, nominatim de certitudine ac de objectivo valore nostrorum conceptuum penitius valeant pertractari, licet in demonstratione de Dei existentia quædam argumenta, ab auctore propugnata v. gr. ex æternitate possibilium, ex naturali desiderio beatitudinis, ex lege morali, teneamus ut invalida, tamen egregium esse opus libenter fatemur, quippe quod nova et vetera ita exhibet ut perennis philosophiæ ædificium consolidet.

*
* *

L. Habrich, *Pedagogische zielkunde* uit het duitsch vertaald door G. Siméons. Tweede deel: *het streefvermogen*. Brugge, K. van de Vyvere-Petyt, 1906. In-8, XIV-545 bl. Pr. 6,00 fr.

Jam hujus operis commendavimus (1) primam partem: majoribus porro laudibus hæc secunda est digna. Agit de appetendi facultate. Quum optime distinguit A. inter sensitivas et intellectivas cognitiones, tum etiam inter sensitivos ac intellectivos appetitus (p. 16 ss.): inde in anima rationali, seorsim spectata, non aliam admittit facultatem appetendi quam *voluntatem*, et sic opinionem rejicit ac solide refutat nonnullorum modernorum qui tertiam invehunt facultatem, nempe facultatem *sentiendi* (p. 51 ss.). Varios deinde animi affectus, tum debiles tum vehementes, tum transitorios tum habituales, exemplo exhibet, subtili analysi describit, ac practicas exinde deducit conclusiones quibus indicatur norma agendi in educandis pueris ut affectus ipsorum rite dirigantur aut impugnentur, necnon voluntas informetur ad virtutem colendam. Speciali consideratione digna est tractatio de voluntatis *libertate* (p. 324 ss.). A. in scholastica philosophia apprime versatus, summa ejus principia amplectitur et propugnat, licet in ordine materiæ exponendæ sequatur moderna « programmata » ut plurium exigentiis sese accommodet. Magnæ sine dubio utilitatis erit diffusio operis, præsertim nostro tempore quo tot sparguntur de pædagogia scripta in quibus supponuntur placita, vel explicite propugnantur effata quæ non solum sanæ philosophiæ sed et revelatæ a Deo doctrinæ sunt opposita.

Congratulamur Domino Simeons qui accurata sua versione egregium ac utilissimum librum concivibus suis cognoscendum præbuit.

*
* *

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 242.

Id. *Leven en ziel.* Ibid. In-8, 52 bl. Pr. 0,65 fr.

Opusculum, ab eodem D. Simeons, versum, duas continet conciones quibus A. solide refutat systema Cartesii de animæ natura ejusque munere, necnon doctrinam scholasticam demonstrat quæ tenet animam humanam esse vere *principium totius vitæ*, quæ homini inest, tum vegetativæ, tum sensitivæ, tum intellectivæ.

*
* *

P. Vallet, *Les fondements de la connaissance et de la croyance.* Paris, Lethielleux, 1905. In-12, XII-436 p. Pr. 3,50 frs.

Hujus operis major pars ad philosophiam pertinet, quippe quæ contra *neo-kantismum* propugnat valorem objectivum humanæ cognitionis et specialiter nostrarum notionum de *absoluto*, de *substantia*, de *causa*, tandem rectam tuetur doctrinam de mundi creatione, de natura humanæ animæ, de Dei existentia. Operis ultima pars agit de *fide*, de *dogmate*, de *apologetica:* distinguitur *fides* a cognitione mere naturali, ad fidem prærequiruntur *revelatio* et *motiva credibilitatis:* hæc sunt objectum primi capitis; secundum, præ aliis laudandum, nobis exhibet notionem dogmatis, progressum qui in ejusdem cognitione acquiri potest et ejusdem immutabilitatem. Non tam accurata, ut videtur, est expositio de apologetica (1). Nihilominus, in reliquis operis capitibus valde clara et solida est pertractatio Auctoris et omnino opportuna, quum circà res expositas vigeant apud multos varii errores et confusiones conceptuum.

*
* *

G. Lapponi, *Ipnotismo e Spiritismo*, 2ª Edit. Roma, Desclée e Cⁱ, 1906. In-12, 233 p.

In compendium redegit A. conclusiones longo studio sibi acquisitas de phenomenis illis miris quæ sub nomine hypnotismi et spiritismi designantur. Postquam historiam illarum praxeum delineaverit, illarum intimam naturam inquirit: radicalem statuendo differentiam inter hypnotismum et spiritismum, hujus præternaturalem, illius vero naturalem esse indolem ostendit; sed adhæret opinioni a Charcot propugnatæ secundum quam phenomena hypnotica non inveniuntur nisi ut effectus alicujus *morbi nervosi* (p. 147) et probabiliter illius status morbosi qui vocatur hysteria; illa vero opinio ab omnibus fere medicis, ut videtur, jam rejicitur (2). Laudabilis illius operis facta est versio gallica.

*
* *

(1) Qua de re cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 48.

(2) Cf. VAN VELSEN, *Hypnotisme et psychothérapie*, Annales de la société scientifique de Bruxelles, t. XXXI, p. 184 ss.

H. Denzinger, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum.* Editio decima emendata et aucta quam paravit **Cl. Bannwart,** S. J. Friburgi Br., Herder, 1908. In-8, XXVIII-628 p. Pr. 6,25 fr.

Quam utile imo et necessarium studiosis theologiæ sit tale opus hîc exponendum non est. Sed certiores reddere volumus lectores de perfectione qua hæc nova editio præ aliis gaudet. Non solum textus est accuratior, sed multa adjuncta sunt documenta, tum antiquiora tum recentissima, dispositio etiam clarior, et documenta instructa sunt titulis qui brevissimis verbis rem ibi contentam indicant. Ad calcem paginarum fontes magis noti, in quibus, qui voluerit, contextum facile invenire possit, nominantur. Index tum chronologicus, tum systematicus omnino novus et valde accuratus inseritur, annectitur tandem index alphabeticus qui a multis jure dasiderabatur.

*
* *

X. Moisant, *Psychologie de l'incroyant.* Paris, Beauchesne et Cie, 1908. In-16, 340 p. Pr. 3,50 frs.

Dans cette étude, le mot « incroyant » n'est pas pris au sens large où il désignerait tous ceux qui ne sont pas des croyants véritables: dans ce cas, il comprendrait un nombre considérable de types divers et l'analyse psychologique, qu'on en tenterait, n'aboutirait qu'à des conclusions vagues, inutiles ou fausses (p. 331).

L'Auteur étudie, avec le plus grand soin, trois types nettement tranchés d'incrédulité franche: le *railleur,* Voltaire; le *positiviste,* A. Comte; l'*intellectuel,* C. Renouvier. C'est à l'un de ces états d'âme que se réduira la psychologie de tout incroyant proprement dit.

J. Van der Meersch.

P. Lintelo, S. J. *Triduum eucharistique et Instructions sur la Communion quotidienne.* Tournai, Casterman, 1908. In-8, 124 pp. Prix: fr. 0,75.

Nous recommandons cette brochure aux prêtres, qui désirent avoir sous la main des matières d'instructions appropriées aux directions pontificales sur la Communion quotidienne. Ce n'est pas une dissertation théologique, ni un traité pour les prêtres, mais un manuel destiné à leur faciliter l'exposé qu'ils doivent faire au peuple chrétien de la doctrine puisée dans les traités.

*
* *

Dom Eugène Vandeur, O. S. B. *Psaumes d'Evangile. Elévations au Cœur de Jésus.* Roulers, De Meester, 1908. Petit in-8, 148 pp. Prix : 1,25 fr.

Ces *Elévations* sont présentées sous la forme liturgique d'odes sacrées : un fait évangélique est énoncé, le cœur s'émeut et chante, mais pour conduire à l'amour et à l'imitation du Maître. Ces « psaumes » seront médités avec fruit à la visite au Saint Sacrement : ils feront connaître et aimer davantage Jésus et son Sacré-Cœur.

Ouvrages envoyés à la Rédaction des Collationes (1).

Augier E. *Du Tac au Tac.* Paris, Lethielleux (Bruges, Ch. Beyaert) 1908. In-12, IV-204 p., Pr. 1,50 fr.

Bernard R. P., Pass. *Vie abrégée du bienheureux Gabriel de l'Addolorata, profès de la Congr. des Passionistes*, 2e éd. Tournai, Casterman, 1908. In-12, 72 p.

Géron R. P., O. SS. R. *La vérité religieuse* (105 p., 35 cent.).

L'affirmation de Jésus-Christ (250 p., 0,50 cent.).

L'arche du Salut (266 p.).

L'existence de Dieu et le Sentiment religieux (128 p., 40 cent.).

Chez l'auteur, couvent des PP. Rédemptoristes à Mons ou chez M. Féron, libraire, rue de la coupe, Mons.

Konings M., Ord. S. Crucis, *De gratia divina.* Pars prior : *de gratia actuali.* Lovanii, Carolus Peeters, 1907. In-8, 136 p. Pr. 3,00 fr.

Les vaillants *du Séminaire.* Exemples les plus remarquables du courage chrétien et de la fidélité au devoir donnés par des Séminaristes (1790-1908). Grammont, Œuvre de Saint-Charles, 1908. In-12, 302 p., illust. Fr. 0.45.

M. Sérol, *Le besoin et le devoir religieux,* Paris, Beauchesne et Cie, 1908. In-16, 216 p., Pr. 2,50 fr.

Van Noort G., *Tractatus de gratia Christi.* Amstelodami, Van Langenhuysen, 1908. In-8, 216 p. Pr. 3,25.

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris.

—

I

Explica quinam intelligantur nomine « Herodianorum » apud Mt XXII, 16; Mc III, 6; XII, 13 coll. Mc VIII, 15.

II

Explica quo sensu dici possit *Deus est veritas*.

III

Describatur influxus consuetudinis in voluntarium et liberum.

IV

Quomodo dijudicandæ sunt formulæ quædam nonnunquam in certis eventibus adhibitæ: Hoc erat fatum meum; natus sum ad infortunium; immerito tam multa patior; videtur Deus mei oblitus; et similes.

V

Quomodo theoretice judicandum et practice agendum circa formulam gallicam: N. d. D.

VI

Sur quelles raisons s'appuie la théorie du pouvoir indirect de l'Église sur l'État?

ANNALES DE LA SOCIÉTÉ D'ÉMULATION DE BRUGES.

Revue trimestrielle — 6 francs.

SOMMAIRE DU 2e FASC. MAI 1908 :

W. H. James Weale. Les peintres de la famille Benson à Bruges, 1519-1585, p. 151. — L. Ghys. Brugsche gijzelaars naar Duinkerke in 1793. 156. — Bon A. van Zuylen van Nyevelt. Damme. Démolition du transept et des nefs de l'église de Notre-Dame en 1725. 164. — C. Callewaert. Les reliques de Ste Godelive à Ghistelles et leurs authentiques (suite). 181.

Comptes rendus. — A. Havenith. Études sur la région de la basse plaine Flamande (E. Van Cappel). 201. — Paul Parsy. Saint Éloi (C. Callewaert). 201. — C. Tamboryn. Geschiedenis van Elverdinghe (P. Allossery). 207. — Frans van Kalken. La fin du Régime espagnol aux Pays-Bas (Bon A. van Zuylen van Nyevelt). 209. — P. Verhaegen. Journal d'événements divers et remarquables (1767-1797) rédigé par Robert Coppieters (L. Ryelandt). 214. — Vlaamsch Belgie sedert 1830. — IIe deel. Dr Paul Frédericq. Schets eener geschiedenis der Vlaamsche Beweging (E. Van Cappel). 220. — IVe deel. P. Tack. De herleving der Nederlandsche letterkunde sedert 1830 in Vlaamsch-Belgie (C. Gezelle). 221.

Chronique. 223. — Société d'Émulation. — Sociétés savantes et Congrès. — Notes bibliographiques. — Een nieuwgevonden handschrift van « Reinaert de Vos ». — Archives paroissiales. — Nouvelles d'histoire locale. — Furnes. — Nieuport. — Bruges. — Damme. — Wenduyne. — Chronologie médiévale en Flandre. — Nécrologie.

Bibliographie analytique de l'histoire de Flandre (nn. 192 à 418). p. 236.

Précieuses Indulgences accordées par Sa Sainteté Pie X en faveur du Congrès Eucharistique de Londres.

Sur la demande d'un apôtre des Congrès Eucharistiques, Notre Saint Père le Pape Pie X vient d'accorder de très riches indulgences *à tous les catholiques du monde entier* qui s'intéresseront devant Dieu au succès du Congrès Eucharistique de Londres.

C'est d'abord la bénédiction apostolique et une indulgence de 7 ans et 7 quarantaines, chaque fois que l'on priera devant le Très Saint Sacrement, durant cinq minutes pour le succès du Congrès Eucharistique de Londres et pour la conversion de l'Angleterre par la sainte pratique de la communion fréquente et quotidienne; c'est en plus *une indulgence plénière* pour chaque communion que l'on fera à ces mêmes intentions.

De telles faveurs spirituelles sont d'autant plus dignes d'être appréciées que le succès des œuvres surnaturelles dépend avant tout de la prière.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X IN QUINQUAGESIMO NATALI SACERDOTII SUI EXHORTATIO AD CLERUM CATHOLICUM.

PIUS PP. X

DILECTI FILII

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Summa Pontificis sollicitudo

Hærent animo penitus, suntque pœnæ formidinis, quæ gentium Apostolus ad Hebræos scribebat (1), quum illos commonens de obedientiæ officio præpositis debitæ, gravissime affirmabat: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Hæc nimirum sententia si ad omnes pertinet, quotquot in Ecclesia præsunt, at maxime in Nos cadit, qui, licet impares, supremam in ea auctoritatem, Deo dante, obtinemus. Quare noctu atque interdiu sollicitudine affecti, meditari atque eniti non intermittimus quæcumque ad incolumitatem faciant et incrementa dominici gregis. Inter hæc unum præcipue Nos occupat: homines sacri ordinis eos omnino esse, qui pro muneris officio esse debent. Persuasum enim habemus, hac maxime via de religionis statu bene esse lætiusque sperandum. Idcirco, statim ut Pontificatum inivimus, quamquam, universitatem cleri contuentibus, multiplices ejus laudes elucebant, tamen venerabiles fratres catholici orbis Episcopos impensissime hortandos censuimus, ut nihil constantius nihil efficacius agerent, quam ut Christum formarent in iis, qui formando in ceteris Christo rite destinantur. Sacrorum autem Antistitum quæ fuerint in hac re voluntates probe novimus. Novimus qua providentia, qua navitate in excolendo ad virtutem clero

ut debite clerus ad virtutem formetur.

Qua de re statim adhortatus est Episcopos,

qui in hoc officio

(1) XIII, 17.

assidue conituntur.

assidue connituntur: de quo illis non tam laudem impertivisse, quam gratias palam habuisse libet.

Unde plures jam e clero animantur zelo perfectionis, a qua deficiunt alii,

At vero, quum ex hujusmodi Episcoporum curis jam plures e clero gratulamur cælestes concepisse ignes, unde gratiam Dei, ex impositione manuum presbyterii susceptam, vel resuscitarunt vel acuerunt; tum adhuc conquerendum superest, alios quosdam per diversas regiones non ita se probare, ut in ipsos tamquam in speculum, prout dignum est, plebs christiana conjiciens oculos, sumere possit quod imitetur. Ad hos porro cor Nostrum per hasce litteras patere volumus; videlicet ut cor patris, quod in conspectu ægrotantis filii anxia palpitat caritate. Hac igitur suadente, hortationibus Episcoporum hortationes addimus Nostras: quæ, quamvis eo spectent potissimum ut devios torpentesve ad meliora revocent, tamen etiam ceteris admoveant velimus incitamenta. Commonstramus iter quo quisque studiosius in dies contendat ut vere sit, qualem Apostolus nitide expressit, *homo Dei* (1), justæque expectationi Ecclesiæ respondeat. — Nihil plane inauditum vobis aut cuiquam novum dicemus, sed quæ certe commeminisse omnes oportet: spem autem indit Deus, vocem Nostram fructum non exiguum esse habituram. Id equidem flagitamus: *Renovamini... spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis* (2): eritque hoc a vobis in quinquagesimo sacerdotii Nostri natali pulcherrimum acceptissimumque munus. Quumque Nos, *in animo contrito et spiritu humilitatis* (3), exactos in sacerdotio annos recogitabimus Deo; quidquid humani dolendum sit, videbimur quodammodo expiare, admonendo vos et cohortando *ut ambuletis digne Deo per omnia placentes* (4). — Qua tamen in hortatione, non vestras tantum utilitates tuebimur, sed communes etiam catholicarum gentium; quum aliæ ab aliis dissociari nequaquam possint. Etenim non ejusmodi est sacerdos, qui bonus malusve uni sibi esse queat; sed ejus ratio et habitus vitæ sane quantum habet consequentis

ad quos maxime dirigitur paterna hæc adhortatio,

ut fiant vere homines Dei

et induant novum hominem.

Erit hoc in quinquagesimo sacerdotii Pii X natali munus acceptissimum;

unde et bonum commune catholicarum gentium promovebitur.

(1) I Tim. VI, 11.
(2) Ephes. IV, 23, 24.
(3) Dan. III, 39.
(4) Coloss. I, 10.

effectus in populum. Sacerdos reapse bonus ubi est, quale ibi donum et quantum est!

Hinc porro, dilecti filii, hortationis Nostræ exordium capimus, ut vos nimirum ad eam vitæ sanctimoniam, quam dignitatis gradus postulat, excitemus. — Quicumque enim sacerdotio potitur, eo non sibi tantum, sed aliis potitur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum* (1). Idipsum et Christus indicavit, qui ad significandum quo demum actio sacerdotum spectet, eos cum sale itemque cum luce comparatos voluit. Lux ergo mundi, sal terræ, sacerdos est. Neminem sane fugit id præcipue fieri christiana veritate tradenda: at vero quem pariter fugiat, institutionem ejusmodi pro nihilo fere esse, si, quæ sacerdos verbo tradat, exemplo suo non comprobet? Qui audiunt, contumeliose ii quidem, sed non immerito objicient: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (2); doctrinamque respuent, nec sacerdotis fruentur luce. Quam ob rem ipse Christus, factus sacerdotum forma, re primum, mox verbis docuit: *Cœpit Jesus facere, et docere* (3). — Item, sanctimonia posthabita, nihil admodum sacerdos sal terræ esse poterit; corruptum enim et contaminatum integritati minime aptum est conferendæ: unde autem sanctitas abest, ibi corruptionem inesse oportet. Quapropter Christus, eamdem insistens similitudinem, sacerdotes tales sal infatuatum dicit, quod *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras,* atque adeo *conculcetur ab hominibus* (4).

Primum adhortatur ad eam vitæ sanctimoniam, quam dignitas postulat.

Sacerdos non sibi tantum sed aliis sacerdotio potitur, ut sit lux mundi et sal terræ;

sine autem vitæ sanctimonia alios nec doctrina illustrare

nec a corruptione servare poterit,

Quæ quidem eo apertius patent, quod sacerdotali munere haud nostro nos fungimur nomine, sed Christi Jesu. *Sic nos,* inquit Apostolus, *existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (5): *pro Christo ergo legatione fungimur* (6). — Hac nempe de causa Christus ipse, non ad servorum, sed ad amicorum numerum nos adscripsit: *Jam non dicam vos servos... Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi*

Sacerdotali munere fungimur nomine Christi,

qui ideo dixit nos amicos.

---

(1) Hebr. V, 1.
(2) Tit. I, 16.
(3) Act. I, 1.
(4) Matth. V, 13.
(5) I Cor. IV, 1.
(6) II Cor. V, 20.

a Patre meo, nota feci vobis... Elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis (1). — Est igitur nobis persona Christi gerenda: legatio vero ab ipso data sic obeunda, ut quo ille intendit, eo nos pertingamus. Quoniam vero *idem velle idem nolle, ea demum firma amicitia est;* tenemur, ut amici, hoc sentire in nobis, quod et in Christo Jesu, qui est *sanctus, innocens, impollutus* (2): ut legati ab eo, debemus doctrinis ejus ac legi conciliare fidem hominum, easdem nimirum nos ipsi primum servantes: ut potestatis ejus participes ad animos vinculis culparum levandos, conari nos omni studio oportet ne illis implicemur. At maxime ut ministri ejus in præcellentissimo sacrificio, quod perenni virtute pro mundi vita innovatur, debemus ea animi conformatione uti, qua ille ad aram crucis seipsum obtulit hostiam immaculatam Deo. Nam si olim, in specie solummodo ac figura, tanta a sacerdotibus postulabatur sanctitas; ecquid a nobis, quum victima est Christus? *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igni spiritali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit* (3)? Perapte S. Carolus Borromæus, in orationibus ad clerum, sic instabat: « Si » meminissemus, dilectissimi fratres, quanta et quam digna » in manibus nostris posuerit Dominus Deus, quantam » istiusmodi consideratio vim haberet ad nos impellendum » ut vitam ecclesiasticis hominibus dignam duceremus! » Quid non posuit in manu mea Dominus, quando proprium » Filium suum unigenitum, sibi coæternum et coæqualem, » posuit? In manu mea posuit thesauros suos omnes, sa- » cramenta et gratias; posuit animas, quibus illi nihil est » carius, quas sibi ipsi prætulit in amore, quas sanguine » suo redemit: in manu mea posuit cælum, quod et aperire » et claudere ceteris possim... Quomodo ergo adeo ingratus » esse potero tantæ dignationi et dilectioni, ut peccem contra » ipsum? ut illius honorem offendam? ut hoc corpus, quod » suum est, inquinem? ut hanc dignitatem, hanc vitam, ejus » obsequio consecratam, maculem? »

Quare tenemur induere sensa Christi,

et vitam ducere doctrinæ ac legi ejus conformem,

atque ministerio ac maxime præcellentissimo sacrificio dignam,

ut perapte inculcat S. Carolus Borromæus.

---

(1) Joan. XV, 15, 16.
(2) Hebr. VII, 26.
(3) S. Jo. Chrysost. hom. LXXXII in Matth. n. 5.

Ad hanc ipsam vitæ sanctimoniam, de qua juvat paulo fusius dicere, magnis Ecclesia spectat perpetuisque curis. Sacra idcirco Seminaria instituta: ubi, si litteris ac doctrinis imbuendi sunt qui in spem cleri adolescunt, at simul tamen præcipueque ad pietatem omnem a teneris annis sunt conformandi. Subinde vero, dum ipsa candidatos diuturnis intervallis gradatim promovet, nusquam, ut mater sedula, hortationibus de sanctitate assequenda parcit. Jucunda quidem ea sunt ad recolendum. Quum enim primo in sacram militiam cooptavit, voluit nos ea rite profiteri: *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi* (1). Quibus, inquit Hieronymus, monetur *clericus* ut *qui, vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se* exhibeat, *ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino* (2). — Subdiaconis accensendos ipsa quam graviter est allocuta! *Iterum atque iterum considerare debetis attente quod onus hodie ultro appetitis;... quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo... perpetuo famulari, et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit.* Tum denique: *Si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui: si usque nunc somnolenti, amodo vigiles:... si usque nunc inhonesti, amodo casti.... Videte cujus ministerium vobis traditur!* — Diaconatu porro augendis sic per Antistitem a Deo precata est: *Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas et spiritualis observantia disciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat.* — Sed eo acrius movet commonitio initiandis sacerdotio facta: *Cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum ut cælestis sapientia, probi mores et diuturna justitiæ observatio ad id electos commendet... Sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, idest familiam Dei.* Maximeque omnium urget illud gravissime additum: *Imitamini quod tractatis:* quod profecto cum Pauli præcepto congruit: *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu* (3).

Hanc vitæ sanctimoniam perpetuis curis promovet Ecclesia, institutis seminariis,

et hortationibus ad eos qui promoventur ad primam tonsuram,

ad subdiaconatum,

ad diaconatum,

ad presbyteratum.

Talis igitur quum sit mens Ecclesiæ de sacerdotum vita,

(1) Ps. XV, 5.
(2) Ep. LII. ad Nepotianum, n. 5.
(3) Coloss. I, 28.

Patres uno ore recte docent sacerdoti, ratione dignitatis suæ,

mirum nemini esse possit, quod sancti Patres ac Doctores omnes ita de ea re consentiant, ut illos fere nimios quis arbitretur: quos tamen si prudenter æstimemus, nihil eos nisi apprime verum rectumque docuisse judicabimus. Eorum porro sententia hæc summatim est. Tantum scilicet inter sacerdotem et quemlibet probum virum intercedere debet discriminis, quantum inter cælum et terram: ob eamque causam, virtuti sacerdotali cavendum non solum ne gravioribus criminibus sit affinis, sed ne minimis quidem. In quo virorum tam venerabilium judicio Tridentina Synodus stetit, quum monuit clericos ut fugerent *levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent* (1): maxima scilicet, non re ipsa, sed respectu peccantis, in quem, potiore jure quam in templorum ædificia, illud convenit: *Domum tuam decet sanctitudo* (2).

cavendum esse a minimis etiam culpis.

Consistere nequit sanctitas in solis virtutibus quibus aliorum utilitati sese impendunt,

Jam sanctitas ejusmodi, qua sacerdotem carere sit nefas, videndum est in quo sit ponenda: id enim si quis ignoret vel præpostere accipiat, magno certe in discrimine versatur. Equidem sunt qui putent, quin etiam profiteantur, sacerdotis laudem in eo collocandam omnino esse, ut sese aliorum utilitatibus totum impendat: quamobrem, dimissâ fere illarum cura virtutum, quibus homo perficitur ipse (eas ideo vocitant *passivas*), aiunt vim omnem atque studium esse conferenda ut *activas* virtutes quis excolat exerceatque. Hæc sane doctrina mirum quantum fallaciæ habet atque exitii. De eâ Decessor noster fel. rec. sic pro sua sapientia edixit (3): « Christianas... virtutes, alias temporibus aliis accommodatas esse, is solum velit, qui Apostoli verba non meminerit: » *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii* » *sui* (4). Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus » est; ad cujus regulam aptari omnes necesse est, quotquot » avent beatorum sedibus inseri. Jamvero haud mutatur » Christus progredientibus sæculis, sed idem *heri, et hodie:* » *ipse et in sæcula* (5). Ad omnium igitur ætatum homines » pertinet illud: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (6);

sed in iis etiam quibus homo perficitur ipse

ad imaginem Christi,

in humilitate,

(1) Sess. XXII, *de reform.*, c. 1.

(2) Ps. XCII, 5.

(3) Ep. *Testem benevolentiæ*, ad Archiep. Baltimor., 22 jan. 1899 [ap. *Collat. Brug.* t. IV, p. 193].

(4) Rom. VIII, 29.

(5) Hebr. XIII, 8.

(6) Matth. XI, 29.

» nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum* » *obedientem usque ad mortem* (1); valetque quavis ætate Apo- » stoli sententia: *Qui... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt* » *cum vitiis et concupiscentiis* » (2). — Quæ documenta si quidem spectant unumquemque fidelium, propius tamen ad sacerdotes attinent: ipsique præ ceteris dicta sibi habeant quæ idem Decessor Noster apostolico ardore subjecit: « Quas utinam virtutes multo nunc plures sic colerent, ut » homines sanctissimi præteritorum temporum! qui demis- » sione animi, obedientia, abstinentia, *potentes* fuerunt *opere* » *et sermone*, emolumento maximo, nedum religiosæ rei, sed » publicæ ac civilis ». Ubi animadvertere non abs re fuerit, Pontificem prudentissimum jure optimo singularem abstinentiæ mentionem intulisse, quam evangelico verbo dicimus, abnegationem sui. Quippe hoc præsertim capite, dilecti filii, robur et virtus et fructus omnis sacerdotalis muneris continetur: hoc neglecto, exoritur quidquid in moribus sacerdotis possit oculos animosque fidelium offendere. Nam si turpis lucri gratia quis agat, si negotiis sæculi se involvat, si primos appetat accubitus ceterosque despiciat, si carni et sanguini acquiescat, si quærat hominibus placere, si fidat persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; hæc omnia inde fluunt, quod Christi mandatum negligit conditionemque respuit ab ipso latam: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* (3).

obedientia et mortificatione;

imo maxime necessaria, utpote fundamentalis, est abnegatio sui.

Ista Nos quum adeo inculcamus, illud nihilo minus sacerdotem admonemus, non sibi demum soli vivendum sancte: ipse enimvero est operarius, quem Christus *exiit... conducere in vineam suam* (4). Ejus igitur est fallaces herbas evellere, serere utiles, irrigare, tueri ne inimicus homo superseminet zizania. Cavendum propterea sacerdoti ne, inconsulto quodam intimæ perfectionis studio adductus, quidquam prætereat de muneris partibus quæ in aliorum bonum conducant. Cujusmodi sunt verbum Dei nuntiare, confessiones rite excipere, adesse infirmis præsertim morituris, ignaros fidei

Nec ideo omittatur quid de muneris partibus quæ in aliorum bonum conducunt.

(1) Philipp. II, 8.
(2) Gal. V, 24.
(3) Matth. XVI, 24.
(4) Matth. XX, 1.

erudire, solari mœrentes, reducere errantes, usquequaque imitari Christum: *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (1). — Inter hæc vero insigne Pauli monitum sit menti defixum: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus* (2). Liceat quidem euntes et flentes mittere semina; liceat ea labore multo fovere: sed ut germinent edantque optatos fructus, id nempe unius Dei est ejusque præpotentis auxilii. Hoc accedit magnopere considerandum, nihil præterea esse homines nisi instrumenta, quibus ad animorum salutem utitur Deus; ea oportere idcirco ut apta sint quæ a Deo tractentur. Qua sane ratione? Num ullâ putamus vel insita vel parta studio præstantia moveri Deum ut opem adhibeat nostram ad suæ gloriæ amplitudinem? Nequaquam: scriptum est enim: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret* (3). Unum nimirum est quod hominem cum Deo conjungat, unum quod gratum efficiat, atque non indignum ejus misericordiæ administrum: vitæ morumque sanctimonia. Hæc, quæ demum est supereminens Jesu Christi scientia, sacerdoti si desit, desunt ei omnia. Nam, ab ea disjunctæ, ipsa exquisitæ doctrinæ copia (quam Nosmetipsi nitimur in clero provehere), ipsaque agendi dexteritas et sollertia, etiamsi emolumenti aliquid vel Ecclesiæ vel singulis afferre possint, non raro tamen detrimenti iisdem sunt flebilis causa. Sanctimonia vero qui ornetur et affluat, is quam multa possit, vel infimus, mirifice salutaria in populo Dei aggredi et perficere, complura ex omni ætate testimonia loquuntur: præclare, non remotâ memoria, Joannes Bapt. Vianney, animarum in exemplum curator, cui honores Cælitum Beatorum Nosmet decrevisse lætamur. — Sanctitas una nos efficit, quales vocatio divina exposcit: homines videlicet mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus; homines in novitate vitæ ambulantes, qui, ut Paulus monet (4), *in laboribus, in*

In quibus omnis fructus a Deo est.

Homines sunt tantum instrumenta a Deo tractanda;

cum Deo autem conjunguntur per vitæ sanctimoniam,

sine qua nihil,

qua mediante omnia possunt.

Sanctitas una nos efficit quales vocatio divina exposcit.

(1) Act. X, 38.
(2) I Cor. III, 7.
(3) I Cor. I, 27, 28.
(4) II Cor. VI, 5 et seqq.

vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis seipsos exhibeant ut ministros Dei; qui unice in cælestia tendant, et alios eodem adducere omni ope contendant.

Quoniam vero, ut nemo unus ignorat, vitæ sanctitas eatenus fructus est voluntatis nostræ, quoad hæc gratiæ subsidio roboretur a Deo, abunde nobis Deus ipse providit, ne gratiæ munere, si velimus, ullo tempore careamus; idque in primis assequimur studio precandi. — Sane precationem inter et sanctimoniam is necessario intercedit usus, ut altera esse sine altera nullo modo possit. Quocirca consentanea omnino veritati est ea sententia Chrysostomi: *Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cum virtute degere* (1): acuteque Augustinus conclusit: *Vere novit recte vivere, qui recte novit orare* (2). Quæ nobis documenta Christus ipse et crebra hortatione et maxime exemplo suo firmius persuasit. Nempe orandi causâ vel in deserta secedebat, vel montes subibat solus; noctes solidas totus in eo exigebat; templum frequenter adibat; quin etiam, stipantibus turbis, ipse erectis in cælum oculis palam orabat; denique suffixus cruci, medios inter mortis dolores, cum clamore valido et lacrimis supplicavit Patri. — Hoc igitur certum ratumque habeamus, sacerdotem, ut gradum officiumque digne sustineat suum, precandi studio eximie deditum esse oportere. Sæpius quidem dolendum quod ipse ex consuetudine potius id faciat quam ex animi ardore; qui statis horis oscitanter psallat vel pauculas interserat preces, nec deinde ullam de die partem memor tribuat alloquendo Deo, pie sursum adspirans. Sed enim sacerdos multo impensius ceteris paruisse debet Christi præcepto: *Oportet semper orare* (3); cui inhærens Paulus tantopere suadebat: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione* (4): *Sine intermissione orate* (5). Animo quippe sanctimoniæ propriæ æquè ac salutis alienæ cupido quam multæ per diem sese dant occasiones

Vitæ sanctitatem assequimur imprimis studio precandi.

Sine oratione non est sanctitas,

ut docent sancti

et Christi exempla.

Studio precandi sacerdos eminere debet inter omnes,

(1) De precatione, orat. 1.
(2) Hom. IV ex 50.
(3) Luc. XVIII, 1.
(4) Coloss. IV, 2.
(5) I Thess. V, 17.

ob necessitates proprias

ut in Deum feratur! Angores intimi, tentationum vis ac pertinacia, virtutum inopia, remissio ac sterilitas operum, offensiones et negligentiæ creberrimæ, timor demum ad judicia divina; hæc omnia valde incitant ut ploremus coram Domino, ac, præter impetratam opem, bonis ad ipsum meritis facile ditescamus. Neque nostrâ tantummodo ploremus causa oportet. In ea, quæ latius ubique funditur, scelerum colluvione, nobis vel maxime imploranda exorandaque est divina clementia; nobis instandum apud Christum, sub mirabili Sacramento omnis gratiæ benignissime prodigum: *Parce, Domine, parce populo tuo.*

et aliorum scelera.

Meditatio quotidiana,

Illud in hac parte caput est, ut æternarum rerum meditationi certum aliquod spatium quotidie concedatur. Nemo est sacerdos qui possit hoc sine gravi incuriæ nota et animæ detrimento prætermittere. Ad Eugenium III, sibi quondam alumnum, tunc vero romanum Pontificem, Bernardus Abbas sanctissimus scribens, eum libere obnixeque admonebat, ne unquam a quotidiana divinorum meditatione vacaret, nulla admissa excusatione curarum, quas multas et maximas supremus habet apostolatus. Id autem se jure exposcere contendebat, utilitates ejusdem exercitationis ita enumerans prudentissime: *Fontem suum, id est mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat; postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum aut correctione egens. Hæc est quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit; quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est* (1). Quæ quidem magnarum utilitatum summa, quas meditatio parere est nata, nos item docet atque admonet, quam sit illa, non modo in omnem partem salutaris, sed admodum necessaria.

cujus utilitates multiplices enumerat S. Bernardus,

omnino est necessaria:

ne usu sacerdoti vilescant

Quamvis enim varia sacerdotii munia augusta sint et plena venerationis, usu tamen frequentiore fit ut ipsa tractantes non ea plane qua par est religione perpendant. Hinc, sensim

(1) *De Consid.* L. I, c. 7.

defervescente animo, facilis gressus ad socordiam, atque adeo ad fastidium rerum sacerrimarum. Accedit, quod sacerdotem quotidiana consuetudine versari necesse sit quasi *in medio nationis pravæ;* ut sæpe, in pastoralis ipsa caritatis perfunctione, sit sibi pertimescendum ne lateant inferni anguis insidiæ. Quid, quod tam est proclive, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere? Apparet igitur quæ et quanta urgeat necessitas ad æternorum contemplationem quotidie redeundi, ut adversus illecebras mens et voluntas, renovato subinde robore, obfirmentur. — Præterea expedit sacerdoti quadam instrui facilitate assurgendi nitendique in cælestia; qui cælestia sapere, eloqui, suadere omnino debet; qui sic debet vitam suam omnem supra humana instituere, ut, quidquid pro sacro munere agit, secundum Deum agat, instinctu ductuque fidei. Jamvero hunc animi habitum, hanc veluti nativam cum Deo conjunctionem efficit maxime ac tuetur quotidianæ meditationis præsidium; id quod prudenti cuique tam perspicuum est, ut nihil opus sit longius persequi. — Quarum rerum confirmationem petere licet, sane tristem, ex eorum vita sacerdotum, qui divinorum meditationem vel parvi pendunt vel plane fastidiunt. Videas enim homines, in quibus *sensus Christi,* illud tam præstabile bonum, oblanguit; totos ad terrena conversos, vana consectantes, leviora effutientes; sacrosancta obeuntes remisse, gelide, fortasse indigne. Jampridem ipsi, unctionis sacerdotalis recenti charismate perfusi, diligenter parabant ad psallendum animam, ne perinde essent ac qui tentant Deum; opportuna quærebant tempora locaque a strepitu remotiora; divina scrutari sensa studebant; laudabant, gemebant, exsultabant, spiritum effundebant cum Psalte. Nunc vero, quantum mutati ab illis sunt!... — Itemque vix quidquam in ipsis residet de alacri ea pietate quam spirabant erga divina mysteria. Quam dilecta erant olim tabernacula illa! gestiebat animus adesse in circuitu mensæ Domini, et alios ad eam atque alios advocare pios. Ante sacrum quæ mundities, quæ preces desiderantis animæ! tum in ipso agendo quanta erat reverentia, augustis cæremoniis decore suo integris; quam effusæ ex præcordiis gratiæ: feliciterque manabat in populum bonus odor Christi!.. — *Rememoramini,* obsecramus, dilecti filii, *rememora-*

munia augusta,

ut adversus illecebras sæculi sacerdos obfirmetur,

ut vivat vitam fidei et conjunctionis cum Deo.

Ex neglecta meditatione, in nonnullis, oblanguit sensus Christi

et deferbuit pietas erga divina mysteria.

mini... pristinos dies (1): tunc nempe calebat anima, sanctæ meditationis studio enutrita.

Nec se excusent quasi totos se dedant ministerii operibus:

In his autem ipsis, qui *recogitare corde* (2) gravantur vel negligunt, non desunt sane qui consequentem animi sui egestatem non dissimulent, excusentque, id causæ obtendentes, se totos agitationi ministerii dedidisse, in multiplicem aliorum utilitatem. Verum falluntur misere. Nec enim assueti cum Deo colloqui, quum de eo ad homines dicunt vel consilia christianæ vitæ impertiunt, prorsus carent divino afflatu; ut evangelicum verbum videatur in ipsis fere intermortuum. Vox eorum, quantavis prudentiæ vel facundiæ laude clarescat, vocem minime reddit Pastoris boni, quam oves salutariter audiant: strepit enim diffluitque inanis, atque interdum damnosi fecunda exempli, non sine religionis dedecore et offensione bonorum. Nec dissimiliter fit in ceteris partibus actuosæ vitæ: quippe vel nullus inde solidæ utilitatis proventus, vel brevis horæ, consequitur, imbre deficiente cælesti, quem sane devocat uberrimum *oratio humiliantis se* (3). — Quo loco facere quidem non possumus quin eos vehementer doleamus, qui pestiferis novitatibus abrepti, contra hæc sentire non vereantur, impensamque meditando et precando operam quasi perditam arbitrentur. Proh funesta cæcitas! Utinam, secum ipsi probe considerantes, aliquando cognoscerent quorsum evadat neglectus iste contemptusque orandi. Ex eo nimirum germinavit superbia et contumacia; unde nimis amari excrevere fructus, quos paternus animus et commemorare refugit et omnino resecare exoptat. Optatis annuat Deus; qui benigne devios respiciens, tantà in eos copia *spiritum gratiæ et precum* effundat, ut errorem deflentes suum, male desertas vias communi cum gaudio volentes repetant, cautiores persequantur. Item ut olim Apostolo (4), ipse Deus sit Nobis testis, quo modo eos omnes cupiamus in visceribus Jesu Christi!

nam sine colloquio cum Deo hæc parum vel nihil utilitatis solidæ afferunt.

Quam dolendi sunt qui impensam meditando et precando operam quasi perditam arbitrentur;

qui utinam resipiscant!

Illis igitur vobisque omnibus, dilecti filii, alte insideat hortatio Nostra, quæ Christi Domini est: *Videte, vigilate, et*

Audiant

(1) Hebr. X, 32.
(2) Jerem. XII, 11.
(3) Eccli. XXXV, 21.
(4) Philipp. I, 8.

orate (1). Præcipue in pie meditandi studio uniuscujusque elaboret industria: elaboret simul animi fiducia, identidem rogantis: *Domine, doce nos orare* (2). Nec parvi quidem momenti esse nobis ad meditandum debet peculiaris quædam causa; scilicet quam magna vis consilii virtutisque inde profluat, bene utilis ad rectam animarum curam, opus omnium perdifficile. — Cum re cohæret, et est memoratu dignum, Sancti Caroli pastorale alloquium: « Intelligite, » fratres, nil æque ecclesiasticis omnibus viris esse necessa- » rium ac est oratio mentalis, actiones nostras omnes præ- » cedens, concomitans et subsequens: *Psallam*, inquit pro- » pheta, *et intelligam* (3). Si Sacramenta ministras, o frater, » meditare quid facis; si Missam celebras, meditare quid » offers; si psallis, meditare cui et quid loqueris; si animas » regis, meditare quonam sanguine sint lavatæ » (4). Quapropter recte ac jure Ecclesia nos ea davidica sensa iterare frequentes jubet: *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur; voluntas ejus permanet die ac nocte; omnia quæcumque faciet semper prosperabuntur.* — Ad hæc, unum denique instar omnium sit nobile incitamentum. Sacerdos enim, si *alter Christus* vocatur et est communicatione potestatis, nonne talis omnino et fieri et haberi debeat etiam imitatione factorum?... *Summum igitur studium nostrum sit in vita Jesu Christi meditari* (5).

omnes hortationem Pontificis,

considerantes quam utilis sit oratio ad rectam animarum curam, ut exponit. S. Carolus.

Ut alter Christus, sacerdos Christum imitari studeat.

Cum divinarum rerum quotidiana consideratione magni refert ut sacerdos piorum librorum lectionem, eorum in primis qui divinitus inspirati sunt, conjungat assiduus. Sic Paulus mandabat Timotheo: *Attende lectioni* (6). Sic Hieronymus, Nepotianum de vita sacerdotali instituens, id inculcabat: *Nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur:* cujus rei hanc subtexebat causam: *Disce quod doceas: obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere.* Quantum enimvero proficiunt sacerdotes qui constanti hoc præstant assuetudine;

Cum meditatione conjungatur pia lectio

cujus efficacitatem tum in aliorum salute procuranda

(1) Marc. XIII, 33.
(2) Luc. XI, 1.
(3) Ps. c. 2.
(4) Ex orationib. ad clerum.
(5) De imit. Chr. I, 1.
(6) I Tim. IV, 13.

ut sapide prædicant Christum, utque mentes animosque audientium, potius quam emolliant et mulceant, ad meliora impellunt, ad superna erigunt desideria! — Sed alia quoque de causa, atque eâ in rem vestram, dilecti filii, frugifera, præceptio valet ejusdem Hieronymi: *Semper in manu tua sacra sit lectio* (1). Quis enim nesciat maximum esse in amici animum vim cujuspiam amici qui candide moneat, consilio juvet, carpat, excitet, ab errore avocet? *Beatus, qui invenit amicum verum* (2)... *qui autem invenit illum, invenit thesaurum* (3). Jamvero amicos vere fideles adscribere ipsi nobis pios libros debemus. De nostris quippe officiis ac de præscriptis legitimæ disciplinæ graviter commonefaciunt; repressas in animo cælestes voces suscitant; desidiam propositorum castigant; dolosam obturbant tranquillitatem; minus probabiles affectiones, dissimulatas, coarguunt; pericula detegunt, sæpenumero incautis patentia. Hæc autem omnia sic illi tacita cum benevolentia præstant, ut se nobis non modo amicos præbeant, sed amicorum perquam optimos præbeant. Siquidem habemus, quum libeat, quasi lateri adhærentes, intimis necessitatibus nullâ non hora promptos; quorum vox nunquam est acerba, consilium nunquam cupidum, sermo nunquam timidus aut mendax. — Librorum piorum saluberrimam efficacitatem multa quidem eaque insignia declarant exempla; at exemplum profecto eminet Augustini, cujus promeita in Ecclesiam amplissima inde auspicium duxerunt: *Tolle, lege; tolle, lege.... Arripui* (epistolas Pauli apostoli), *aperui et legi in silentio... Quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt* (4). Sed contra heu! sæpius accidit nostra ætate, ut homines e clero tenebris dubitationis sensim offundantur et sæculi obliqua sectentur, eo præsertim quod piis divinisque libris longe alios omne genus atque ephemeridum turbam præoptent, ea quidem scatentia errore blando ac lue. Vobis, dilecti filii, cavete: adultæ provectæque ætati ne fidite, neve sinite spe fraudulenta illudi, ita vos posse aptius communi bono prospicere. Certi custodiantur

tum in propria perfectione amice promovenda

declarant exempla multa.

Lectionibus igitur invigiletur.

(1) Ep. LVIII ad Paulinum. n. 6.
(2) Eccli. XXV, 12.
(3) Ib., VI, 14.
(4) Conf. l. VIII, c. 12.

fines, tum quos Ecclesiæ leges præstituant, tum quos prudentia cernat et caritas sui: nam venena istæc semel quis animo imbiberit, concepti exitii perraro quidem effugiet damna.

His addatur examen conscientiæ

Porro emolumenta, tum a sacra lectione, tum ex ipsa meditatione cælestium quæsita, futura certe sunt sacerdoti uberiora, si argumenti quidpiam accesserit, unde ipsemet dignoscat an lecta et meditata religiose studeat in usu vitæ perficere. Est apposite ad rem egregium quoddam documentum Chrysostomi, sacerdoti præsertim exhibitum. Quotidie sub noctem, antequam somnus obrepat, *excita judicium conscientiæ tuæ, ab ipsa rationem exige, et quæ interdiu mala cepisti consilia.... fodica et dilania, et de eis pœnam sume* (1). Quam rectum id sit ac fructuosum christianæ virtuti, prudentiores pietatis magistri luculenter evincunt, optimis quidem monitis et hortamentis. Præclarum illud referre placet e disciplina Sancti Bernardi: *Integritatis tuæ curiosus explorator, vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias.... Stude cognoscere te.... Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te, tamquam ante alium; et sic te ipsum plange* (2).

quod adeo commendant sancti.

Ne sacerdotes sæcularibus segniores sint.

Etiam in hac parte probrosum vere sit, si Christi dictum eveniat: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis* (3)! Videre licet quanta illi sedulitate sua negotia procurent: quam sæpe data et accepta conferant; quam accurate restricteque rationes subducant; jacturas factas ut doleant, seque ipsi acrius excitent ad sarciendas. Nos vero, quibus fortasse ardet animus ad aucupandos honores, ad rem familiarem augendam, ad captandam præsidio scientiæ prædicationem unice et gloriam; negotium maximum idemque perarduum, sanctimoniæ videlicet adeptionem, languentes, fastidiosi tractamus. Nam vix interdum apud nos colligimus et exploramus animum; qui propterea pæne silvescit, non secus ac vinea pigri, de qua scriptum: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticæ, et operuerunt superficiem ejus spinæ, et macceria lapidum destructa erat* (4). —

(1) Exposit. in Ps. IV, n. 8.
(2) Meditationes piissimæ, c. V, *de quotid. sui ipsius exam.*
(3) Luc. XVI, 8.
(4) Prov. XXIV, 30, 31.

Ingravescit res, crebrescentibus circum exemplis pravis, sacerdotali ipsi virtuti haud minime infestis; ut opus sit vigilantius quotidie incedere ac vehementius obniti. Jam experiendo cognitum est, qui frequentem in se censuram et severam de cogitatis, de dictis, de factis peragat, eum plus valere animo, simul ad odium et fugam mali, simul ad studium et ardorem boni. Neque minus experiendo compertum, quæ incommoda et damna fere accidant declinanti tribunal illud, ubi sedeat judicans justitia, stet rea et ipsum accusans conscientia. In ipso frustra quidem desideres eam agendi circumspectionem, quæ adeo in christiano homine probatur, de minoribus quoque noxis vitandis; eamque verecundiam animi, maxime sacerdotis propriam, ad omnem vel levissimam in Deum offensam expavescentis. Quin immo indiligentia atque neglectus sui nonnunquam eo deterius procedit, ut ipsum negligant pœnitentiæ sacramentum: quo nihil sane opportunius infirmitati humanæ suppeditavit Christus insigni miseratione. — Diffitendum certe non est, acerbeque est deplorandum, non ita raro contingere, ut qui alios a peccando fulminea sacri eloquii vi deterret, nihil tale metuat sibi culpisque obcallescat; qui alios hortatur et incitat ut labes animi ne morentur debita religione detergere, id ipse tam ignave faciat atque etiam diuturno mensium spatio cunctetur; qui aliorum vulneribus oleum et vinum salutare novit infundere, saucius ipse secus viam jaceat, nec medicam fratris manum, eamque fere proximam, providus sibi requirat. Heu quæ passim consecuta sunt hodieque consequuntur, prorsus indigna coram Deo et Ecclesia, perniciosa christianæ multitudini, indecora secerdotali ordini!

Experientia enim patent tum fructus instituti

tum damna neglecti examinis.

Sunt qui alios a peccatis deterrent et sibi ipsi non invigilant.

Hæc Nos, dilecti filii, pro conscientiæ officio quum reputamus, oppletur animus ægritudine, et vox cum gemitu erumpit: Væ sacerdoti, qui suum tenere locum nesciat, et nomen Dei sancti, cui esse sanctus debet, infideliter polluat! Optimorum corruptio, teterrimum: *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant; lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris, de sublimioribus corruisse* (1)! Væ igitur sacerdoti, qui, immemor sui, precandi studium deserit; qui piarum lectio-

Væ sacerdoti qui suum tenere locum nesciat

et, neglectis

(1) S. Hieron. in Ezech. l. XIII, c. 44, v. 30.

num pabulum respuit; qui ad se ipse nunquam regreditur ut accusantis conscientiæ exaudiat voces! Neque crudescentia animi vulnera, neque Ecclesiæ matris ploratus movebunt miserum, donec eæ feriant terribiles minæ: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava: et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum* (1). — Triste ómen, ab unoquoque vestrum, dilecti filii, avertat dives in misericordia, Deus; ipse, qui Nostrum intuetur cor, nulla prorsus in quemquam amaritudine affectum, sed omni pastoris et patris caritate in omnes permotum: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum* (2)?

sanctificationis mediis,

sese exponit minis divinis.

At videtis ipsi, quotquot ubique estis, quænam in tempora, arcano Dei consilio, Ecclesia inciderit. Videte pariter et meditamini quam sanctum officium vos teneat, ut a qua, tanto dignitatis honore donati estis, eidem contendatis adesse et succurrere laboranti. Itaque in clero, si unquam alias, nunc, opus maxime est, virtute non mediocri; in exemplum integra, experrecta, operosa, paratissima demum facere pro Christo et pati fortia. Neque aliud quidquam est quod cupidiore Nos animo precemur et optemus vobis, singulis et universis. — In vobis igitur intemerato semper honore floreat castimonia, nostri ordinis lectissimum ornamentum; cujus nitore sacerdos, ut adsimilis efficitur angelis, sic in christiana plebe venerabilior præstat sanctisque fructibus fecundior. — Vigeat perpetuis auctibus, reverentia et obedientia, iis, sollemni ritu promissa, quos divinus Spiritus, rectores constituit Ecclesiæ: præcipue, in obsequio huic Sedi Apostolicæ justissime debito, mentes animique, arctioribus quotidie fidelitatis nexibus devinciantur. — Excellatque in omnibus caritas, nullo modo quærens quæ sua sunt: ut, stimulis qui humanitus urgent invidæ contentionis cupidæve ambitionis cohibitis, vestra omnium studia, ad incrementa divinæ gloriæ, fraterna æmulatione conspirent. Vestræ beneficia caritatis *multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum,* quam miserrima, expectat; vel maxime expectant densi adolescentum greges, civitatis et religionis

Nostro tempore magis quam aliàs opus est virtute non mediocri.

Vigeant ergo in clero castimonia

obedientia

caritas.

(1) Is. VI, 10.
(2) I Thess. II, 19.

spes carissima, fallaciis undique cincti et corruptelis. Studete alacres, non modo sacra catechesi impertienda, quod rursus enixiusque commendamus, sed, omni quacumque liceat ope consilii et sollertiæ, bene optimeque mereri de omnibus. Sublevando, tutando, medendo, pacificando, hoc demum velitis ac propemodum sitiatis, lucrari vel obstringere animas Christo. Ab inimicis ejus heu quam impigre, quam laboriose, quam non trepide agitur instatur, exitio animarum immenso! — Ob hanc potissime caritatis laudem Ecclesia catholica gaudet et gloriatur in clero suo, christianam pacem evangelizante, salutem atque humanitatem afferente, ad gentes usque barbaras: ubi ex magnis ejus laboribus, profuso nonnunquam sanguine consecratis, Christi regnum latius in dies profertur, et fides sancta enitet novis palmis augustior. — Quod si, dilecti filii, effusæ caritatis vestræ officiis simultas, convicium, calumnia, ut persæpe fit, responderit, nolite ideo tristitiæ succumbere, *nolite deficere bene facientes* (1). Ante oculos obversentur illorum agmina, numero meritisque insignia, qui per Apostolorum exempla, in contumeliis pro Christi nomine asperrimis, *ibant gaudentes, maledicti benedicebant.* Nempe filii sumus fratresque Sanctorum, quorum nomina splendent in libro vitæ, quorum laudes nuntiat Ecclesia: *Non inferamus crimen gloriæ nostræ* (2)!

In charitate maxime gloriatur Ecclesia.

Ab ea non desistamus ob convicia et calumnias.

Instaurato et aucto in ordinibus cleri spiritu gratiæ sacerdotalis, multo quidem efficacius valebunt Nostra, Deo adspirante, proposita ad cetera, quæcumque late sunt, instauranda. — Quapropter ad ea quæ supra exposuimus, certa quædam adjicere visum est, tamquam subsidia eidem gratiæ custodiendæ et alendæ opportuna. Est primum, quod nemini sane non cognitum et probatum, sed non item omnibus re ipsa exploratum est, pius animæ recessus ad Exercitia, quæ vocant, spiritualia; annuus, si fieri possit, vel apud se singulatim, vel potius unâ cum aliis, unde largior esse fructus consuevit; salvis Episcoporum præscriptis. Hujus instituti utilitates jam Ipsi satis laudavimus, quum nonnulla in eodem genere ad cleri romani disciplinam pertinentia ediximus (3). — Nec minus deinde proficiet animis, si consimilis

Quædam subsidia gratiæ sacerdotalis servandæ commendantur:

recessus annuus

(1) II. Thess. III, 13.
(2) I. Mach. IX, 10.
(3) Ep. *Experiendo* ad Card. in Urbe Vicarium, 27 dec. 1904.

recessus, ad paucas horas, menstruus, vel privatim vel communiter habeatur: quem morem libentes videmus pluribus jam locis inductum, ipsis Episcopis faventibus, atque interdum præsidentibus cœtui. — Aliud præterea cordi est commendare: adstrictiorem quamdam sacerdotum, ut fratres addecet, inter se conjunctionem, quam episcopalis auctoritas firmet ac moderetur. Id sane commendabile, quod in societatem coalescant ad mutuam opem in adversis parandam, ad nominis et munerum integritatem contra hostiles astus tuendam, ad alias istiusmodi causas. At pluris profecto interest, consociationem eos inire ad facultatem doctrinæ sacræ excolendam, in primisque ad sanctum vocationis propositum impensiore cura retinendum, ad animarum provehendas rationes, consiliis viribusque collatis. Testantur Ecclesiæ annales, quibus temporibus sacerdotes passim in communem quamdam vitam conveniebant, quam bonis fructibus id genus societas abundarit. Tale aliquid quidni in hanc ipsam ætatem, congruenter quidem locis et muniis, revocari queat? pristini etiam fructus, in gaudium Ecclesiæ, nonne sint recte sperandi? — Nec vero desunt instituti similis societates, sacrorum Antistitum comprobatione auctæ; eo utiliores, quo quis maturius, sub ipsa sacerdotii initia, amplectatur. Nosmetipsi unam quamdam, bene aptam experti, fovimus in episcopali munere; eamdem etiamnum aliasque singulari benevolentia prosequimur. — Ista sacerdotalis gratiæ adjumenta, eaque item quæ vigil Episcoporum prudentia pro rerum opportunitate suggerat, vos, dilecti filii, sic æstimate, sic adhibete, ut magis in dies magisque *digne ambuletis vocatione qua vocati estis* (1), ministerium vestrum honorificantes, et perficientes in vobis Dei voluntatem, quæ nempe est *sanctificatio vestra*.

recollectio menstrua,

sacerdotum associationes

maxime ad vitæ sanctimoniam promovendam.

Huc enimvero feruntur præcipuæ cogitationes curæque Nostræ: propterea sublatis in cælum oculis, supplices Christi Domini voces super universum clerum frequenter iteramus: *Pater sancte... sanctifica eos* (2). In qua pietate lætamur permultos ex omni fidelium ordine Nobiscum comprecantes habere, de communi vestro et Ecclesiæ bono vehementer

Sanctificationem cleri enixis precibus efflagitant Pontifex et multi fideles

(1) Ephes. IV, 1.
(2) Joan. XVII, 11, 17.

quorum haud pauci ob hanc causam victimas Deo votivas sese exhibent.

sollicitos: quin etiam jucundum accidit, haud paucas esse generosioris virtutis animas, non solum in sacratis septis, sed in media ipsa sæculi consuetudine, quæ ob eamdem causam sese victimas Deo votivas non intermissa contentione exhibeant. Puras eximiasque eorum preces in odorem suavitatis summus Deus accipiat, neque humillimas abnuat preces Nostras. Faveat, exoramus, clemens idem et providus: atque e sanctissimo dilecti Filii sui Corde divitias gratiæ, caritatis, virtutis omnis universum in clerum largiatur. — Postremo, libet gratam ex animo vicem referre vobis, dilecti filii, de votis faustitatis quæ, appetente sacerdotii Nostri natali quinquagesimo, multiplici pietate obtulistis: votaque pro vobis Nostra, quo cumulatius eveniant, magnæ Virgini Matri concredita volumus, Apostolorum Reginæ. Hæc etenim illas sacri ordinis felices primitias exemplo suo edocuit quemadmodum perseverarent unanimes in oratione, donec induerentur superna virtute: eamdemque ipsis virtutem multo sane ampliorem sua deprecatione impetravit, consilio auxit et communivit, ad fertilitatem laborum lætissimam. — Optamus interea, dilecti filii, ut pax Christi exultet in cordibus vestris cum gaudio Spiritus Sancti; auspice Apostolica Benedictione, quam vobis omnibus peramanti voluntate impertimus.

Grates refert Pontifex pro votis faustitatis ipsi oblatis et vota sua rependit, eaque B. Mariæ Virgini commendat.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die IV Augusti anno MCMVIII, Pontificatus Nostri ineunte sexto.

PIUS PP. X.

ORDONNANCE
de Sa Grandeur Mgr Waffelaert
ÉVÊQUE DE BRUGES
portant jugement canonique sur la guérison miraculeuse de Pierre De Rudder.

Nous, GUSTAVE-JOSEPH WAFFELAERT, Docteur en théologie, par la grâce de Dieu et du Saint-Siège Apostolique, évêque de Bruges;

Attendu que la guérison de notre diocésain Pierre De Rudder, de Jabbeke, atteint d'une fracture complète et compliquée de la jambe gauche, est communément attribuée à l'intercession de Notre-Dame de Lourdes vénérée à Oostacker-lez-Gand;

Attendu que le Saint Concile de Trente, dans sa session XXV, § *De invocatione, veneratione, et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus,* concède aux évêques le pouvoir de reconnaître et d'approuver de nouveaux miracles, en vue de diriger et de promouvoir la piété des fidèles;

Attendu qu'en conséquence une Commission (1) a été instituée par acte du 15 Novembre 1907 pour informer canoniquement sur le fait dont il s'agit;

---

(1) Cette commission est ainsi composée:

Juge délégué: M. le Chanoine Van den Berghe, J. C. D., Vicaire général.

Assesseurs: M. le Chanoine De Schrevel, S. Th. L., Secrétaire de l'Évêché;
M. le Chanoine Callewaert, J. C. L., Président du Grand Séminaire.

Promoteur fiscal: M. le Chanoine De Smet, S. Th. L., Professeur au Grand Séminaire.

Promoteur de la cause: M. l'Abbé De Meester, J. C. L., Professeur au Grand Séminaire.

Secrétaire: M. l'abbé De Schepper, J. C. B., Professeur au Grand Séminaire.

Attendu que cette commission a poursuivi ses travaux d'enquête pendant neuf mois, procédant d'après les formes de droit, dans cinq séances solennelles et plusieurs descentes sur les lieux, à l'audition de nombreux témoins encore en vie, et recueillant les dépositions des témoins décédés et tous autres documents obtenus dans une série d'enquêtes et d'études antérieures (1);

Vu les déclarations de plusieurs médecins traitants, spécialement celles du docteur Van Hoestenberghe, médecin de Stalhille, faites au cours des enquêtes antérieures et confirmées sous la foi du serment devant la Commission, d'où il appert que ce praticien a plusieurs fois examiné le malade, que son dernier examen date de moins de quatre mois avant la guérison, et qu'il a jugé le cas sans ressources, d'accord avec les autres médecins traitants, notamment avec le Dr Verriest, un confrère de Bruges, qui a infructueusement donné ses soins au malade, moins de trois mois avant la guérison;

Vu les attestations de nombreux témoins immédiats, jurés, déposant sur un fait de constatation facile, reconnus sincères et bien informés;

Vu que ces attestations fréquemment répétées et maintenues sans changement notable sont indépendantes et sont concordantes entre elles comme avec les constatations des médecins et qu'elles restent concordantes après que ceux-ci ont abandonné le malade;

Vu que ces témoignages, qu'aucune contradiction n'a infirmés, décrivent d'une façon précise l'état du malade pendant les derniers mois, pendant les derniers jours avant le 7 Avril 1875 et jusqu'au matin de la guérison;

Vu les déclarations antérieures du patient lui-même, décédé le 22 Mars 1898, de sa femme, décédée le 15 Avril 1904 et d'autres témoins oculaires défunts interrogés précédemment;

Nous avons reconnu l'exactitude des faits suivants :

1° Le 16 Février 1867, Pierre De Rudder de Jabbeke eut la jambe gauche écrasée par la chute d'un arbre. D'après les constatations des médecins et d'autres témoins, les deux os étaient fracturés au niveau de l'union du tiers supérieur

(1) Le dossier complet est déposé aux archives de l'Évêché de Bruges.

avec les deux tiers inférieurs. La fracture était complète; elle se compliqua d'une ulcération purulente et gangréneuse; entre les fragments il y avait un écart de plusieurs centimètres. Les extrémités étaient nécrosées et dépouillées de leur périoste. Une autre plaie gangréneuse se forma au dos du pied. Cette fracture fut rebelle à toute tentative de consolidation.

Aussi Pierre De Rudder refusant de se soumettre à l'amputation fut abandonné des médecins. Pendant les derniers mois, aucun traitement adéquat ne fut institué, aucun appareil d'immobilisation ne fut appliqué.

2° Cet état s'est maintenu sans amélioration appréciable pendant à peu près huit ans, jusques et y compris le 7 Avril 1875, jour où le malade entreprit un pélerinage au sanctuaire de Notre-Dame de Lourdes à Oostacker-lez-Gand, et y fut guéri.

3° La guérison a été instantanée et entière. Les fonctions normales de la jambe, sur laquelle le patient n'avait plus appuyé pendant huit ans, furent complètement et instantanément rétablies. Les plaies s'étaient subitement fermées; deux cicatrices bien formées en indiquaient la place: l'une linéaire sous le genou, l'autre plus large au dos du pied. Toute suppuration avait cessé. La consolidation osseuse s'était opérée sans formation de cal, sans raccourcissement, sans déviation de l'axe verticale de la jambe. La surface interne du tibia était entièrement lisse, seule une dépression à la crête de cet os prouvait l'existence antérieure de la fracture. Ces constatations ont été faites le jour même par de nombreux témoins; le lendemain et le surlendemain par les médecins qui avaient traité le malade.

Pierre De Rudder vécut encore 23 ans après sa guérison.

L'examen médical de la jambe de Pierre De Rudder, fait de son vivant, concorde parfaitement avec l'examen des os qu'on a fait après l'exhumation de De Rudder, mort le 22 Mars 1898. On y voit en effet la marque ineffaçable de la lésion préexistante.

Pour conclure;

Considérant que l'explication naturelle de la guérison instantanée d'une lésion organique aussi grave est impossible, parce que le travail biologique de la régénération des

tissus nouveaux, nécessaires à la consolidation d'une fracture, exige absolument un certain laps de temps appréciable;

Considérant ~~que pour le~~ même motif il est impossible d'expliquer par les seules forces de la nature la cicatrisation instantanée d'une ulcération profonde et gangréneuse;

Considérant que cette explication naturelle est d'autant plus impossible qu'il s'agit dans le cas d'une fracture vieille de huit ans, complète et compliquée, avec écartement considérable des fragments, qui s'est guéri avec rétablissement instantané et durable de la fonction du membre, sans cal, sans raccourcissement, sans déviation, alors qu'aucune immobilisation de la jambe n'avait été faite;

Considérant que de nombreux médecins et hommes de sciences, notamment tous ceux qui ont procédé précédemment à des enquêtes sur place, ont reconnu le caractère miraculeux du fait;

Ayant pris l'avis des médecins consulteurs;

Ouï les conclusions conformes du rapport de la commission canonique d'enquête;

Conformément au vote unanime des membres de cette commission;

Concluant que cette guérison présente tous les signes d'un fait surnaturel et miraculeux;

Le Saint Nom de Dieu invoqué;

En vertu de l'autorité qui nous est dévolue en ces matières par le Saint Concile de Trente;

Soumettant toutefois notre jugement, au jugement du Saint Siège Apostolique;

Nous jugeons et déclarons que la guérison de Pierre De Rudder survenue à Oostacker le 7 Avril 1875 est miraculeuse et doit être attribuée à une intervention spéciale de Dieu obtenue par l'intercession de la Très Sainte Vierge Marie.

Donné à Bruges, sous notre seing, le sceau de nos armes et le contre-seing du secrétaire de notre Évêché, en l'an de grâce 1908, le samedi 25 Juillet.

† G. J., Évêque de Bruges.

Par mandement de Mgr l'Évêque,
A. C. De Schrevel, Chan.-Secrét.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Explica, attento maxime Mt XIII, 10-17; Mc IV, 10-12 et Lc VIII, 9-10 cur Christus parabolico dicendi genere frequenter usus sit.*

R. Christus parabolico dicendi genere frequenter (cf. Resp. I mensis præc., p. 496) usus est ob varias causas, quæ ad tres sequentes reduci possunt (1):

1° *Ut ingenio populi Judæi se accommodans, populum rudem et incultum aptissime doceret.* — Notum est, et vel ex sola Veteris Testamenti Scriptura patet, populos Orientales in genere, et in specie populum Hebræum stylo figurato multum esse delectatos, atque in dies delectari. Hanc sermonis formam ad populum rudem et incultum docendum esse aptissimam, neminem latet et quotidiana experientia comprobatur. Veritates enim sublimiores sub involucro rerum sensibilium propositæ, facilius et jucundius irrepunt in animos audientium, memoriæ tenacius inhærent et corda efficacius movent. Inter figuratos autem dicendi modos nullus ad docendas veritates religiosas aptior est quam *parabola,* cùm factum in eâ propositum, in rerum natura vel in vita quotidiana contingere soleat (2).

2° *Quia hæc parabolica prædicandi ratio erat prædicta in Vetere Testamento.* Cf. *Mt* XIII, 34 s. « Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: et sine para-

(1) Cf. F. Ceulemans, *Commentarius in Evangelium secundum Matthæum,* Mechliniæ 1900, p. 169 ss.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* Resp. I mens. præc., p. 497.

bolis non loquebatur eis: ut impleretur quod dictum erat per Prophetam (1) dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. » Hæc verba desumpta sunt e Ps. LXXVII, 2, in quo auctor fata populi Israelitici enarrat a tempore exitus de Ægypto usque ad Davidem. Carmen suum vocat parabolam (hebr. *Maschal*) sensu lato, quia nempe ab historia antiqua velut a similitudine docet quid expectet Israelitas præsentes. Jamvero, teste evangelista, hic modus psalmistæ docendi per similitudines erat typus methodi parabolicæ a Christo adhibendæ.

3° *Specialis ratio, ob quam Christus in parabolis de indole et efficacia « regni cœlorum » locutus fuerit, explicatur* ab ipso Christo apud *Mt* XIII, 11-15, apud *Mc* IV, 11-12 et apud *Lc* VIII, 10. At vero verba Christi evangelistæ libere recitarunt, ità ut certo dici nequeat quænam præcise verba Christus adhibuerit (2).

a/ Apud Mt XIII, 10 ss. Christus quæstioni discipulorum: « Quare in parabolis loqueris eis? » respondet: « Quia vobis (discipulis) datum est nosse mysteria regni cœlorum (recondita hactenus Dei consilia de regno Messianico): illis autem (sc. incredulis Judæis) non est datum... Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes (corporaliter) non vident (spiritualiter), et audientes (narrationem parabolæ) non audiunt neque intelligunt (internum comparationis sensum). » — Multi auctores hæc Christi verba explicant hoc modo: increduli Judæi voluntaria cæcitate ac surditate præcedente se indignos reddiderunt, qui claram deinceps doctrinæ propositionem audirent. Nempe quia noluerunt credere

---

(1) Codex Sin. et nonnulli minusculi græci legunt: *per Isaiam prophetam,* cui lectioni favet Tischendorf. Verùm hæc varians lectio ob infirmam attestationem externam non videtur genuina.

(2) Cf. A. Camerlynck et H. Coppieters, *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam Synopsis cum Introductione de Quæstione synoptica et Appendice de harmonia quatuor Evangeliorum,* Brugis, Beyaert, 1908, p 45 s.

antea, ideo in pœnam præcedentis incredulitatis, Christus eos alloquitur in parabolis, quarum sensum spiritualem non intelligent.

b/ Apud Mc et Lc Christus ipse aliquo modo intendit obcæcationem Judæorum. *Mc* IV, 12: « ut videntes videant et non videant: et audientes audiant, et non intelligant ». *Lc* VIII, 10[b]: « ut videntes non videant, et audientes non intelligant ». Christus, pariter in pœnam præcedentis incredulitatis subtrahit claram doctrinæ expositionem male dispositis (1), et ideo ut eas non intelligant, parabolas proponit.

Plures auctores (2) tamen, arguentes ex ipsa methodo parabolica quæ, uti vidimus, est clara, familiaris et apta omninò ad populi attentionem excitandam, negant Christum methodo sua parabolica voluisse in pœnam præcedentis incredulitatis clariorem doctrinæ messianicæ prædicationem subtrahere eamque obcæcationem populi permisisse (Mt), vel etiam aliquo modo intendisse (Mc et Lc). Voluerit Christus se accommodare *omnium* auditorum captui et dispositioni. Nempe illa « mysteria » regni cœlorum seu regni Messianici præcipue discipulis erant destinata, quibus datum erat ea « nosse » seu intelligere eorum intimum sensum, adjuvante facili methodo parabolica. Hæ parabolæ obviæ pariter destinatæ erant incredulis Pharisæis et Scribis, necnon plebi ad credendum male dispositæ propter inveterata præjudicia. Christus enim nihilominus illorum captui se accommodat: proponit suas parabolas « quia » hoc modo vident et audiunt saltem aliquid de regno Messianico, et ad penitius inquirendum excitantur, quamvis intimam parabolarum adeoque regni rationem non capiant; vel, cum Mc et Lc, « ut » hac methodo saltem aliquid intelligant de regno cœlorum,

(1) Uti aiunt theologi: subtrahit gratias uberiores, efficaces, relicta semper gratia sufficiente.

(2) Inter quos P. Rose, *Études sur les Évangiles*, Paris 1904, p. 111.

et non percipiant intimam regni indolem, data utique prava eorum dispositione.

Hæc sententia, quamvis particula « ut » apud Mc et Lc aliquam difficultatem facescat, nobis haud improbabilis apparet (1).

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Solvatur hæc difficultas:* Si admittitur ut possibilis series infinita entium causatorum, unumquodque ens habet rationem sufficientem sui in præcedenti et in hac serie non est inveniendum primum ens; atqui si in hac serie invenitur ratio sufficiens uniuscujusque entis non est admittendum aliud ens, extra hanc seriem, quod esset causa incausata, nempe Deus; ergo si admittitur ut possibilis series infinita entium causatorum nequit Dei existentia demonstrari ex processu rerum e suis causis efficientibus; jamvero videtur admittenda tamquam possibilis series infinita entium causatorum; ergo.

R. 1. Negatur antecedens pro eo quod asserit *in serie entium causatorum* unumquodque habere rationem *sufficientem* sui in præcedenti. Agitur enim de ratione *vere* et *adæquate sufficienti* (2) *existentiæ* uniuscujusque entis causati. Porro supponamus in illa serie ens causatum A: in tantum hoc exsistit actu in quantum causatum fuit ab ente B; sed hæc causa (quum sit ejusdem rationis seu causa univoca cum A) etiam in tantum exstitit et consequenter in tantum potuit producere A in quantum et ipsa fuit causata ab ente C; hæc causa iterum in tantum exstitit et consequenter in tantum potuit immediate producere B et mediate producere A

(1) ROSE, *l. c.* ostendit quomodo prophetia Isaiæ apud *Mt* XIII, 14-15 allegata huic interpretationi non contradicat.

(2) Non est distinguendum inter causam inadæquate et causam adæquate sufficientem: causa sufficiens est causa vere, simpliciter, adæquate sufficiens illius effectus cujus dicitur causa.

in quantum et ipsa fuit causata ab ente D... Igitur in tali serie unumquodque ens productum non habet rationem sui, h. e. suæ actualis existentiæ, in ente præcedenti, quum hoc jam supponatur causatum ab alio, sine quo non exstitisset; in hac serie, quantumcumque hæc protrahatur, remanet semper eadem *insufficientia*. Oportet igitur ut extra et supra hanc seriem inveniatur aliquod ens, alterius ordinis, non causatum sed causa seriei entium causatorum.

*
* *

Animadvertamus, ad ulteriorem responsionis explicationem, actionem causæ secundæ (creatæ) generantis terminari formaliter ad ipsum *fieri* geniti, et non ad ipsum *esse* ejusdem: hujus asserti veritatem perspiciet qui considerat hominem natum in *existentia permanere* absque actuali influxu genitorum. Audiamus S. Thomam:

« Omnis... effectus dependet a sua causa, secundum quod est causa ejus. Sed considerandum est quod aliquod agens est causa sui effectus secundum *fieri* tantum et non directe secundum *esse* ejus: quod quidem convenit et in artificialibus et in rebus naturalibus. Ædificator enim est causa domus quantum ad ejus fieri, non autem directe quantum ad esse ejus. Manifestum est enim quod esse domus consequitur formam ejus: forma autem domus est compositio et ordo: quæ quidem forma consequitur naturalem virtutem quarumdam rerum. Sicut enim coquus coquit cibum adhibendo aliquam virtutem naturalem activam, scilicet ignis; ita ædificator facit domum adhibendo cæmentum, lapides et ligna quæ sunt susceptiva et conservativa talis compositionis et ordinis. Unde *esse* domus dependet ex naturis horum rerum, sicut *fieri* domus dependet ex actione ædificatoris. Et simili ratione est considerandum in rebus naturalibus; quia si aliquod agens non est causa formæ in quantum hujusmodi, non erit per se causa *esse* quod consequitur ad talem formam, sed erit causa effectus secundum *fieri* tantum. Manifestum est autem quod si aliqua duo sunt ejusdem speciei, unum non potest esse per se causa formæ alterius inquantum est

talis forma, quia sic esset causa formæ propriæ, cum sit eadem ratio utriusque; sed potest esse causa hujusmodi formæ secundum quod est in materia, id est *quod hæc materia acquirat hanc formam* (sc. generans actione sua facit ut hæc materia acquirat hanc formam), et hoc est esse causam secundum *fieri*, sicut cum homo generat hominem » (1).

2. Ad secundi syllogismi minorem quæ sic effertur: *videtur admittenda tamquam possibilis series infinita entium causatorum*, respondeo *transeat*. De hac enim possibilitate disputatur inter philosophos (2); sive autem illa possibilitas affirmetur, sive negetur, solvitur difficultas allata, ut ex supra dictis constat.

Censemus tamen impossibilem esse *multitudinem* entium *actu* infinitam: a/ repugnat *numerus infinitus;* est enim numerus: multitudo mensurata per unum (3); porro omnis numerus determinatur ac finitur per ultimam unitatem, quum constet ex additione unitatum.

b/ Licet quidam philosophi, docentes quidem numerum infinitum repugnare, teneant tamen ut possibilem multitudinem entium actu infinitam, quæ non esset numerabilis, huic assertioni non adhæremus: nam omnis multitudo respondere debet alicui numero, sive prædiramentali, sive transcendentali (4): nam *multitudo*, in formali sua ratione, mutatur si unum adjungitur vel tollitur ex illis quæ constituunt multitudinem: igitur de essentia multitudinis, qua talis, est ut respondeat numero: quum autem numerus infinitus repugnet, ideo impossibilis est multitudo entium actu infinita.

Plures aliæ quæstiones, cum præcedenti connexæ, hîc occurrere menti possint; sed ab illis indicandis abstinemus, quum longiorem exigerent expositionem,

---

(1) I, Q. CIV, a. 1.

(2) De statu controversiæ cf. T. Pesch, *Institutiones philosophiæ naturalis*, Friburgi Br., 1880, n. 406 ss.

(3) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 208.

(4) Cf. ibid.

quæ cæteroquin non requiritur ad solvendam difficultatem a nobis propositam (1).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Accurate expone divisionem voluntarii in voluntarium* actuale, virtuale *et* habituale.

R. Voluntarium (2) *actuale* dicitur illud quod procedit a voluntate hic et nunc *actu* influente, sive eliciat actum proprium (voluntarium *elicitum*) sive imperet actum alterius potentiæ (voluntarium *imperatum*).

Nota voluntarium actuale non esse idem ac voluntarium *explicitum:* potest enim esse *implicitum*, ut patet in exemplo sacerdotis, qui, non expresse cogitans de recitatione officii, sumit de more Breviarium ut Horas recitet. Habet voluntatem actualem recitandi officium, non tamen explicitam seu in actu signato, sed implicitam seu in actu exercito: np. in actu exercito seu posito sumendi Breviarium continetur voluntas orandi actualis.

Voluntarium *virtuale* dicitur quod fit vi seu *virtute* voluntarii actualis prius habiti et moraliter perseverantis. Operatio videlicet procedit vere ab intentione (3) antea elicita, quæ tametsi secundum se actu non maneat, et sic distinguitur a voluntario actuali, remanet tamen in aliquo suo effectu seu virtute, ratione cujus pergit influere in opus quod nunc fit. Sic operarius mane pergit ad laborandum ut familiam alere possit:

---

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. VII, a. 7; Capreolus, in I, dist. XLIII et XLIV, a. 2; Ferrariensis, *in Summam contra Gentiles*, L. II, c. 81; Cajetanus, in I, Q. VII, a. 4; — Palmieri, *Institutiones philosophicæ*, Romæ, 1874, Vol. I, p. 504 ss., et Vol. III, p. 176 ss; T. Pesch, o. c., l. c.; præsertim Mattiussi, *Fisica razionale* (manoscritto), Milano, 1896, P. I, p. 95 ss., ubi tota quæstio complete ac dilucide proponitur.

(2) Notionem *voluntarii* exposuimus apud Collat. Brug., t. VII, p. 80.

(3) *Intentio* est proprie actus voluntatis. Cf. S. Th. 1-2, q. 12, a. 1.

dum postea actu laborat, non semper actu recordatur familiæ alendæ ; prior tamen intentio virtute influit et ad operandum movet, ita ut si sciret non esse amplius alendam familiam, ab operando procul dubio desisteret (1).

In quo consistat illa vis seu *virtus* relicta ex præterita intentione, quæ, ea mediante, pergit in opus influere, ita ut hoc dicatur et sit virtualiter voluntarium, diversimode explicant theologi, ut notat BOUQUILLON (2), qui addit hanc regulam practicam : « Quidquid sit de hac quæstione speculativa, consentiunt omnes, voluntatem prius elicitam tamdiu influere, quamdiu agens sui compos et humano modo operans, etsi nihil de intentione priore cogitet, tamen sit in ea animi dispositione ut reflectens supra se, vel interrogatus quid aut quare agat, statim alleget suam priorem intentionem, et respondeat : hoc facio propter illud ».

Voluntarium *habituale* dicitur illud cujus voluntas fuit olim habita et non fuit retractata, quæ voluntas neque actu neque virtute adhuc influit. Ex hac notione patet improprie illud dici voluntarium, cum nullo modo procedat a voluntate, sensu causali, et melius dici volitum seu voluntarium sensu objectivo, quatenus np. est objectum voluntatis olim elicitæ et non retractatæ.

Auctores generatim hic addunt voluntarium *interpretativum*, ut vocant, quod tamen proprie neque voluntarium neque volitum dici potest. Est enim illud cujus voluntatem quispiam nec habet nec habuit, sed attenta præsenti sua dispositione, haberet, si forte de eo cogitaret (3). Interdum vocatur voluntarium habituale implicitum.

Adverte juxta hanc divisionem voluntarii varie distingui actum voluntatis qui dicitur *intentio :* np. haberi

---

(1) Cf. SCHIFFINI, *Disputationes philosophiæ moralis,* t. I (Taurini, 1891), n. 43.

(2) *Theologia moralis fundamentalis,* nota p. 596 in ed. 2ª, p. 623 in ed. 3ª. Cf. SCHIFFINI, *l. cit.*

(3) SCHIFFINI, *l. cit.; Theol. Mechlin., Tract. de actibus humanis,* n. 5.

potest intentio *actualis* et *virtualis*, intentio *habitualis explicita* et *implicita* (1).

H. MAHIEU.

IV

Q. *Indicentur quædam practice attendenda in docenda e suggestu materia de Blasphemia.*

R. Quæstionem hanc non immerito agitari ex pluribus apparet. *Imprimis* quidem nemo non quotidie experitur notionem quam habent plerique fideles naturæ et malitiæ blasphemiæ non parum esse perversam. Nonne enim multi blasphemiam quasi æquiparant *formulæ* cuidam plus minusve acute *sonanti,* et eo majorem habent quo magis sonat? Unde mirum hoc contingit varias formulas, quibus *nulla significatio* inest, et consequenter qua formulis (2) nulla blasphemia inesse potest (cogita formulas in quibus nostrates solent simpliciter juxtapponere verba flandrica gallicis), haberi ut omnium pessimas; — dum contra multi non parum mirarentur si *blasphemum* esse audirent *assertum* puta: Deum in puniendis damnatis esse injustum, Ipsum bona hujus terræ inique distribuisse, etc. (3) — Cum hac

(1) Vide applicationem in materia sacramentorum ap. COLLAT. BRUG., t. III, p. 568 et 614, et signanter *de consecratione pyxidis extra corporale positæ,* t. VII, p. 598 ss.; in materia indulgentiarum, t. VI, p. 452.

(2) Dicitur: *qua formulis.* Optime enim fieri potest ut insit malitia Blasphemiæ, etiam externæ, alicui formulæ, de se omni significatione destitutæ. Cogita virum impium qui, in odium Dei, ut ostendat contemptum suum in Deum, iram suam *in Deum,* evibrat formulam non raro usurpatam: Gv. n. d. D., tali tono, in talibus adjunctis, talibus forte additis gestis, quæ vere externe prodant seu significent animum Deum conviciandi. Hæc sane formula *de se* nequaquam Blasphemia esse potest; prout vero *in talibus adjunctis* profertur, ipsi nihil deest ut tanquam blasphemia externa habeatur: *Sic enim prolata* vere externe significat contumeliam in Deum. — Quod erit infra attendendum in dijudicanda formula Gvd.

(3) Saltem, etsi pro eodem sumere soleant *godslastering* — et — *vloeken,* non hoc nomine illud assertum vocarent.

primaria ratione, datis adjunctis hodiernis, hæc *altera* intime cohæret: varios quotidie debet zelosus confessarius corrigere errores pœnitentium, docens tales vel tales formulas a pœnitentibus adhibitas, falso ut blasphemias haberi; quod in specie quam crebro faciendum quoad formulam neerlandicam Gvd., ante aliquot annos ab omnibus (1) et hodiedum a multis (2) ut horrendam blasphemiam habitam. Unde multos mirari; obloquiorum et risus ansam sumere; loqui de blasphemiæ abolitione; mirum habere adhuc verbum fieri e suggestu de blasphemia, imo et orari pro conversione blasphematorum! — *Tertio* accedit, quod dictam formulam Gvd. attinet, æstimationem multorum non ita efficaciter immutari ut optari posset, quum hinc soleat sæpe parum attendi iis quæ e suggestu præleguntur; hinc ea quæ in confessionali docentur, vel ipsa non satis percipiantur, vel oblivioni tradantur, vel saltem a multis qui se de prolata hac formula accusare non debent, insufficienter cognoscantur vel admittantur.

Quibus attentis en quædam quæ videntur practice esse attendenda:

1. Doceatur et inculcetur ante omnia recta *notio* blasphemiæ, et indicetur multos falsam notionem habere ejusdem. Est nimirum blasphemare: *contumeliose loqui in Deum* vel *de Deo*. Quare essentia ejus est in *significando contumeliam*. Quam notionem optime expones: a) *ex ipsa* deducendo divisionem blasphemiæ in *verbalem* et *realem:* possumus enim aliquid *significare*

---

(1) Et hoc *merito tunc* fiebat. Etsi enim *de se* sensum blasphematorium non habeat, tamen, posita *æstimatione communi* huic formulæ sensum Deo injuriosum affigente, qui hanc formulam usurpabat, eo ipso Deo contumeliam inferebat.

(2) Et hoc *immerito nunc* fit. Posita enim doctrina publice ab Episcopis Belgii tradita, diligenti opera confessariorum præparata, et hodie continuo a concionatoribus et præsertim a confessariis, idque sub gravi, applicanda (cfr. qu. V) dicenda est prior æstimatio communis sufficienter desiisse, ita ut undequaque formula cessaverit esse ex se blasphematoria

sive verbis (scriptis vel ore prolatis; exemplo sint quæ in pravis diariis leguntur vel in conventibus acatholicorum audiuntur), sive gestibus (exemplo sint qui processioni SS. Sacramenti irrident, signum reverentiæ cum aliquali ostentatione denegant) (1); — b/ item hanc aliam divisionem: Deum np. injuriat qui affirmat de Ipso quod Ipsi non convenit, vel negat quod Ipsi convenit, vel irrisorie de Ipso loquitur (quæ est definitio a S. Th. et a Catech. Mechlin. tradita): quæ est blasphemia *enuntiativa;* item qui Deum provocat seu imperium Ipsi intimat: quæ est *provocativa;* item qui malum Deo optat: quæ est *exsecratoria.*

2. Vera notio blasphemiæ præsertim in luce ponatur sequentibus practicis *applicationibus* ex ea deductis: a/ blasphemiæ ergo dirissimæ sunt illæ quæ de Deo rebusque sacris, in pravis libris et diariis, vel in pravis conventibus (meetings, etc.) proferuntur, quibus nimirum asserunt Deum esse injustum, Deum non existere, quibus Deum, Christum, Sanctos Dei, Sacramenta irrident, vel Deum provocant. In *hoc* putamus esse *ante omnia* insistendum; pro conversione *talia* asserentium dicatur ante omnia orandum et ab Auctoritate orationes præscribi; ab *his* ante omnia deterreatur populus, quum ista præter reatum communem contra Religionem seu cultum divinum, speciem habeant aperte hæreticalem et sæpe hæreticam; quum ista non subitaneo quodam motu iræ ejiciantur, sed ex sedato animo prodeant, et nata sint in audientibus vel legentibus scandalum parere et fidem occidere (2). — b/ Ulterius insistendo in eo quod blasphemia sit in significando facile docebit con-

---

(1) Huc refer notam 2, positam supra, p. 573.

(2) Quam immerito interdum instructio traditur de blasphemia, ita ut, data notione blasphemiæ ejusque gravitatis, illico transitus fiat ad inquirendum quænam *formulæ* sint blasphematoriæ, quænam non; — ac si præter has blasphemiæ non darentur! En sane cur populus audiens talem vel talem *formulam* quam hucusque ut blasphematoriam habebat, jam non esse ut hujusmodi habendam, miretur « blasphemias aboleri ».

cionator doctrina generali, et nullam sane in specie formulam *ut sic* — id est totis litteris — enuntiando, *posse* quidem adesse blasphemiam in variis expressionibus interdum in ira, in ebrietate, ex consuetudine, etc. adhibitis, sed non sufficere quod proferatur formula quædam *multum sonans,* « harde, groeve woorden », sed rem pendere ab eo quod in dicta formula adsit vel desit *significatio Deo contumeliosa;* hinc varia dicta in quibus verba sunt nimis corrupta blasphema non esse; formulam aliquam non *idco* fieri blasphemiam quia in ea Deus sine debita reverentia *nominatur*, sed tantum ubi de eo *contumeliosa* fit locutio (1); non sufficere quod in *nosmetipsos* vel in *proximum* invocemus ultionem Dei; hoc enim esse exsecrationem in nos, non autem blasphemiam in Deum.

3. Tandem quod spectat varias in specie sic dictas « *formulas* », tradita notione et regula generali, pro satis habeat concionator hæc addere: « Notent fideles, multos errare in his dictis judicandis; plerasque passim nequaquam esse blasphemias; in dubio interrogent confessarium, etc. » — Datis autem adjunctis hodiernis, non immerito aliquid in specie addatur circa formulam neerlandicam, puta dum partem Catechismi huc afferentem explicamus: « Posita malitia horrenda blasphemiæ, posita sollicitudine quam sacerdotes vestri et in specie Episcopi gerunt tum honoris divini, tum salutis animarum vestrarum, non mirum vobis videbitur ipsos corrigere errores vestros, et declarare unam alte-

(1) Habes sic distinctionem blasphemiam inter et *vanam usurpationem nominis divini*. Non adeo rara est confusio inter hæc duo, apprime tamen distinguenda; cujus facti causam forte invenire est in eo quod tam sæpe loquimur de injuria quæ infertur divino per blasphemiam; de iis qui blasphemant *Nomen* Dei, den Naam van God lasteren, et similia. Theologi quidem facile audiunt *Nomen* Dei poni, non tantum pro *nomine* ipso, sed etiam pro *Deo* ipso et pro omnibus quæ ad Ipsum pertinent; dum vulgus facilius unice audit ipsam *denominationem*. Ex eodem forte venit tam multos essentiam blasphemiæ ponere in formula quadam multum sonante in qua *nomen* God, Dieu, occurrit.

ramve formulam immerito ut blasphematoriam haberi. Sic scitis singulo anno vobis e suggestu prælegi litteras collectivas omnium Episcoporum Belgii (1) in quibus docemini formulam neerlandicam qua petitis *ut a Deo damnemini* (sic eam enuntiemus; sic eam confitentur Hollandici), non esse veram blasphemiam. Et revera hac nihil significatis *contumeliæ* in *Deum*, sed petitis a Deo vobis damnationem, etc. » (Addantur nim. quæ quæst. seq. tradentur, signanter de malitia hujus imprecationis, de populo nihilominus ab ejusdem usu avertendo, de nonnullis hominibus qui nihilominus graviter peccant fine et modo quo dictam formulam proferunt) (2).

---

(1) Multum utile ducimus, dum sive in confessionali sive e suggestu circa hanc formulam docemus, frequenter interponere hanc Episcoporum auctoritatem. Sic enim multo augetur attentio, facilius omnino admittent, et multum minuetur admiratio. Poterit, in eumdem finem, provocari ad praxim similem in aliis regionibus quoad alias formulas adhibitam; ad exemplum ipsius eximii doctoris S. Alphonsi, similem errorem suo tempore multum vulgatum corrigentis, etc.

(2) Hæc instructio, quam prudenter et honestis verbis facienda, occasione data, magnam utilitatem afferre potest. Multi enim pœnitentes, instructionem sibi a confessario factam, aliis, ut obvium est, non communicant; cæteri autem fideles aut rem non audiunt, aut sæpius fidem præstare nolunt pœnitentibus rudioribus, sæpe non sine aliqua jactantia, talem sibi a confessario factam esse instructionem allegantibus.

Quæ hic exposuimus, utiliter complebuntur ex variis AA. et in specie ex Illmo et Revmo Waffelaert, *Confessarius rite institutus ad impugnandam Blasphemiam;* necnon ex Ex. Dignant, apud *Coll. Brug.*, t. 3. Præ oculis habuimus specialiter attendenda, *inspectis adjunctis hodiernis*. Quorum omnino ratio habenda est in legendis cit. AA. Et proinde non est cur, *post publicatas litteras cit. Episcoporum,* ex *Coll. Brug.*, t. 3, p. 468 afferantur sequentia *tunc* quidem optime et merito dicta, *nunc* vero relinquenda omnino: « Si interrogatur (confessarius), aperte dicat (formulam Gvd.) secundum æstimationem communem impræsentiarum *esse blasphemiam* », vel « Ex nostra sententia, id (np. hanc formulam esse tantum veniale peccatum) nullatenus dicere neque imo innuere licet », vel « Abstineat confessarius a declarando positive an sit necne Blasphemia »! Cfr. quæst. seq.

Sic breviter et bene De Weerdt, *Practisch onderwijs in den Mechelschen Catechismus*, 2a ed., Mechelen, Ryckmans, 1904: « Daar zijn menschen, daar zijn soms kinderen, die het woord *God* uitspreken, en er het onbetamelijk woord *verdoeme* bijvoegen. Velen hebben *gemeend* dat dit

V

Q. *Quonam modo interrogandi et docendi sunt pœnitentes se accusantes de prolata formula neerlandica G. v. d.? Quibusnam rationibus innititur hæc praxis?*

Prænota. — Quæstio minime tendit eo ut dicatur de modo interrogandi circa *numerum* peccatorum — gravium vel levium — sic forte commissorum; aut circa *occasiones* hujus formulæ proferendæ vitandas; aut circa majorem minoremve culpabilitatem sive *consuetudinis* hanc formulam proferendi, sive actuum ex tali consuetudine commissorum. Sed unice agitur *de ipsa formula* judicanda, de natura ipsius, de malitia subjectiva vel objectiva, etc.

R. 1. Non raro, hujus formulæ prolatæ rei, verbis generalibus tantum confitentur *se blasphemasse*. Interrogabit proinde confessarius *quid* dixerint, vel si — ut sæpe fit — pœnitens veretur formulam proferre, cum rudioribus: « Utrum dixisti *G. v. d.*, vel: *G. v.*, addendo *doeme?* vel: Utrum petiisti damnationem tuam a Deo (1)? » — Ne autem petat, brevitatis gratia et

---

ook God lasteren of vloeken is. Voorzeker, men is plichtig aan godslastering of vloeken als men die woorden uitspreekt met de *meening* of met het *inzicht* [Dit boos *inzicht* is er, wanneer men uit gramschap tegen God, uit haat van God of den godsdienst, of ook met het uitdrukkelijk inzicht van God te beleedigen, dergelijke woorden uitspreekt. Met dat inzicht van God te lasteren braken soms goddelooze menschen zulke woorden uit tegen de priesters] van God te lasteren of te vloeken. Doch, weet en onthoudt het goed, het woord *God* met het bijgevoegde woord *verdoeme* is geen eigentlijke godslastering of vloek. Die spreuk bevat eerder eene verwensching van zich zelven; maar doorgaans hecht men er deze beteekenis niet aan, of toch is die verwensching meestal niet gemeend; en zoo zal die spreuk *bijna altijd van doodzonde vrij zijn*. Zulke woorden zijn grove en zeer onbetamelijke woorden. Moogt ge dan dergelijke woorden niet uitspreken? Neen, nooit: zij zijn altijd dagelijksche zonde; daarbij zulke taal is onteerend, niet alleen voor een christen, maar zelfs voor een welopgevoeden mensch. »

(1) Hic ultimus modus interrogandi « gevraagd om verdoemd te zijn van God? », sæpe datis monitionibus anterioribus, optime intelligetur; et præstaret, si, ut Hollandici hanc formulam confitentur, etiam

modum loquendi nonnullorum rudium assumens : « Hebt gij ge — Gvd. », vel imo « Gvdoemd » ? quum sic pessimum et falsum ingereret pœnitenti hujus formulæ sensum, ac si sensus esset : Deus sit damnatus.

2. Semel ac constat de prolata hac formula primo incumbit confessario qua judici onus indagandi circa peccatum formale seu subjectivum, circa culpam de facto a pœnitente admissam. (Quidquid enim hucusque sive in confessionali sive e suggestu datum fuerit instructionis vel monitionis de natura non blasphematoria hujus formulæ, negari nequit multos tamen in conscientia sua erronea pergere). Interdum experientia constabit confessario de debita pœnitentis scientia, vel ipse pœnitens sponte notabit se audivisse hanc formulam jam non esse blasphemiam, vel eam jam non esse graviter malam. Quo casu passim (1) sufficienter constabit de peccato *veniali* tantum commisso, et de recta pœnitentis conscientia, et nil proinde faciendum quam illum in hac sua opinione confirmare, opportuna interdum addita explicatione (infra), simul et monitione de vitanda nihilominus hac formula (infra). — Sæpe tamen et deficiet dicta experientia et non addetur pœnitentis animadversio ; quo casu incumbit confessario gravis obligatio interrogandi utrum dum hæc proferebat, putaverit illud esse vere blasphemiam, vel, se accomodando imperfecto rudium modo loquendi, « magnam » blasphemiam, vel se committere peccatum mortale (2). Non ita raro, ut

---

nostrates *sic* se accusarent, jam non dicentes « se blasphemasse ». Præterea a parte confessarii hic modus interrogandi satis efficaciter attentionem pœnitentis provocat, et simul continet jam anticipatam instructionem.

(1) *Passim*, — Forte enim peccaverit graviter *modo* et *adjunctis* formulam adhibendi, ut statim dicetur ; sed hoc in casu præsumendum non est et nisi dentur specialia motiva dubitandi, a confessario non indagandum.

(2) Interdum respondebit pœnitens se *nil* putavisse, se *nil* cogitasse, sed dictum protulisse, dum erat iratus, vel ebrius vel ex consuetudine. Quo casu roget confessarius quid *nunc* putet de hac formula, utrum ipsam habeat qua blasphemiam.

experientia constat, sive quia nunquam hucusque monitus sive quia monitionem oblitus, *affirmative* respondebit pœnitens.

3. Quo casu, *non* semper illico, — quod seduło nota — confessarius, sub prætextu corrigendi conscientiam erroneam, addat pœnitentem hoc falso putasse. Etenim etsi huic formulæ tum ex se tum ex æstimatione communi desit sensus Deo injuriosus (infra), tamen, ut diximus p. 573 nota 2°, potest aliquis *modo suo* hanc formulam proferendi de facto et objective blasphemare, sicut potest quis sola voce « Dieu », prolata ex ira in Deum, tali tono, vel addito forte tali gestu, vel coram crucifixo, etc. pessime blasphemare. — Quare interdum, inspectis adjunctis (1), ulterius interrogabit confessarius: « Et cur hoc dixisti? An forte ex ira *contra Deum?* ut contra Deum insurgeres? ex odio contra sacerdotes? contra religionem? » Quod si tali animo dixerit, dubium non est eum graviter peccasse, et in hunc modum esse monendum: « Hæc formula ex se non est proprie blasphemia, is eigentlijk uit zijn eigen geene godslastering, neque peccatum mortale (infra), sed si eam *sic* usurpas, quia vis ostendere iram tuam in Deum, etc., tamen graviter peccas (2). — Sæpe talis animus defuerit, et unice formulam dixerit quia ebrius, ex consuetudine, ex ira contra bestias vel homines. Tali autem casu, cogitans se mortaliter peccare, laborat conscientia erronea, et proinde juxta regulas generales traditas in tract. de Sacramento Pœnitentiæ, *gravis incumbit obligatio confessario* claris et apertis verbis errorem corrigendi: « Hæc formula non est

(1) *Inspectis adjunctis.* — Sic facilius obvios habebis tales in civitatibus et regionibus « industrialibus », quam ruri; facilius tales invenies inter illos qui pravis diariis utuntur vel adeunt conventus acatholicorum, etc.

(2) Quod peccatum, præter speciem odii in Deum quæ sæpe aderit, habebit et ipsam speciem *blasphemiæ,* ut dictum est supra, p. 573 nota 2°; sed minime juvabit hanc rem, nimis subtilem, pœnitentem docere.

blasphemia; non est peccatum mortale, sed est veniale tantum ». Quod, ut admirationem minuat, et simul efficacius attentionem provocet, sic poterit breviter evolvere: « Multi errant in dijudicanda hac formula: non enim est blasphemia. Nonne hoc tibi antea dictum fuit? Scis singulo anno e suggestu prælegi litteras Episcoporum Belgii quibus hoc docetur. Hæc formula est imprecatio, eene verwensching (1), qua tibi petis damnationem a Deo, sicut interdum rogat quis ut terra absorbeatur, sic sibi malum optans. — Num forte serio velles rogare ut damneris a Deo? » — cui quæstioni quasi infallibiliter negativa fiet responsio. Quam confessarius confirmabit: « Sane! Et quis hoc serio rogaret? Et en, si serio peteres, evidenter esset tibi horrendum peccatum; sed ut dixisti, hoc nemo quasi serio petit, et proinde *veniale* tantum peccatum committis (2) ». Posito tamen horrore quod omnibus injicit; posito periculo ne eo quod venialis tantum sit, nimis illam usurpent; posito quod sit semper peccatum, et inter venialia ex pejoribus, ulterius avertendus est pœnitens ab usu hujus formulæ: « Sed hoc sane tibi non potest esse ratio hanc formulam adhibendi. Est enim tibi semper peccatum veniale; nam est irreverentia in Deum, cujus nomen sic sine causa et sine honore usurpas; est imprecatio damnationis, quæ utique serio non fit, sed quæ dedecet hominem christianum ».

Rationem autem cui innitatur hæc gravis obligatio interrogandi et dedocendi pœnitentem de quo agitur, sic breviter et remissive tantum indicamus: Formula

---

(1) Inutile est docere eam fuisse primitus *juramentum* execratorium, quum hic sensus non tantum minime hodie percipiatur a nostratibus, sed etiam jam nullatenus conveniat modo quo hæc formula adhiberi solet.

(2) Poterit confessarius expresse excludere sensum pessimum quem quidam falso apprehendunt: Deus sit damnatus. — Sed ne unquam docendi et claritatis gratia addat; Si *sic* diceres, (puta G. zij v., vel G. v. doemd) esset blasphemia, ne ipse genuinas blasphemandi formulas ipsi in os ponat.

G. v. d., *qua formula* est non est ut blasphemia habenda sive ex proprio sensu suo sive ex hodierna æstimatione communi regionis nostræ: a/ non ex proprio ac litterali sensu suo, ut probatum est apud *Coll. Brug.*, t. 3, pp. 401 ss.; b/ non ex hodierna æstimatione communi nostræ regionis. Ante paucos quidem annos apud nostrates habebatur ut dictum injuriosum Deo, sive quia multi illud in confuso apprehendebant ut peccatum contra Deum, quin sibi redderent rationem significationis sui dicti, sive quia, contra leges linguæ, ipsi tribuebant sensum: Deus sit damnatus; a quo modo loquendi, inde a 20 annis sacerdotes cœperunt cavere, imo dedocere populum hunc sensum erroneum. Sic jam Ill^mus^ et Rev^mus^ Waffelaert, a. 1889, in *op. cit.*, p. 30, et Ex. Dignant, apud *Coll. Brug.*, t. 3 in praxim tenendam insistebant. Confessarii multi doctrinam secuti, viam parabant, docentes formulam esse quidem blasphemiam, ob æstimationem communem, sed non esse ex sensu proprio. Tandem a. 1903 intervenerunt Episcopi Belgii per monitum, populo e suggestu identidem prælegendum, in confessionali applicandum, pueros prudenter docendum. Hodie autem, etsi ut diximus, optari posset universalior rei cognitio, jam nequit dici æstimationem communem sensum blasphematorium formulæ affigere. — Quare undequaque desiit hæc formula, qua formula, esse blasphemia, et gravis proinde incumbit cuique confessario obligatio falsa conscientia laborantes docendi, et illos de quibus dubitat utrum necne sufficienter edocti sint interrogandi, et si necesse est, docendi. Et sane tœdium quod praxis hæc, toties repetita, et per plures forte annos, adhuc repetenda, afferre nata est, minime potest esse ratio cur desit officio suo providendi honori divino et saluti animarum.

A. Vander Heeren.

VI

Q. *Exposez les théories du pouvoir direct et indirect de l'Église sur l'État.*

R. L'Église instituée par le Christ, ayant pour fin propre et directe de diriger les hommes vers leur salut éternel, est une société pleinement indépendante et supérieure à toute autre société. L'État, en vertu du droit naturel, est investi de la mission de procurer à ses sujets la félicité temporelle subordonnée à leur fin suprême. Il s'en suit que, bien que dans sa sphère l'État soit un pouvoir souverain, il se trouve dans un rapport d'infériorité et de dépendance vis-à-vis de l'Église, dans tout ce qui concerne l'obtention de la fin supérieure de la société religieuse. En effet, les sociétés sont entre elles dans le même rapport que leurs fins.

Cette subordination soumet le pouvoir civil et tous ceux qui se le partagent, à la *juridiction externe et sociale* de l'Église, en vertu de laquelle elle gouverne la société religieuse et exerce tous les droits qui appartiennent à une société parfaite, faisant des lois, jugeant les actes des fidèles dans leur rapport avec l'ordre social, et punissant les infractions à ses ordres. *En matière spirituelle*, les dépositaires du pouvoir temporel, s'ils sont chrétiens, doivent comme les autres fidèles obéissance à l'Église, tant pour les actes de leur vie privée que pour ceux de leur vie publique, et s'ils portent atteinte aux droits de la société religieuse, ils deviennent justiciables de son pouvoir judiciaire et coercitif.

Les théories du pouvoir direct et indirect ont pour objet de déterminer quel est le fondement de la dépendance de l'État vis-à-vis de l'Église *en matière temporelle* et dans quelles limites il faut admettre cette dépendance.

I. La théorie *du pouvoir direct* (1), en vogue au moyen âge et abandonnée depuis longtemps, soutient que le Christ, ayant voulu faire règner dans les sociétés religieuse et civile le principe de la plus parfaite unité, a confié au chef de l'Église dans la personne de Pierre les deux glaives et lui a ainsi donné la mission de gouverner le monde tant pour le temporel que pour le spirituel. Le Pape a donc un pouvoir de juridiction directe dans l'ordre civil et politique. Il exerce par lui-même la puissance spirituelle ; il exerce le pouvoir temporel par les princes qui sont ses délégués et qu'il a l'obligation de déposer s'ils abusent de leur mandat (2).

II. La théorie *du pouvoir indirect* comprend deux systèmes : le système du célèbre jésuite, le cardinal Bellarmin et le système dont on a coutume d'attribuer la paternité au franciscain Bianchi.

A. *Système Bellarmin* (3). L'Église reconnaît à l'État une entière indépendance dans les affaires politiques et temporelles, en tant qu'elles se rapportent à la fin de la société civile. Mais ces mêmes matières peuvent se trouver être un obstacle à la fin spirituelle des fidèles et de l'Église, comme elles peuvent être un moyen nécessaire ou utile à la réalisation de cette même fin.

---

(1) J. Hergenroether, *Katholische Kirche und christlicher Staat in ihrer geschichtlichen Entwicklung und in Beziehung auf die Fragen der Gegenwart*, p. 363 ss. Freiburg-i-B., 1873-1874 ; P. Viollet, *Histoire des institutions politiques et administratives de la France*, 3 vol., t. II, p. 272 ss. Paris, 1898-1903 ; Moulart, *L'Église et l'État*, 4 éd., p. 200 ss. Louvain, 1895 ; Van den Berghe, *L'Église et L'État*, p. 18 ss., Bruges, 1895 ; De Brabandere Van Coillie, *Jur.-can. et can.-civ. comp.*, ed. 7, nº 186, t. I, p. 175.

(2) Haring, *Kirche und Staat* (Glaube und Wissen, Heft 12), p. 22 ss., München, 1907.

(3) Moulart, *o. c.*, p. 200 ss. ; Wernz, *Jus Decretalium*, T. I. *Introductio*, nº 10, nota 29, critique l'exposé du système de Bellarmin, tel qu'on le trouve chez Mgr Moulart ; *Dictionnaire de théologie catholique*, vº Bellarmin, t. II, col. 560-599. Paris, 1904. Cet article remarquable est écrit par Le Bachelet. De la Servière, *Les idées politiques du cardinal Bellarmin* dans la *Revue des questions historiques*, 1907, t. LXXXII, p. 378 ss., et surtout, 1908, t. LXXXIII, p. 64 90. Voir aussi l'*Annuaire de l'Université de Louvain 1904*, Rapport du Séminaire historique (1903-1904), p. 17 ss.

En vue des choses spirituelles, c'est-à-dire lorsque le salut des âmes l'exige et dans la mesure où il l'exige, le pouvoir juridictionnel du Souverain Pontife s'étend à ces choses temporelles nécessaires ou utiles à la fin suprême, et conséquemment, même lorsqu'il s'exerce sur le temporel, il est encore spirituel en raison de sa fin. Le mot *indirect* ne s'applique donc pas au mode dont le pouvoir s'acquiert, il vise l'objet de ce pouvoir, lequel, atteignant proprement et premièrement les choses spirituelles, ne s'étend aux choses temporelles que secondairement et par voie de conséquence. Bellarmin détermine lui-même l'objet du pouvoir indirect. Le Pape ne peut pas, en vertu de son pouvoir ordinaire et habituel, déposer les rois, même pour un juste motif, comme il dépose les évêques ; il ne peut pas faire de lois civiles ; il ne peut pas évoquer à son tribunal les causes de l'ordre temporel ; mais il peut poser tous ces actes par voie d'intervention spéciale et extraordinaire, lorsque le bien des fidèles l'exige et dans la mesure de cette exigence. Aussi, l'exercice de ce pouvoir a ses limites déterminées par sa fin, de même que par l'ordre social et le droit civil, établis au lieu et au moment de son usage.

En vertu de ce droit le Souverain Pontife ne se borne pas à interpréter et à déclarer la loi morale dans un cas déterminé, mais il a la faculté de prendre les mesures positives que réclament l'intérêt de la religion et qui sont possibles et utiles ; il porte des lois en matière temporelle, exempte de leur obligation, dépose les Souverains (1).

Cette thèse fut soutenue par Bellarmin comme une doctrine traditionnelle (2) et certaine. En principe, elle est pour lui la conséquence de deux vérités dogmatiques : d'une part, la plénitude de juridiction confiée par

(1) Wernz, *l. c.*, p. 15 s. et note 31 ; Hammerstein, *De Ecclesia et statu juridice consideratis*, p. 144. Treviris, 1886.

(2) *Dictionnaire de théologie catholique, l. c.*, col. 592 ; P. Viollet, *l. c.*, p. 278 s. ; *Revue des questions historiques*, 1908, t. LXXXIII, p. 67 ss.

Jésus-Christ au Souverain Pontife pour mener les âmes au salut; d'autre part, la subordination de la fin temporelle du pouvoir civil à la fin spirituelle de l'Église (1).

On a reproché à Bellarmin de déterminer trop théoriquement les limites de ce pouvoir, d'envisager la question en thèse et non en hypothèse, de ne pas tenir compte de l'état des sociétés, des dispositions des esprits, des circonstances, qui doivent cependant être prises en considération pour juger de la possibilité et de l'opportunité des applications de ce pouvoir.

Quoiqu'il en soit du bien-fondé de cette critique, il faut admettre que l'opinion publique doit être consultée, non comme un souverain principe, mais comme un témoin qui indique ce qui peut être supporté. Au reste, tel a été dans le cours des siècles, la pratique de l'Église.

B. *Système attribué à Bianchi* (2). Certains auteurs (3) ont cru que le système patronné par le cardinal Bellarmin concédait au Souverain Pontife un pouvoir vraiment temporel et portait atteinte à l'indépendance du pouvoir civil. Invoquant l'autorité de Bianchi (4), ils proposèrent un système qu'on a coutume d'appeler le système *du pouvoir directif* (5).

---

(1) *Dictionnaire de théologie catholique, l. c.*

(2) Franciscain italien né en 1686 et mort en 1768. Il exposa ses idées sur le pouvoir de l'Église en matière temporelle dans son livre: *Della podestà e della politia della Chiesa,* 6 v. in 4°. Rome, 1745-1751. Voir un article bio-bibliographique dans le *Dictionnaire de théologie catholique,* t. II, col. 812 s.

(3) Moulart, *o. c.*, p. 203 ss.

(4) Le Bachelet (*Dictionnaire de théologie catholique, l. c.*, col. 593) se demande à juste titre, si Bianchi a mis entre son explication et celle de Bellarmin l'opposition qu'on prétend y voir, et si ce n'est pas mal comprendre la pensée du cardinal que de faire du pouvoir indirect qu'il accorde au Pape, un pouvoir vraiment temporel. Ces deux auteurs se basent sur les mêmes principes. Voir les textes cités dans De Brabandere-Van Coillie, *l. c.*, n° 186, p. 177. D'autres textes sont indiqués par Le Bachelet, *l. c.* Ce serait un point à examiner dans une étude spéciale.

(5) Moulart, *o. c.*, p. 203 ss., Van den Berghe, *o. c.*, p. 37; Hammerstein, *o. c.*, p. 147; De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*, n° 186, p. 175.

Le voici, tel qu'il a été conçu et développé postérieurement.

L'Église, gardienne et interprète de la loi morale, a le pouvoir de juger de la moralité des actes du pouvoir civil, de leur conformité avec la loi divine, naturelle ou positive. Conséquemment, elle a le droit de donner aux princes et aux peuples une *direction* morale par ses décisions doctrinales et ses conseils, *de diriger* la conscience des souverains et des sujets, en définissant les règles du juste et de l'injuste, et en proclamant les obligations que la loi leur impose en matière de juridiction civile et temporelle ; elle a le droit de déclarer nulles les prescriptions injustes et de décider les cas où le souverain est déchu du trône, en vertu des lois divines. Ce pouvoir de l'Église est purement spirituel, il a pour objet *direct* une chose spirituelle, la moralité des actes ; mais par cela même, il atteint quoique *indirectement* les choses temporelles, auxquelles cette moralité vient se joindre. D'aucuns remarquèrent à bon droit que ce pouvoir simplement directif n'avait rien de commun avec un véritable pouvoir de juridiction et de coercition. C'est pourquoi ils affirmèrent que l'Église pouvait imposer cette direction par voie d'autorité et même pouvait user de peines spirituelles pour contraindre les princes coupables de rentrer dans la voie de l'équité et de retirer leurs prescriptions contraires à la religion et au bien des âmes. Ce que l'Église ne peut pas faire, c'est de s'immiscer dans les choses temporelles même si la fin sociale de l'Église l'exige, c'est, de briser le lien d'obéissance que les sujets doivent à leur souverain, de porter une loi qui exempte les clercs des charges civiles et militaires, d'exiger de l'État la coopération de sa force matérielle, en vue du bien de l'Église. Si les Souverains Pontifes ont aux siècles révolus outrepassé les limites de ce pouvoir directif, ce fut en vertu du droit public de l'époque et non en raison de leur pouvoir propre de chef de la société spirituelle.

A. De Meester.

L'étude et l'esprit de la liturgie.

Il est incontestable que, dans ces derniers temps, l'estime de la liturgie a notablement augmenté dans les rangs du clergé et parmi les fidèles. Par voie de conséquence très heureuse, les prescriptions des rubriques sont observées avec plus de souci et de dignité. L'on ne soigne bien que ce que l'on estime hautement.

Il n'est pas rare toutefois d'entendre répéter encore, d'un ton sententieux ou gouailleur, des aphorismes ou des appréciations qui, s'il fallait les prendre au sérieux, seraient de nature à arrêter l'élan. Plus d'une fois, vous aurez entendu chanter, comme nous, les vieux refrains: « Les rubriques, c'est une science absolument positive, essentiellement variable, complètement arbitraire!... En fait de liturgie, il ne faut ni raisonner, ni demander le pourquoi des prescriptions: tout dépend du dernier décret, et cela change à tout bout de champ sans rime ni raison!... Étude aride et ennuyeuse au possible. Ces mille prescriptions, dont on ne voit ni la raison d'être ni l'enchaînement, sont un dédale où l'on se perd, une torture pour la mémoire, sans satisfaction pour l'intelligence... C'est d'ailleurs une science de queues de cérises, un ensemble de questions de détail et de petites formalités... »

Nous ne voudrions pas supposer que ces prétendus axiomes ne seraient que des prétextes intéressés destinés à excuser ou même à légitimer une ligne de conduite inspiré par la négligence plus que par l'ardeur de la dévotion et le zèle de la maison de Dieu et du culte divin.

En fait cependant la conclusion implicite mais pratique de ces aphorismes semble bien être d'ordinaire: à quoi bon s'appliquer à connaître la liturgie ou à observer les rubriques: continuons à suivre nonchalam-

ment la routine, sans nous soucier de ce qu'en décide l'Église ou de ce qu'en pensent nos fidèles.

Il est pénible d'entendre parler ainsi des prêtres qui devraient être, par vocation et devoir, les premiers à comprendre le sens et à estimer la grandeur et la beauté de la liturgie, afin d'y trouver pour eux-mêmes un élément à leur piété et un moyen de sanctification, et pour le peuple, à qui on en ferait comprendre la solide et pieuse signification, une éloquente et continuelle leçon d'édification et d'instruction religieuses.

Essayons donc de rechercher ce qu'il y a de vrai, mais aussi ce qu'il y a d'exagéré et d'erroné dans ces appréciations. Cherchons à mieux comprendre l'*esprit* de la liturgie et à voir comment il faut l'*étudier*, afin d'apprécier à leur juste valeur et à estimer comme il convient les cérémonies si persuasives de notre Mère la Sainte Église.

La science des rubriques est une science *positive*, dit-on. Elle l'est en grande partie, sans aucun doute. Elle l'est tout comme les diverses branches du droit civil ou canonique, comme toutes les sciences qui ont pour objet la connaissance des règles qui régissent les hommes comme membres d'une société spéciale. Car quels que soient les principes fondamentaux et les faits généraux sur lesquels se basent les règles pratiques et déterminées, celles-ci doivent être fixées par l'autorité et constituent le droit positif.

Pour concourir au but de la société et au bien commun des membres, ces règles doivent s'adapter aux nécessités des hommes et des circonstances qui changent et aux exigences du milieu qui varient. Il faut donc qu'elles-mêmes ne soient pas immuables et qu'elles soient *modifiées*, dans leurs déterminations non essentielles, par une autorité sage et clairvoyante.

Les règles de la liturgie ou les rubriques sont dans ce cas, comme toutes les prescriptions du droit et de la

discipline ecclésiastique. Nous concédons même volontiers que le côté positif et variable se manifeste plus clairement dans les rubriques que dans d'autres branches de la science ecclésiastique.

Car l'Église a une si haute estime du saint sacrifice et des sacrements, une conviction si intime de l'efficacité éducative des cérémonies sacrées, qu'elle n'ose pas abandonner à la négligence et à l'arbitraire si habituels des hommes le soin d'en règler le cérémonial; elle tient à fixer elle-même, jusque dans les moindres détails, les paroles et les gestes liturgiques. Et qui ne voit que la minutie avec laquelle elle précise, par exemple, les plus petites cérémonies de la messe, loin de pouvoir diminuer notre estime pour la liturgie, doit être au contraire une prédication continuelle sur son excellence, un rappel constant de l'infinie valeur du saint sacrifice?

D'où vient alors, chez quelques-uns, ce manque d'estime pour les cérémonies?

Hélas! L'expérience de tous les jours ne confirme que trop les paroles que le Saint Père adressait tout récemment au clergé auquel il porte tant d'affection: « Quamvis enim varia sacerdotii munia augusta sint et plena venerationis, usu tamen frequentiore fit ut ipsa tractantes non ea plane qua par est religione perpendant. Hinc, sensim defervescente animo, facilis gressus ad socordiam, atque adeo ad fastidium rerum sacerrimarum » (1). La routine, à laquelle conduit fatalement le manque de réflexion et l'abandon de la méditation quotidienne, la routine gâte les meilleures choses et ravale les actions les plus élevées. L'expérience montre, qu'à moins de se remonter par la prière, la réflexion et l'étude, on en vient si facilement à ne plus prêter aucune attention au sens des paroles et à accomplir machinalement, sans respect et sans exactitude, les cérémonies les plus augustes; toute la liturgie paraît

(1) Pii X *Exhortatio ad clerum catholicum.* Vide supra, p. 541 ss.

ne plus être qu'un ensemble de formules vides de sens, une mimique sans signification, un simple formalisme extérieur, froid, sans cœur et sans âme. Se peut il dès lors qu'on estime encore un langage qu'on ne comprend plus, une voix qu'on n'écoute pas ?

Il faut bien cependant que nous sachions le reconnaître, nous professeurs de liturgie, nous avons peut-être une part de responsabilité dans la dépréciation dont souffrent les rubriques. L'enseignement tel qu'il est souvent donné, tel que nous le trouvons dans la plupart des manuels, n'est-il pas de nature à confirmer le clergé dans la malheureuse opinion que toute la liturgie se réduit à un ensemble de règles positives et particulières, régissant des cas isolés et individuels, sans lien entre elles, sans principes directifs, sans règles générales (1) ?

Il faut une bonne fois se résoudre à montrer non seulement aux hommes d'études, mais à tout le clergé et au peuple, que dans la liturgie il y a autre chose que la simple rubricistique.

En s'appuyant presque exclusivement sur la *lettre* des rubriques et le texte des décrets, la partie spéciale qu'on appelle la *rubricistique* cherche à établir avec précision *quels* sont les rites à observer et les prières à réciter dans chaque cérémonie en particulier. Sans aucun doute, elle est une partie très importante de la liturgie, elle en est même la plus pratique. Mais, de grâce, qu'on veuille bien ne pas la considérer comme le tout de la science liturgique nécessaire au prêtre.

Celle-ci ne s'arrête pas à la lettre, à l'écorce extérieure : elle veut en connaître l'esprit, en pénétrer le cœur. En même temps qu'elle établit le *quid* et le *quomodo faciendum*, elle en recherche le *cur*. Elle étudie donc les raisons, naturelles, symboliques ou mystiques, qui ont introduit certains usages, les facteurs qui

---

(1) Voir notre *Bulletin liturgique* dans *Collat. Brug.*, t. XI, p. 545 s., coll. t. XII, p. 130.

ont provoqué des changements ; elle cherche à découvrir, dans l'histoire de l'évolution d'un rite, l'explication adéquate de rubriques qui nous étonnent peut-être dans notre cérémonial actuel. Elle cherche ainsi à mieux déterminer le sens des paroles et la signification des gestes, et s'efforce de faire ressortir tout ce qu'il y a de solide doctrine théologique, de suave piété et de pénétrante beauté dans nos cérémonies catholiques bien comprises. Enfin, non contente de connaître chaque détail en particulier, elle les groupe, les compare entre eux, établit des liens de causalité ou de parenté, dégage des règles générales dont les textes ne fournissent parfois que des applications particulières et découvre les grands principes générateurs qui nous montrent l'Église, guidée par l'Esprit Saint, s'acquittant merveilleusement de sa haute mission de rendre au Souverain Maître par Notre Seigneur Jésus-Christ l'hommage suprême du culte public qui lui est dû.

Ainsi comprise, la science liturgique est loin d'être — l'expérience le prouve — une étude *aride* et *ennuyeuse*. Qui ne voit en effet qu'elle est de nature à beaucoup mieux satisfaire l'intelligence, à plaire au cœur, à nourrir la dévotion et à faciliter l'exercice de la mémoire même dans la pratique de ces prescriptions qui sont positives et qui peuvent changer ?

En réalité, il y a dans la liturgie, certains éléments fondamentaux qui sont immuables, parce qu'ils sont d'institution divine. Ce sont avant tout les parties essentielles du sacrifice de la messe et des sacrements. Ajoutons-y l'obligation générale pour l'Église de rendre à Dieu un culte extérieur et social.

Mais comme l'Église devait se propager chez tous les peuples et traverser tous les siècles, son divin Fondateur n'a pas voulu fixer d'une façon immuable les détails accessoires du rituel chrétien. Il a établi dans son Église une autorité visible chargée d'instituer, de

règler et de surveiller le cérémonial destiné à faire mieux ressortir les effets et l'excellence de ce qu'Il avait lui-même institué. Grâce à cette disposition de la divine sagesse, l'Église peut adapter son culte de la façon la plus adéquate aux nécessités si variées de tous les temps et de tous les milieux sociaux. Toujours ancienne et immuable dans les éléments essentiels de son culte, elle est toujours de son temps et reste éternellement jeune par les cérémonies accessoires de sa liturgie vivante.

Parmi les cérémonies qui sont d'institution ecclésiastique, quelques-unes remontent aux tout premiers temps et sont d'origine apostolique. La sanctification du dimanche (1), les éléments constitutifs de l'avant-messe ou messe des catéchumènes (2), certaines parties du canon et de la communion, le baiser de paix, la profession de foi avant le baptême et les divers modes d'administrer ce sacrement, d'autres rites encore, semblent bien remonter aux temps apostoliques. En raison même de leur importance et de leur origine vénérable, l'Église les a gardés toujours avec un soin jaloux.

Mais l'Église, se développant, n'a pu se contenter de l'édifice primitif : chaque siècle a travaillé à l'orner, à l'agrandir et à l'adapter aux besoins nouveaux en remplaçant les parties devenues inutiles par des constructions nouvelles. Et pendant bien longtemps les autorités locales, les fidèles eux-mêmes, ont eu leur part d'influence dans cette évolution. Car nulle part, surtout aux âges de foi, les fidèles ne vivent autant la vie de l'Église, que dans les cérémonies du culte auxquelles ils participent. Suivre l'évolution d'un rite important, c'est refaire à grands traits l'histoire et la vie de l'Église (3).

---

(1) Voir *Canisiusblad*, t. VI, 1907, p. 17 ss.

(2) Voir *Collat. Brug.*, t. XII, p. 722 ss.

(3) Voir *La bénédiction et la procession des Rameaux* dans *Collat. Brug.*, t. XII, p. 200-212.

Simples et austères lorsque, au début, elles doivent s'accomplir dans les maisons privées de la Palestine ou les cubicula des catacombes, les cérémonies se célèbrent avec plus de solennité et de pompe à la faveur de la paix, lorsque le clergé est devenu plus nombreux et que les petites chapelles ont fait place aux vastes basiliques de l'antiquité et aux magnifiques cathédrales du moyen âge, tandis qu'un rituel plus simple se juxtapose au premier pour les églises des campagnes et les messes basses. Le peuple d'ailleurs y prend une part active ; il s'associe aux chants et répond au prêtre, il règle sa vie sur le cycle des fêtes et l'horaire des offices liturgiques, et non seulement emporte chez lui les fortes impressions des prières et des exhortations de l'Église, mais transporte dans la vie ordinaire des usages influencés par la liturgie, qui à son tour subit la répercussion des coutumes de la vie civile. Mais peu à peu la participation du peuple diminuant, les cérémonies elles-mêmes se simplifient, se rétrécissent et parfois se mutilent. D'autre part, tandis que dans les premiers siècles, les rites se développent librement dans les diverses églises, sans stricte uniformité, en une foule de « liturgies » locales et nationales, l'influence grandissante de Rome tend à ramener les diverses branches à l'unité de la liturgie romaine, qui s'implante lentement tout en se laissant influencer par les usages locaux, jusqu'au moment où le Saint Siège, au XVIe siècle, fait reviser les livres liturgiques et se réserve le droit exclusif d'y rien changer.

Depuis lors, les modifications se continuent, plus lentes sans doute, mais sans interruption ; elle continueront toujours, parce que le cérémonial catholique est une liturgie vivante.

Est-ce à dire que les changements sont *arbitraires*, que les modifications sont admises « sans rime ni raison », que l'autorité qui les impose, les approuve ou les tolère agit à l'aveuglette ? Il serait puéril autant

qu'injurieux pour l'autorité ecclésiastique de le supposer. Et bien qu'il reste dans l'histoire de la liturgie, comme dans nos cérémonies actuelles, bien des choses insuffisamment expliquées, il n'est pas difficile d'indiquer une série de considérations et de motifs, d'ordres très divers, qui ont joué leur rôle dans l'évolution de la liturgie, qui nous en font saisir l'esprit et fournissent l'explication complète et la signification vraie de bien des rubriques spéciales.

(A suivre).

C. CALLEWAERT.

E Sacra Congr. de propaganda fide

(Pro negotiis ritus orientalis).

Normæ in Missis ad Orientales Ecclesias transmittendis servandæ.

Cum plures prælati enucleatas instructiones postulaverint circa modum quo transmitti possint Missæ ad Ecclesias rituum orientalium, hæc S. C., ad tramites recentiorum Decretorum, has distinctas normas proponit ab omnibus ad amussim servandas:

1° Si qui velint Missas, quarum exuberet copia, ad Ecclesias rituum orientalium mittere, hoc præstare possunt non modo per hanc S. C., uti præcipitur in Decreto *Recenti* S. C. Concilii (die 22 maii 1907) (1) sed etiam per R^mos^ Delegatos Apostolicos in regionibus orientalibus constitutos. Quo in casu, necesse est significare Delegatis Apostolicis quot Missæ et quæ stipendiorum summa tradi debeant prælatis orientalibus intra cujusque Delegationis ambitum exsistentibus.

2° Nullatenus licet eleemosynas mittere ad viros laicos qui postea eas distribuant sacerdotibus Missas celebraturis.

3° Neque licet celebrationem Missarum directe committere presbyteris orientalibus.

4° Vetitum etiam est eleemosynas directe mittere ad Superiores Congregationum religiosarum orientalium.

5° Immo neque licet Missas directe committere Prælatis orientalibus qui vel Episcopi sint titulares vel simplices Vicarii Patriarchales.

6° Si vero agatur de Antistitibus habentibus jurisdictionem ordinariam episcopalem in Oriente, Missarum intentiones cum relativa eleemosyna ab episcopis et sacerdotibus ad ipsos Antistites directe mitti possunt pro necessitatibus sacerdotum dumtaxat iis subjectorum, uti declaravit S. C. Concilii die 18 martii 1908. Ne autem, ex pluribus locis

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 487.

simul, multæ eleemosynæ confluant in unam et eandem diœcesim (quod nimiam dilationem in Missis celebrandis secum ferret); ideo qui committit eleemosynas alicui Prælato orientali, certiorem faciat de numero Missarum etiam Delegatum Apostolicum regionis ad quem spectat vigilare ut Missæ, ea qua par est sollicitudine, celebrentur.

Datum Romæ ex ædibus S. C. de Propaganda Fide, die 15 Julii 1908.

F. H. M. Card. Gotti, *Præf.*
Aloisius Ghiesa Officialis.

E Sacra Congr. Concilii

De forma Sponsalium et Matrimonii.

I. Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario, aut cum duobus testibus; an potius sufficiat ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem quæ vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat.

II. An ad sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu ascriptio diei, mensis et anni.

III. An vi decreti *Ne temere*, etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus.

IV. Utrum ad valide et licite matrimoniis assistendum, ad tramitem art. VI, decreti, requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis.

V. An in locis dissitis, ad quæ missionarius singulis mensibus non venit, — in quibus tamen si peteretur haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi, — matrimonia contracta sine missionarii seu parochi præsentia retinenda sint uti valida.

VI. Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo jam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum condicio de qua in art. VIII decreti.

VII. An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinensium, præsertim: 1° quod ad sponsalium celebrationem; 2° quod ad matrimonia ex dispensatione contracta a baptizatis cum non baptizatis; 3° quod ad matrimonia contracta inter catholicos qui sub paganorum potestate sunt constituti.

VIII. Utrum subditi diœcesis Damænsis, in diœcesi tam Bombayensi commorantes, et e converso subditi diœcesis Bombayensis degentes in diœcesi Damænsi, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali, vel possint etiam coram parocho territorii.

IX. An et quomodo providere expediat casui quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quo minus matrimoniis fidelium assistant nisi præmissa cærimonia civili, quæ præmitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio.

Et Sacra Congregatio Concilii, in plenario concessu habito, die 27 julii 1908, in Palatio Vaticano, ad præposita dubia respondit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, servatis ad liceitatem, quod ad reliqua, præscriptionibus et instructionibus S Sedis.

Ad IV. Quod ad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo, et restrictam ad territorium delegantis.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Quod ad primum, negative. Quod ad secundum et tertium concedendam esse Ordinariis facultatem dispensandi a forma substantiali pro casibus tantum veræ necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus.

Ad VIII. Dilata.

Ad IX. Non esse interloquendum (1).

---

(1) Ex periodico *De religiosis et missionariis* ed. A. Vermeersch S. J., 1908, p. 269. — Quædam adnotationes sequentur.

E S. Congregatione Studiorum

De usu linguæ latinæ in studiis theologicis Seminariorum.

Rev^me Domine,

Vehementer sane dolemus quod accepimus linguam latinam in quibusdam Seminariis ita negligi, ut a disciplinis non solum Philosophiæ et Juris canonici, sed etiam ab ipsa universa Theologia remota esse videatur. Quod discipulis, iis præsertim qui subtiliori et exquisitiori ratione in magnis Lyceis ad has disciplinas applicaturi sunt, maximum affert detrimentum.

Ipsi quidem omittimus quantopere et expetenda et colenda ea esset a Clero — cui litteratum esse nunquam dedecuit — quippe cum latinæ litteræ secundum græcas ceterarum sint fons et fundamentum.

At illud in primis, quod maximi momenti et ponderis est, notari atque animadverti volumus, linguam latinam jure meritoque dici et esse linguam Ecclesiæ propriam. Et profecto hac lingua, si quando necessitas exigat, Sacerdotes disjunctarum diversarumque civitatum colloqui et scibere inter se solent ad sensa mentis pandenda, quæ aliter inter se pandere non possent. Hac lingua, in quam sacri libri veteris novique Testamenti versi sunt, Clerus canonicas recitat precationes, Sacrum facit omnesque sacros ritus et cærimonias, quas Liturgia præscribit, exequitur. Quin etiam hac lingua Summus Pontifex et sacra Consilia Ecclesiæ negotiis curandis in litteris actisque omnibus edendis utuntur. Accedit quod quos doctissimos libros sancti Patres Ecclesiæque Doctores latini scripsere, eos et huic linguæ commendarunt.

Sed præterea lingua latina cum Philosophiæ, tum sacrarum disciplinarum lingua facile dicenda est. Cum enim ipsius vis et natura ea sit, ut aptissima existimetur ad difficillimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue explicandas, hac perpetuo usi sunt a media quæ vocatur ætate usque ad totum sæculum XVIII eademque usque adhuc uti solent et scriptores in libris scribendis sive

de Theologia, sive de Jure canonico, sive de ipsa Philosophia et magistri in iisdem docendis disciplinis.

Quapropter, quum ex his quæ diximus satis appareat summa sacrorum alumnis hujus linguæ cognitione opus esse, hoc S. Consilium Studiis regundis etiam atque etiam hortatur cum magistros, ut ad normam Constitutionis Leonis PP. XII « Quod divina Sapientia », Tit. VI, cap. 82-84, hac lingua disciplinas tradant, tum discipulos, quo alacrius pleniusque, secundum Litteras Encyclicas « Depuis le jour », die VIII Mens. Sept. A. MDCCCXCIX a Summo Pontifice Leone PP. XIII datas, in hujus linguæ studium incumbant, prout sacra studia potissimum apud Archigymnasia requirunt.

Firma spe freti fore ut Amplitudo Tua omni ope et opere eniti velit, ut nostris his optatis quam optime satisfiat, dum Te oramus ut has litteras acceptas Nobis significes, peculiari cum observantia Tibi omnia fausta a Deo O. M. adprecamur.

Datum e S. Congregatione Studiorum.

Kal. Jul. A. MDCCCCVIII.

Amplitudini Tuæ

Addictissimus

Franciscus Card. Satolli.

Præfectus,

Ascensus Dandidi *a Secretis.*

E Sacra Rituum Congregatione

De officiis votivis per annum.

Ex decreto S. Rit. Cong. *Osnabrugen.*, 5 jun. 1908.

« Utrum Officia votiva antiqua de præcepto recitanda singulis feriis quintis non impeditis de SSmo Sacramento, et singulis sabbatis item non impeditis, de Immaculata Conceptione B. M. V., sint revocata per nova Officia votiva ad libitum recitanda et concessa cum decreto generali n. 3581 *Urbis et Orbis* 5 julii 1883? »

S. Cong. respondit:

« Negative, nisi expresse renuntiatum fuerit antiquis indultis, juxta ipsum citatum decretum, ubi in fine ad I legitur: *Firmis remanentibus aliis votivorum Officiorum indultis quibuscumque jam concessis* » (1).

Em. Card. Episcopi Barcinonen

LITTERÆ 18 JAN. 1908.

Sententia S. Indicis Congr. de duobus libris e « Sexe Series ».

Omnibus has visuris salutem in D. N. J. C.

Id notum sit: Cum in hac civitate, privatis colloquiis et scriptis publicis controversiæ exortæ essent de opportunitate diffundendi et traducendi ad institutionem adulescentiæ doctrinas duorum librorum qui inscribuntur, alter *Id quod adulescens novisse debet,* scriptus a Silvano Stall, alter *Id quod puella scire debet,* editus a Mary Wood Allen, hispanice translatorum et editorum Matriti, disputationes istæ occasionem dederunt reverenter interrogandi S. Sedem, ut cognoscerentur amplectendæ partes in argumento isto delicatissimo, cum agatur de normis « practicis » quæ christianam puritatem et modestiam spectant.

S. Indicis Congregatio nobis, nomine Sanctitatis Suæ, communicare dignata est, nullo pacto decere ut in Hispania adulescentia erudiatur et instituatur secundum regulas memoratis libris contentas, necesse vero esse ut iidem libri e manibus fidelium, maxime adulescentum, auferantur.

Jubet etiam Sanctitas Sua, ut infrascriptus Cardinalis prælaudatam sententiam nomine et auctoritate ejusdem S. Congregationis Indicis promulget, eandem cum om-

(1) Praxis præsenti decreto firmata semper in usu fuit in diœcesi Brugensi, juxta S. R. C. citatum decretum n. 3581 et decretum 24 nov. 1883 *Dubiorum,* n. 3597[1], nonobstante decr. 22 dec. 1883, *Tornacen.,* n. 3600, cui innitebatur praxis contraria quarumdum diœcesium.

nibus fidelibus qui hispanicam linguam loquuntur communicando.

Itaque, nomine et auctoritate S. Congr. Indicis, præsentibus litteris significamus esse a S. Sede formaliter vetitam eruditionem et moralem institutionem pueritiæ secundum doctrinas et practicas regulas quæ in prædictis libris « *Id quod adulescens scire debet; Id quod adulescentula scire debet* » contentas, observando etiam velle S. Sedem ut libri isti removeantur, præsertim a manibus adulescentulorum.

Quo commissam nobis provinciam perfectius obiremus, ipsi memoratam sententiam omnibus Hispaniæ Episcopis et aliis ad quos litteræ S. C. Indicis spectant directe mittemus.

Barcinonæ, die 18 jan. 1908.

SALVATOR, *Card. Sasanas.*
Episcopus Barcinonensis.

Ex mandato, etc.
Dr. Ramón Salvia Civit, Archipresb. Secretarius.

Monitum

In secunda ex ordinationibus prosynodalibus hujusce anni, quæ est de transmittenda notitia initi matrimonii ad parochum baptismi, errore factum est ut omissa fuerit ap. *Collat. Brug.*, suprà p. 430, præscriptio quædam quæ statuitur in Epistola pastorali, diei 15 jun. 1908, ad clerum transmissa.

Legendum igitur est:

« Ad obviandum oblivionis periculo statuimus ut ista » transmissio fiat infra biduum a contracto matrimonio. » Fiat autem mediante curia episcopali si parochus » baptismi alienæ sit diœceseos; *a nupturientibus qui* » *extra parochiam baptismi matrimonium contrahere in-* » *tendunt requiratur extractum baptismale;* atque in » omni notitia matrimonii transmittenda notetur *dies* » baptismi suscepti. »

Notæ Bibliographicæ

R. P. Delattre, des Pères Blancs. *Le culte de la Sainte Vierge en Afrique d'après les monuments archéologiques*. Paris-Lille, Sté St-Augustin, 1907; in-8, 234 p. nombr. grav. Prix: 3 fr.

Depuis les témoignages de Tertullien, les anciens Pères et écrivains ecclésiastiques de l'Église africaine ont fait ressortir la place importante occupée par Marie dans l'économie de notre salut, et leurs textes ne laissent aucun doute sur l'épanouissement du culte de la Sainte Vierge. Mais jusque dans ces vingt dernières années les *monuments* africains étaient restés muets. Grâce aux laborieuses et fécondes recherches dirigées à Carthage par le R. P. Delattre, l'archéologie ancienne est venue confirmer de la façon la plus éclatante le témoignage de l'histoire écrite. Ce sont les monuments archéologiques attestant le culte de la S. Vierge que l'auteur nous fait connaître par l'image et par une étude soignée, où il manque parfois de l'ordre.

Voici d'abord un bas-relief de grand style, malheureusement fort endommagé, qui remonte au IVe siècle, probablement au règne de Constantin et qui représente la Sainte Vierge avec l'Enfant, l'ange de l'annonciation et deux prophètes. Diverses figures d'orantes, des IVe-Ve siècles, représentent peut-être la Vierge. Bien que des figurines païennes d'Isis avec son fils Horus ne soient pas rares en Afrique, l'auteur montre clairement que quelques statuettes en terre cuite sont indubitablement des images de la Mère de Dieu. La signification chrétienne apparait plus clairement encore dans certains carreaux de terre cuite montrant un type nouveau, Marie assise sur un siège de majesté et portant l'Enfant sur les genoux. La pieuse inscription † *Maria adjuva nos* † se retrouve, en toutes lettres ou en monogramme crucíforme, sur des carreaux et sur un grand nombre de plombs de bulles, de monnaies et de sceaux, antérieurs au VIIIe siècle.

La seconde partie, traitant des monuments postérieurs au VIIIe siècle, est moins importante à notre point de vue.

C. Callewaert.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Pierre Albers S. J. *Manuel d'histoire ecclésiastique.* Adaptation de la seconde édition hollandaise par le R. P. René Hedde, O. P. T. I. Paris, Lecoffre, 1908 In-12. xxxvi-636 p.

Traduction fidèle et par suite un peu lourde du manuel très apprécié du P. Albers (cfr. *Collat. Brug.*. supra p. 531). La bibliographie a été soigneusement complétée et mise à jour.

D. Placide De Meester O. S. B. *Voyage de deux Bénédictins aux monastères du Mont-Athos.* Bruges, Desclée, De Brouwer Cie 1908. In-12, 316 p.

Description d'un voyage d'études entrepris par l'auteur afin de « s'initier à l'état des esprits et des choses de l'Eglise grecque ». Les pages les plus instructives et non les moins attachantes nous font connaître, prise sur le vif, la vie religieuse à la « Sainte-Montagne »: régime monastique, offices liturgiques, pénitences et dévotions, culture intellectuelle des moines.

Driedaagsche *oefeningen en onderrichtingen over de veelvuldige Communie,* volgens de Decreten van Z. H. Paus Pius X, vrij naar het Fransch van P. Jules Lintelo, S. J., door een lid derzelfde Societeit. Mechelen, Wed. Paul Ryckmans. In-8, 140 bl.; 1 fr.

Cf. *Collat. Brug.,* hoc t. XIII, p. 539.

Een woord *aan den werkman,* Brugge, Ryckbost, 30 p. 100 ex. 10 fr.

Gebed *en Roeping.* Men mag eene volmaaktere roeping verlangen en vragen. Naar het Fransch van P. Jules Lintelo, S. J. Mechelen, Wed. Paul Ryckmans. 0,20 fr. In-8, 20 bl ; per 12 : 2 fr.

Onderhoudt *den Zondag,* Brugge, Dezutter. 8 p. 1 ex. 5 c.; 100 ex. 4 fr.; 1000 ex. 30 fr.

Osw. Robyns, Pr. *Levensschets van Z. H. Paus Pius X.* Maeseyck, Jos. Van der Donck-Robyns, 1908; in-8°, 160 bl.

Van de Burgt. *Tractatus de Matrimonio,* t. I. Editio Tertia curante Dre Schaepman. Ultrajecti, Van Rossum, 1908.

---

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris.

—

I

Evangelia Mt Mc et Lc, si inter se comparantur, magnas similitudines necnon haud modicas differentias exhibent, de qua affinitate et discrepantia explicanda viget quæstio quæ « Synoptica » vocari solet. Dictas similitudines et dissimilitudines accurate describe (1).

II

Expone secundum mentem S. Thomæ (I, Q. XIX, a. 11) distinctionem inter Dei voluntatem *beneplaciti* et voluntatem *signi*.

III

Explica et proba assertum: Bonitas moralis intendi debet ut contrahatur, sufficit verò quod malitia advertatur.

IV

Expone et dijudica terminologiam seu modum loquendi a fidelibus, puta a pœnitentibus, in materia blasphemiæ adhibitum.

V

Solvatur sequens difficultas:

« Non est cur confessarius pœnitentem suum doceat formulam G. v. d. non esse blasphematoriam. Etenim semper manet dira imprecatio damnationis in seipsum, quæ et ipsa peccatum mortale constituit. — Nec valet hujus difficultatis solutio petita ex distinctione: Hæc *imprecatio* ubi *serio animo* fit, graviter mala est; secus autem venialiter tantum. Quæritur enim cur eadem distinctio etiam *blasphemiæ* applicari non possit. »

VI

Expone rubricas servandas in fractione hostiæ, a verbis: *Ut ope misericordiæ tuæ...* usque ad finem orationis: *Hæc commixtio...*

---

(1) « Quæstio Synoptica » exponitur proprio suo loco in Introductionibus ad Novum Testamentum. — Conferri possunt: VAN STEENKISTE, *Evangelium secundum Matthæum*, 3ᵉ et 4ᵃ ed.; TH. CALMES, *Comment se sont formés les Evangiles*; Paris, Bloud, 1899; E. JACQUIER, *Histoire des livres du N. T.*, t. II, Paris, Lecoffre, 1905.

ANNALES DE LA SOCIÉTÉ D'ÉMULATION DE BRUGES.

Revue trimestrielle — 6 francs.

SOMMAIRE DU 3me FASC. AOUT 1908:

W. H. James Weale. Lancelot Blondeel, p. 277. — C. Callewaert. Les reliques de Ste Godelive à Ghistelles et leurs authentiques (suite). Chap. III. L'authenticité des reliques. 302. — L. De Wolf. Eerstbewaarde Brugsche Keure van omstreeks 1190. 309.

Comptes rendus. — J. Van den Gheyn, S. J. Album belge de paléographie. (H. Nelis). 337. — Max Fazy. Note sur le style employé par Étienne de Tournai pour dater ses actes. (C. Callewaert). 339. — Léop. Godenne. Malines jadis et aujourd'hui. (A. De Meester). 340. — Ch. Pergameni. L'avouerie ecclésiastique belge des origines à la période bourguignonne. (A. De Meester). 342. — F. Ferrant. La sépulture de Lideric, d'Ingelram et d'Audacer, en l'église d'Harlebeke. (E. Van Cappel). 345.

Chronique. 348. — Société d'Émulation. — Sociétés savantes et Congrès. — Notes bibliographiques. — Construction évasée des hautes nefs des églises. — Chronologie médiévale en Flandre. — Nouvelles d'histoire locale: Wercken, Ypres, Bruges, Vlamertinghe, Wenduyne. — Questions. — Nécrologie.

Bibliographie analytique de l'histoire de Flandre (nn. 419 à 500). p. 356.

Nuperrime prodierunt:

Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam secundum Vulgatam editionem **Synopsis,** auctoribus A. Camerlynck, S. Th. D. et S. Sæ prof. in Sem. Brug. et H. Coppieters, S. Th. D. et S. Sæ prof. in Univ. Lovan. xxxvi-200 pp. gr. in-8o, Brugis, Beyaert, 5 fr.

***

Das Dekret über die tägliche Kommunion von **J. Mahieu**, S. T. L., Direktor des Grossen Seminars in Brügge. In's Deutsche übersetzt von D. u. H. Rixheim, F. Sutter, 1908; in-18, 78 p.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X CONSTITUTIO APOSTOLICA DE PROMULGATIONE LEGUM ET EVULGATIONE ACTORUM SANCTÆ SEDIS.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Promulgandi pontificias Constitutiones ac leges non idem semper decursu temporis in Ecclesia catholica fuit modus; a pluribus tamen sæculis consuetudo invaluit, ut earum exemplaria publice proponerentur frequentioribus quibusdam Urbis affixa locis, præsertim ad Vaticanæ ac Lateranensis Basilicæ valvas. Quæ autem Romæ, tamquam in christianæ reipublicæ centro et communi patria fidelium, promulgarentur, ea ubique gentium promulgata censebantur, vimque legis plenissimam obtinebant. Verum, quum promulgandæ legis ratio et modus a legislatoris voluntate pendeat, cui integrum est constitutas innovare ac moderari formas, aliasque pro temporum ac locorum opportunitate sufficere; idcirco factum est, ut, vel anteactis temporibus, non omnes Apostolicæ Sedis leges ac Constitutiones, memorata forma, hoc est consuetis Urbis affixæ locis promulgarentur. Recentius, sacrarum præsertim Congregationum operâ, quibus Romani Pontifices, ad leges jam latas declarandas aut ad novas constituendas, utebantur, id fere in consuetudinem venit, ut acta Sanctæ Sedis ejusque decreta, in Officio a secretis a quo edita essent legitima auctoritate vulgata, hoc ipso promulgata haberentur. Publici sic juris effecta, dubitari quidem nequit, quin acta ipsa rata firmaque essent, tum quod plerumque munita clausulis, contrariis quibusvis derogantibus, tum quod id genus promulgatio esset vel expresse vel tacite approbata a Pontifice Maximo. Huic tamen promulgandi rationi etsi plena vis esset, solemnitas illa deerat,

quam par est supremæ auctoritatis actis accedere. Eâ de causa complures Episcopi, non modo a Nobis, sed a Nostris etiam Decessoribus, quum sæpe alias, tum novissime in postulatis circa Jus canonicum in codicem redigendum, flagitarunt, ut a suprema Ecclesiæ auctoritate Commentarium proponeretur, in quo novæ promulgarentur ecclesiasticæ leges, et Apostolicæ Sedis acta vulgarentur.

Re igitur mature perpensa, adhibitisque in consilium aliquot S. R. E. Cardinalibus, Antistitum, quos diximus, excipienda vota rati, auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, edicimus, ut, ineunte proximo anno MDCCCCIX, Commentarium officiale de Apostolicæ Sedis actis edatur Vaticanis typis. Volumus autem Constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Prælati a secretis, aut majoris administri ejus Congregationis vel Officii, a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, hac una, eâque unica, ratione legitime promulgata haberi, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Sancta Sede provisum. Volumus præterea in idem Commentarium cetera Sanctæ Sedis acta referri, quæ ad communem cognitionem videantur utilia, quantum certe ipsorum natura sinat; eique rei perficiendæ sacrarum Congregationum, Tribunalium et aliorum Officiorum moderatores opportune consulere.

Hæc edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo nongentesimo octavo, III Kalendas Octobres, Pontificatus Nostri sexto.

A. Card. DI PIETRO
Datarius

R. Card. MERRY DEL VAL
a Secretis Status

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium

V. Cugnonius.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Cùm in secunda panum multiplicatione (**Mt** *XV, 32-38 coll.* **Mc** *VIII, 1-10) Apostoli prioris multiplicationis* (**Mt** *XIV, 15-21;* **Mc** *VI, 31-43;* **Lc** *IX, 11-17) non videantur recordari, et nesciant quomodo penuriæ miraculose occurri possit; cùm præterea similitudines quædam cum priore eventu deprehendantur, plures Rationalistæ* (1) *contendunt in Evangeliis duas reperiri relationes ejusdem eventûs (seu, ut ipsi volunt, ejusdem legendæ). Ipsos perperam ratiocinari ostende.*

R. In responso tria breviter proponimus: 1° paucis ostendimus indolem historicam harum narrationum evangelicarum; 2° respondemus difficultati petitæ e responso Apostolorum (*Mt* XV, 33; *Mc* VIII, 4); 3° probamus similitudines inter utramque narrationem utriusque indoli historicæ minime obstare.

I. Critici rationalistæ indolem historicam utriusque narrationis impugnant *ex præconcepta opinione,* vi cujus a priori negant existentiam ordinis supernaturalis adeoque miraculorum (2). Quam falsum sit hoc præjudicium, quantùmque veri nominis scientiæ repugnet, alibi exponitur (3); neque ad præsens locum spectat ea evolvere argumenta quibus valor historicus evangeliorum in

---

(1) Ità Schleiermacher, Credner, Haše, De Wette, Ewald, Meyer, etc.

(2) Ità Renan in Præfatione ad opus *La vie de Jésus*: « C'est parce qu'ils racontent des miracles que je dis: Les Evangiles sont des légendes; ils peuvent contenir de l'histoire, mais certainement tout n'y est pas historique ».

(3) Cf. tractatus dogmaticæ generalis.

genere stabilitur (1). Juvat potius quasdam indicare rationes speciales, quibus historica indoles utriusque miraculi confirmetur.

Prior panum multiplicatio a tribus Synopticis narratur, altera a Mt et Mc. Jamvero, si harum narrationum fontes historicos inquirimus, quomodocumque Synopticorum relatio ad invicem adstruatur (2), ad testimonium oculatum devenire oportet, imò ad varias traditiones independentes se invicem roborantes. Variæ autem differentiæ quæ inter Mt et Mc in priore narratione, in altera inter Mt, Mc et Lc deprehenduntur ipsam facti substantiam non mutant, neque ob quemvis finem apologeticum excogitatæ apparent: suo modo historicam utriusque narrationis indolem fulciunt. Singuli evangelistæ miraculum stricte dictum narrare intendunt, idque tali modo præstant ut possibilitas cujusvis fictionis seu legendæ penitus evanescat, cum nullus scopus apologeticus allegari possit, neque ullum substratum historicum prætensam fictionem suscitare potuerit (3).

---

(1) Cf. Introductiones ad N. T. et introductiones speciales ad singula evangelia. Videsis Jacquier, *Histoire des livres du N. T.*, t. I et IV.

(2) Cf. A. Camerlynck et H. Coppieters, *Synopsis*, Brugis 1908, p. XVI ss.

(3) Auctores quidam contenderunt Evangelistas probare intendisse Christi omnipotentiam solo voluntatis nutu necessaria creantem ac suppeditantem. Verùm hæc intentio apologetica nullibi cernitur: Christus occasione *fortuito* oblata utitur ut miraculose necessitati turbæ subveniat. Non est igitur mirandum eamdem conditionem turbæ esurientis eidem miraculo misericordiæ denuo ansam præbuisse.

Quædam explicationes naturales propositæ fuerunt. Ità v. g. Christus generose inter quosdam auditores distribuisset cibaria suo comitatui reservata, ejusque exemplum alios ad similem generositatem induxisset, ità ut integra turba ad satietatem manducaverit. — Verùm, omnia adjuncta historica in quibus miraculum describitur, necnon singula Evangelistarum verba tali explicationi repugnant. Ista generositas sane non induxisset populum ut Jesum Messiam confiteretur, eumque regem proclamare vellet. — Adhuc magis absurda apparet explicatio Renan (*Vie de Jésus*, 1863, p. 198): « Grâce à une extrême frugalité, la troupe sainte y vécut; on crut naturellement (??) voir en cela un miracle »!

II. *Verba discipulorum Mt* XV, 33: « Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam », et *Mc* VIII, 4: « Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine », post primam multiplicationem panum prolata, revera admirationem movere nata videntur.

Attamen non necessariò supponunt prius miraculum ab iis oblivioni datum esse, aut eos de potestate Jesu fuisse ignaros vel positive dubitasse. Sufficienti ratione explicantur ex quadam fide tarda et debili, quæ pluries a Christo fuit reprehensa cujusque exemplum mox iterum habetur *Mt* XVI, 8 ss.; *Mc* VIII, 16 ss. Ibi de modo quo victum corporalem sibi comparent denuo solliciti, non satis perpendunt ejus potestatem *duplici* miraculosa cibatione nuper manifestatam. Quod post alteram multiplicationem evenit, post priorem a fortiori accidere potuit. Verba Apostolorum igitur nullatenus ignorantiam miraculi multiplicationis panum necessario supponunt. Ergo ruit difficultas quam Rationalistæ e dictis verbis movent (1).

III. *Ad similitudines inter utramque narrationem quod attinet*, eas profectò admittimus (2): verùm inde nullo modo sequitur has narrationes velut duas relationes ejusdem eventus esse habendas. Etenim

1° Plures utriusque narrationis circumstantiæ notabiliter differunt. a/ In priore multiplicatione discipuli Dominum monent ut turbas dimittat in proximas villas et vicos ad cibos emendos; in altera ipse Christus discipulos convocat et indigentiam turbæ exponit. b/ In priore turbæ pascuntur vespere ejusdem diei quo Dominum secutæ erant; in secunda jam triduo apud Dominum versantur. c/ Differt panum pisciumque nu-

(1) Cf. Van Steenkiste, *Comment. in Matthæum*, Brugis, 1903, p. 517.

(2) Sufficit legere utramque narrationem; maxime in textu græco similitudo elucet. Notat Rose, *L'Evangile selon S. Matthieu*, Paris 1904, p. 123: « L'uniformité des narrations ne doit pas surprendre de la part d'écrivains qui ne se préoccupaient pas de varier leurs récits ».

merus: in priore afferuntur Domino quinque panes et duo pisces; in altera panes septem et pauci pisciculi. d/ Differt numerus manducantium: in priore 5000 millia virorum nutriti fuerunt, dum in postrema essent tantum 4000. e/ Differt copia fragmentorum: in priore 12 cophini impleti sunt, in altera 7 sportæ. — Ambæ igitur narrationes, duos eventus distinctos exhibent, eo vel magis quod

2° Christus ipse infra *Mt* XVI, 9 s., *Mc* VIII, 19 s., ad *duplicem* miraculosam multiplicationem *ut prorsus distinctam* provocat. Unde coguntur Rationalistæ ut hæc Christi verba interpolata esse contendant — quod omnibus sanæ critices principiis contradicit.

3° Ut jam innuimus, difficultas mota ex præjudicata mente et ex falsa de Christi miraculis opinione procedit, quasi Christus in Evangeliis hujusmodi miracula ad potentiam suam ostendendam patraret; cùm potius, ex ipsa Evangelistarum mente, duplici occasione fortuitò oblata utatur ut miraculose turbæ egestati subveniat (1). Nullus apparet in iterato hoc miraculo scopus dogmaticus vel apologeticus (2).

Ergo, his omnibus attentis, meritò concludimus impugnatam Rationalistarum doctrinam esse plane arbitrariam, ex præconceptis ipsorum opinionibus ortam.

A. Camerlynck.

---

(1) Id quoque adverti potest, si quid prodigiosi ad alterius prodigii exemplum fingitur, ipsum illud in quo prodigium consistit, non solet minui sed augeri. Hîc autem oppositum cernitur, cum in secunda multiplicatione, majore copia cibi minor hominum turba saturetur ac pauciora supersint fragmenta.

(2) Quod sapienter monet auctor acatholicus Gould, *St Mark*, Edinburgh 1901, p. 140 s.

II

Q. *Quid censes de valore sequentis argumenti:* « *Est scripta in corde omnium hominum lex quædam qua vere obligatur voluntas; atqui talis lex supponit legislatorem supremum; ergo existit supremus legislator, h. e. Deus* ».

R. Hoc argumentum, prout exponitur, et quatenus proponitur *independenter* ab aliis ut per illud demonstretur *directe* existentia supremi legislatoris seu Dei, est omnino *invalidum,* quippe quod inficitur sophismate quod vocatur *petitio principii* (1).

Etenim in *Majori* asseritur existentia legis stricte dictæ, quæ nempe inducit veram *obligationem* h. e. necessitatem moralem ponendi quasdam actiones et omittendi alias; jamvero ut homo possit habere cognitionem certam de vera obligatione *prærequiritur* in ipso cognitio certa de existentia legislatoris supremi, illius nempe qui est causa a qua homo totaliter dependet et qui consequenter habet jus imperandi homini seu imponendi ipsi *necessitatem* moralem agendi tali vel tali modo, a qua homo non potest se subtrahere: sine illa cognitione impossibile est ut homo cognoscat se *obligari.* Et sane impossibile est ut homo sibimetipsi a se solo inducat veram obligationem: si ab humana voluntate proveniret *obligatio* ipsiusmet, etiam ab humana voluntate provenire posset *solutio* ejusdem vinculi: qui enim potest imponere vinculum morale, etiam solvere illud potest.

Sed forsitan objicies: « Abstractione facta ab existentia Dei potest homo cognoscere quasdam actiones esse intrinsece bonas, alias esse intrinsece malas: ergo, ab-

---

(1) Cf. Franzelin, *De Deo uno,* Romæ, 1870, p. 53 ss.; Billot, *De Deo uno et trino,* Romæ, 1893, t. I, p. 62 ss.; Lahousse, *Theologia naturalis,* Lovanii, 1888, p. 83; Schaaf, *Institutiones theologiæ naturalis,* Romæ, 1906, n. 132 ss.; Halleux, *Le problème de la Cause Première,* Louvain, 1907, p. 45. (Extrait de la *Revue néo-scolastique,* t. XIV); Beysens, *Theodicee of natuurlijke Godsleer,* Amsterdam, 1907, p. 295 ss.

stractione facta ab existentia Dei, potest homo cognoscere saltem *se debere* vitare actiones intrinsece malas, seu esse *obligatum* ad aliquid ». Ad hoc respondeo distinguendo antecedens et negando consequentiam et consequens.

Distinguo antecedens : abstractione facta ab existentia Dei, potest homo cognoscere quasdam actiones esse de se, intrinsece, *convenientes* ipsi rationali naturæ et alias esse *difformes* ab eadem natura, *concedo*; abstractione facta ab existentia Dei, potest homo cognoscere quasdam actiones esse *obligatorie* ponendas, alias *obligatorie* omittendas, *nego*. Et sane homo considerando se ipsum, naturam suam ejusque operandi potentias, detegere potest quasdam actiones esse sibi convenientes nempe ex sese aptas ad suam perfectionem, imo necessarias ad illam, alias e contrario esse difformes, oppositas suæ perfectioni: v. gr. bonum, seu homini conveniens, est studere ad acquirendam scientiam, benefacere aliis; malum, seu homini disconveniens, est mentiri, alienum bonum rapere: sed ex hoc nondum sequitur hominem *moraliter necessitari*, quum sit *physice liber*, ad alias actiones ponendas, ad alias omittendas: si homo sibi dicat: « si *volo* fieri perfectus debeo hoc omittere » potest sibi etiam dicere: « si *nolo* esse perfectus, non debeo hoc omittere: jamvero ex natura mea sum physice liber: cur *deberem* velle id quod est conveniens potius quam id quod est inconveniens, cur *deberem* tendere ad meam perfectionem »? (1)

---

(1) « Mais ce qu'il faut affirmer c'est que s'ils s'en tiennent là (à la *morale indépendante*, c'est-à-dire indépendante et séparée absolument de l'idée de Dieu), nos savants et nos philosophes peuvent donner un code de préceptes utiles; en tout cas, ils sont impuissants à réintégrer dans l'action morale ce qui précisément la constitue telle, à savoir son caractère d'*obligation*. CAPTIER, *La morale indépendante, Revue pratique d'apologétique*, t. I, p. 319. Cf. FERRETTI, *Institutiones philosophiæ moralis*, Romæ, 1887, t. I, Thes. XXXIX-LXII, n. 115-126; SCHIFFINI, *Disputationes philosophiæ moralis*, Augustæ Taurinorum, 1891, t. I, n. 129-141; BILLOT, *De natura et ratione peccati personalis*, Romæ, 1894, p. 23 ss.; DE BAETS, *Les bases de la morale et du droit*, Gand, 1892, p. 146 ss.

Igitur ad cognitionem legis moralis stricte dictæ, h. e. importantis veram obligationem, *prærequiritur* cognitio, saltem confusa, de existentia Dei, ut creatoris nostri, cui voluntas nostra est subjecta: aliis verbis, existentia Dei est quoad nos *prius* in cognitione quam existentia legis moralis; proinde nequit cognitio de existentia legis moralis (quæ cognitio est *consequens* ad cognitionem de existentia Dei) assumi ad *demonstrandam* Dei existentiam: secus tamquam principium demonstrationis assumeretur idipsum quod est demonstrandum: hoc porro est *petitio principii.*

Adnotatio. 1. Locuti sumus hucusque de argumento desumpto ex impressione legis moralis quatenus illud affertur ad demonstrandum *directe* ipsam Dei existentiam; sed potest sumi alio modo, nempe quatenus cognitio de lege morali vigens apud homines omnes est *signum* cognitionis quam habent de existentia Dei; nempe sic recte dicitur: si habetur consensus generis humani in admittenda lege morali, stricte dicta, habetur etiam consensus generis humani in admittenda existentia Supremi Legislatoris: hoc assertum reducitur ad argumentum *ex consensu generis humani.* Hoc porro argumentum non caret difficultate (1), attamen, ut videtur, est validum.

2. Ut refutatio, quam supra exposuimus, plenius intelligatur, juvat animadvertere bene esse distinguendam conscientiam *psychologicam* a conscientia *morali.* Conscientia *psychologica* est cognitio qua nostras affectiones, nostrasque operationes attingimus tamquam *modificationes nostri proprii subjecti;* psychologicæ conscientiæ objectum proprium est « *factum* præsentis existentis *subjectivæ affectionis,* hujusque affectionis *specifica modalitas,* in sua concretione tamen ad subjectum

(1) Cf. De Munnynck, *Prælectiones de Dei existentia,* Lovanii, 1904, p. 83 ss.

quod eà afficitur » (1): igitur *facta actualiter existentia* in nobis sunt objectum conscientiæ psychologicæ. Sed conscientia *moralis* est judicium de honestate vel de obligatione actionis particularis et in concreto consideratæ (2): objectum igitur conscientiæ moralis est aliquid *ordinis intentionalis* et respicit etiam operationes nunquam ponendas: igitur conscientia moralis non est concipienda ac si esset perceptio alicujus *entis physici,* ac si, v. gr. esset *intuitio* alicujus *affectionis* existentis in anima mea.

Caveamus igitur a locutionibus quæ falsam ingerere notionem haud difficulter possunt: quales sunt, v. gr., « *sentio* me debere esse justum », « existentia obligationis est *factum* interna *experientia* certo comprobatum » etc.

3. Objiciat quis: « Sicut ab existentia *ordinis physici* potest inferri existentia sapientis ordinatoris ita ab existentia *ordinationis moralis,* i. e. legis naturalis impressæ humanæ voluntati, inferri potest existentia ordinatoris seu *legislatoris.*

Respondetur negando paritatem. Ordo physicus *ut existens* non cognoscitur immediate, sed mediate: deducitur nempe ex cognitione naturæ entium physice existentium et ex cognitione eorum operationum ac passionum, quatenus illæ sunt subjectæ modis constantibus, normis invariabilibus et physice determinatis. V. gr. ex consideratis diversis elementis ac partibus corporis humani deduco illa esse *ita* disposita *ut* inserviant variis operationibus, aliis verbis, illa esse intrinsece facta ad scopum quemdam, seu esse *ordinata:* inde deduco illius ordinis esse causam, nempe intelligentem ordinatorem. Eadem ratione hanc conclusionem deduco ex consideratis *motibus* astrorum.

---

(1) De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 150. Cf. Zigliara, *Summa philosophica,* Parisiis, 1900, (Ed. 12ª) t. I. p. 216.

(2) Cf. Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis,* Brugis, 1890 (2ª Ed.) n. 248 ss.

Sed ordo moralis non est aliqua *physica* determinatio animæ humanæ impressa, nec est aliqua *physica necessitas* operationum et passionum hominis; nec ex conderatione ipsius physicæ naturæ animæ, nec ex consideratione ipsarum operationum possum deducere ibi adesse aliquod *vinculum morale*, aliquam *necessitatem moralem* agendi: eo vel magis quod physica hominis libertas ostendit ipsum non physice determinari in illis operationibus quæ sunt objectum legis moralis. Igitur non est paritas inter modum quo acquiritur cognitio ordinis physici et modum quo acquiritur cognitio ordinationis moralis.

Præterea obligatio moralis, passive sumpta (h. e. prout est in subjecto *obligato*) nequit *ut actu existens* esse objectum immediatæ cognitionis intellectus: quia obligatio non est aliquid *physice existens* (1). Hæc obligatio est formaliter sequela *legis*, proprie dictæ et *active* spectatæ, quæ est ordinatio intellectus cui conjungitur jussio voluntatis. Jamvero lex, active spectata, est formaliter *terminus* intellectus ordinantis et voluntatis jubentis: lex active spectata non existit *extra* illum intellectum et consequenter est etiam ens *ordinis intentionalis*. Ergo etiam lex, active spectata, non immediate cognoscitur *in se*, sed tantum ut intellectus ordinantis terminum, ita ut *obligor* significet formaliter: superior me obligat, superior vult me hoc facere aut omittere. Sed hoc non possum cognoscere nisi prius cognoscam existere alium a me, a quo prorsus dependeo et qui hic et nunc vult absolute me hoc facere aut omittere (2).

---

(1) Prima principia quæ sunt objectum immediatæ cognitionis intellectus v. gr. « totum est majus sua parte » non sunt aliquid physice existens. Illud principium dicendo non dico *existere* actu *totum* aut *partem*.

(2) Bene notemus ex verbis S. Pauli (*Rom.* I, 32) non posse concludi Apostolum hoc docere quod gentes habent ex naturali rationis lumine cognitionem legis *absolute obligantis absque prævia cognitione de Dei existentia*. Apostolus non loquitur *de modo* quo Gentes acquisierunt illam legis cognitionem: de ipso facto loquitur. Præterea Apostolus antea (I, 19 ss.) dixerat omnes homines posse Deum cognoscere ex mundo visibili.

Quum hujus superioris existentis non habeam *intuitionem*, remanet ut illum cognoscam per ratiocinium. »

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Describatur influxus passionis in voluntarium et liberum.*

R. **Prænotandum.** *Passiones* intelliguntur proprio sensu, videlicet « motus actuales appetitus sensitivi, quatenus præsertim vehementiorem aliquam involvunt commotionem organismi » (1). Ab illa np. commotione seu alteratione (2), quam de se nati sunt producere, motus ipsi « vocantur *passiones*, πάθη, *perturbationes* » (3).

Passiones istæ *per se* non pertinent ad genus moris, quippe quæ physica necessitate sequuntur cognitionem objecti, attamen genus moris attingunt, quatenus imperium rationis et liberam voluntatis electionem multimodis perturbant (4). Ut clare exponit S. Thomas (5),

---

« Ideo quæ dicuntur de lege naturali, facillime, ita explicantur: *Gentes Deum, quem ex operibus naturæ jam cognoverunt, audiunt sibi per conscientiæ vocem loquentem mala prohibentem, bona imperantem.* Nam sine ulla prævia notitia Dei homines non possunt concipere ideam absolutæ obligationis moralis ». PESCH, *Tractatus dogmatici,* t. II, *De Deo,* Friburgi Br., 1894, n. 14; cf. FRANZELIN, *o. c.*, p. 52.

(1) DE JAEGHER, *Institutiones philosophicæ* (Rollarii, De Meester, 1900), n. 384. Ibidem exponitur duplicem esse partem appetitus sensitivi, *Concupiscibilem* et *Irascibilem,* et utramque habere motus sibi proprios. Cf. etiam BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis,* ed. 2ª, n. 329; ed. 3ª, n. 335. — De passionibus late et pulchre tractat S. THOMAS, 1-2, q. 22-48; et de nostra quæstione 1-2, q. 77.

(2) Hanc eamdem vocem adhibent nostrates, quando v. g. dicunt: « Non potui loqui præ *alteratione* ».

(3) DE JAEGHER, *l. cit.* — Motus appetitus rationalis *de se* non involvunt corporis alterationem et dicuntur potius *affectiones*. Cf. BOUQUILLON, *op. cit.*, n. 333 (n. 339).

(4) Cf. DE JAEGHER, *l. c.*

(5) S. Th. 1-2, q. 77, a. 1. Ibid. a. 2 explicat quo modo passio impedire possit rationis usum.

non potest passio directe trahere aut movere voluntatem, sed indirecte tantum, vel distrahendo voluntatem a functione propria, vel impediendo rectum judicium rationis, quod voluntas nata est semper sequi.

Porro inquirimus qua ratione influere possit passio in voluntarium et liberum. Hoc loco solent Auctores distinguere passionem *antecedentem* et *consequentem;* at hanc distinctionem non eodem modo explicant. Nos, claritatis ac brevitatis causa, sequemur doctrinam Angelici (1): « Respondeo dicendum, quod peccatum essentialiter consistit in actu liberi arbitrii, quod est facultas voluntatis et rationis; passio autem est motus appetitus sensitivi. Appetitus autem sensitivus potest se habere ad liberum arbitrium et antecedenter et consequenter: *antecedenter* quidem, secundum quod passio appetitus sensitivi trahit vel inclinat rationem vel voluntatem, ut supra dictum est (art. 1 et 2); *consequenter* autem, secundum quod motus superiorum virium si sint vehementes, redundant in inferiores: non enim potest voluntas intense moveri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo ».

Respondetur. Istis prænotatis, jam facilis est responsio.

Quod fit ex passione, est aliquo sensu magis voluntarium, hoc np. sensu « quod motus voluntatis sit intensior ex passione incitatus » (2); sed aliquo sensu (proprio) minus voluntarium, id est minus liberum, « quia passio minuit indifferentiam, quatenus offuscat intellectum eumque impedit ne in objecto rationem mali consideret ob quam respueretur (3) ». Hoc sensu dicit Angelicus, nulla facta distinctione: « Si igitur accipiatur passio secundum quod præcedit actum peccati, sic necesse est

---

(1) S. Th. 1-2, q. 77, a. 6. — Agit hic Sanctus Doctor de peccatis, sed idem valet de actibus bonis.

(2) S. Th. *l. c.*, ad 3.

(3) Bouquillon, *op. cit.*, n. 331 (n. 337).

quod diminuat peccatum ». Semper minuitur libertas, non tamen tollitur, nisi per accidens : « Passio quandoque quidem est tanta quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his qui propter amorem vel iram insaniunt » (1).

Adverte quod passio antecedens possit esse voluntaria : et tunc « imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa » (2). Hoc potissimum contingit quando quis passionem studiose excitat ut promptius et vehementius agat v. g. ad vindictam sumendam, et tunc dici potest *affectata ;* vel quando non excludit aut saltem impedit passionem, cum adhuc potest (3).

« *Passio* autem *consequens* non diminuit peccatum [quia operans censetur jam ad actum determinatus ante exortam passionem], sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati. Et sic verum est quod quanto aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat » (4).

Accipe ex Angelico (5) hanc applicationem ad actus bonos : « Dicendum quod bona passio *consequens* judicium rationis augmentat meritum (6). Si autem *præcedat*

---

(1) S. Th. 1-2, q. 77, a. 7.

(2) S. Th. *l. c.*

(3) Attendatur doctrina S. Thomæ hac eadem q. 77, a. 8 : Interdum « ratio deliberans [necessaria ad peccatum] non potest occurrere ; quod contingit in subitis motibus. Cum autem ex passione aliquis procedit ad actum peccati vel ad consensum deliberatum, hoc non fit subito ; unde ratio deliberans potest hic occurrere, potest enim excludere [divertendo ad alias cogitationes] vel saltem impedire passionem [ne consequatur suum effectum], ut dictum est [art. 7] : unde si non occurrat, est peccatum mortale, sicut videmus quod multa homicidia et multa adulteria per passionem committuntur ». — Illi motus subiti qui præveniunt rationem deliberantem, dicuntur *motus primo-primi.*

(4) S. Th. 1-2. q. 77, a. 6, coll. q. 73, a. 6, ad 2.

(5) S. Th. 1-2, q. 77, a. 6, ad 2.

(6) Qui facit v. g. eleemosynam *cum* majore compassione, magis meretur ; nam, ut explicat S. Thomas, signum est fortioris voluntatis, cum ejus motus redundet in vires inferiores.

(ut scilicet homo magis ex passione quam ex judicio rationis moveatur ad bene agendum), talis passio diminuit bonitatem et laudem actus (1) ».

H. MAHIEU.

IV

Q. *Indica præcipuas difficultates quæ contra praxim a confessario circa formulam G. v. d. adhibendam moveri solent.*

V

Q. *Solvantur eædem difficultates.*

R. Praxim circa formulam G. v. d. a confessario adhibendam exposuimus supra, pp. 578 ss. — Quæ contra eam, non ita pauca, in responsis conferentiarum objecta invenimus, sic pleraque (2) ad has duas classes reducere possumus :

I. **Alia sunt ordinis potius theoretici, impugnantia nimirum ipsa fundamenta quibus hæc praxis innititur :**

1. Videtur, imprimis, hæc formula, de facto esse **blasphemia** genuina : Quod variis sic ostendi potest :

Formula G. v. d., ipso sensu quem de se habet, seu **vi verborum,** quatenus np. significat : Deus damnet me est blasphemia **immediata**, utpote petitio Deo contumeliosa : Et revera α/ Deum exhibet tanquam pronum ad homines damnandos ; quod sane Deo, non ad perdendum, sed ad salvandum nos prono, injuriosum existit ; vel β/ est *provocare* ipsum, ideoque injuriose, ad dam-

(1) Qui facit eleemosynam magis *ex* compassione quam ex judicio rationis (aut fidei), minus meretur, quia « etsi motus voluntatis sit intensior ex passione incitatus, non tamen ita est voluntatis proprius sicut si sola ratione moveretur » (1-2, q. 77, a. 6, ad 3).

(2) Omittimus pro tempore difficultatem historicam potius et linguisticam, qua contenditur hanc formulam neque ex usu suo primitivo, neque ex usu hodierno sensum habere : Deus damnet me. Circa quam conferatis *Collat. Brug.*, t. 3, pp. 397 ss.

nationem alicujus; vel γ/ saltem est vilipendere Bonitatem Dei et omnia quæ pro salute nostra disposuit. Unde ob varias has rationes, Deo contumeliam infert qui sibi sic damnationem exoptat, δ/ eodem modo quo blasphemaret qui alicui imprecaretur: Perdat te Dei sanguis.

Responsum his objectis latius vide apud *Collat. Brug.*, t. III, pp. 404 s. Nimirum plane concedendum est illum qui imprecatione sua revera unum vel aliud ex dictis *significare vellet*, de facto pessime blasphemare; ast imprimis talis intentio de facto rarissime apud proferentem aderit, eo vel magis quod ipsam imprecationem contra seipsum nec ipsam ex animo proferat; dein *in ipsis verbis* nequeunt dici contineri variæ rationes objectæ: α/ ipsa enim verba *de se*, exhibent Deum ut qui *possit* homines damnare, quod sane Deo injuriam non infert: *potest* enim Deus homines damnare justo judicio pro peccatis suis (1); β/ item, ipsa hæc verba de se sunt simplex *petitio aut optatio*, quod idem tamen non est ac contumeliosa *provocatio;* secus blasphematorium esset omne perjurium exsecratorium, quod nemo dixit (2); γ/ tandem posset quis sane hanc imprecationem usurpare ut ostendat se parvipendere Bonitatem divinam quæ salutis media ipsi præparavit, ast hic sensus blasphematorius non necessario *ipsis formulæ verbis* inhæret. δ/ Ex quibus etiam patet disparitas a formula: Perdat te Dei sanguis: dum enim *Deus* vere *damnat* malos, *sanguis* contra Christi secundum obvium et communem modum loquendi pretium et fons est *salutis* omnium, adeo ut communius (3) doceant aucto-

---

(1) Intelliges aliud omnino esse, si quis sibi sic imprecaretur: Deus me inducat ad peccatum. Hæc enim ipsa verba exhibent Deum ut qui possit hominem inducere ad peccandum; quod sane *nullo sensu* Ipsi convenit. Cfr. AERTNYS, *De Imprecatione « Deus damnet me ». Dissertatio theol. et apol. Accedit Casus Conscientiæ... auctore* P. CŒLESTINO. pp. 37 ss.

(2) Ibid. p. 21 s. — Intelliges aliud esse si quis tono imperativo Deum provocaret: Deus! damna me.

(3) Cfr. NOLDIN, *De Præceptis Dei et Ecclesiæ*, n. 206.

res injuriam inferre Deo, qui Christi sanguinem ut causam et fontem damnationis exhibet.

2. Aliis visa est hæc formula **vi verborum blasphemia mediata**: Revera, aiunt, per illam homo maledicit alicui creaturæ, in qua Deus speciali modo elucet: Homo enim qui sibi maledictionem imprecatur ;/ se spectat ut aliquid relatum ad Deum, finem suum ultimum; ;/ imo, juxta quosdam, principaliter spectat animam suam, quæ est imago Dei.

Ast **respondetur** talem relationem ad Deum sane ipsis verbis non inesse, nec a proferentibus intendi nec ab audientibus apprehendi: ;/ eam enim proferens non censetur Deum spectare in seipso. Nonne hoc pacto dicendus esset *blasphemare* qui cuivis imprecaretur: Utinam moriaris! utinam terra resorbearis! diabolus te rapiat! ;/ Non censetur iterum animam suam spectare, quam non exprimit, sed se totum, hominem viventem; imo etsi ipsam animam exprimeret, dicendo: Deus damnet animam meam, nondum esset præsumendus et ab audientibus sane non putaretur spectare animam suam ut imaginem Dei (1).

3. « Quod si concedatur formulam G. v. d. blasphemiam non esse *vi verborum,* sive immediate, sive mediate, aliunde tamen idem probari potest: Blasphemia nimirum est essentialiter in eo quod significetur contumelia in Deum. Jamvero ad determinandam significationem alicujus dicti, non tantum ipsa verba *in se* sunt spectanda, sed etiam ipsa **apprehensio et æstimatio communis**: hæc enim potest alicui dicto adnectere sensum, etiam contra propriam vim verborum (2). Jamvero, ;/ adhuc *ante paucos annos,* formula hæc habebatur communiter apud nos ut significans: « Deus sit damnatus! »; tum, abstrahendo ab hoc sensu, ipsa formula, ipsa successio sonorum, communitur habeba-

(1) Circa quæ ampliora vide apud *Collat. Brug.*, l. c.

(2) Cfr. Ill. Waffelaert, *Confessarius rite institutus...* p. 26.

tur ut *aliquid* Deo injuriosum (1). Unde *erraverunt* olim, qui, dum existebat communis æstimatio hæc, declarabant hanc formulam non esse blasphematoriam. ε/ Imo *adhuc hodie* viget eadem communis æstimatio: etenim invitis monitionibus tum in confessionali, tum e suggestu traditis, nonne quotidiana experientia testatur homines pergere in eadem sua æstimatione: pergunt quotidie confiteri; pergunt se accusare de « blasphemia », gevloekt, den grooten vloek, etc.; pergunt vereri ne in confessionali pronuntient; confessario interrogante et docente pergunt mirari ac si nil unquam ipsis dictum fuisset. »

Resp. Neque *olim* errabant neque errant *hodie*, qui *bene* docebant vel docent. α/ *Olim* nimirum plane, omnibus fatentibus, *apud nos* vigebat supra descripta communis apprehensio, adeoque formula, ob æstimationem communem, erat blasphemia; sed simul verum erat hanc æstimationem communem esse nimis severam, et formulam vi verborum blasphemiam non esse. Quare, vigente dicta æstimatione communi, errasset olim qui simpliciter declarasset formulam non esse blasphemiam; minime erravit, qui, applicando doctrinam ab Ill. Waffelaert, in opusc. *Confessarius rite institutus ad impugnandam blasphemiam*, et ab Ex. Dignant, apud *Collat. Brug.*, t. III, l. c. propositam, verum sensum: *Deus damnet me*, docuit, simul erroneum « *Deus sit damnatus* » dedocendo, sic viam simul parando ad meliorem et rectiorem formulæ apprehensionem priori substituendam. — ξ/ *Hodie* contra erraret qui hanc formulam, qua formulam, ut blasphematoriam haberet et tractaret (2). Quod autem objicitur adhuc hodie per-

---

(1) Sicut hodie non ita pauci formulam G. v. — n. d-D., habent ut blasphemiam, sane non quià hæc formula de se habet sensum Deo injuriosum, — quum nullum habeat; — nec etiam quia ipsi huic formulæ tribuunt aliquem sensum, — quum nullum ipsi tribuant; sed simpliciter quia habent hanc formulam, longam, pessime sonantem, hanc successionem sonorum, ut *aliquid* Deo graviter injuriosum.

(2) Cfr. supra, pp. 581 ss.

gere *communem* æstimationem, illud tuto negari posse censemus: Sane, pergunt in confessionali, se de hac formula prolata, *accusare:* sed quo jure hoc ipsis prohiberes? Manet enim ipsis veniale saltem (1), a quo confessarius zelosus ipsos deterruit (2); unde, sicut se accusant de aliis venialibus, et in specie de variis formulis corruptis quas optime sciunt vel venialia vel nulla esse peccata, ita, et a fortiori, de hac formula possunt se accusare. — Iterum quod pergunt se accusare de *blasphemia,* non semper est signum ipsos laborare conscientia erronea: nonne enim sæpe confitentes corruptas formulas, quas certe habent ut venialia vel nulla peccata, loquuntur de prolatis « blasphemiis »; quod in specie se accusant de *magna* blasphemia, nec hoc semper indicat, etsi frequenter tamen, conscientiam erroneam, ita ut interdum audire sit hoc mirum: Protuli hanc *magnam* blasphemiam quæ nunc jam non est, vel, abolita est. — Tandem, quod sedulo notetur, ut antiqua æstimatio *communis* possit dici jam non existere, non requiritur ut *omnes* vel *maxima pars* rem *bene* cognoscat: si enim *bene multi* sufficienter *edocti* existunt, vel saltem de re *dubitant,* jam nequit dici stare simul æstimatio *communis* in contrarium. Jamvero hoc de facto obtinere, cuique confessario, præsertim in locis ubi diligenter res inculcata fuit, constare potest; imo constat vel ex solo hoc rumore publico « jam aboleri blasphemias ».

4. « Esto formulam hanc nec vi verborum nec jam æstimatione communi habendam esse ut blasphemiam. **Manet tamen in multis casibus.** Tot enim illam proferunt ex *odio* vel *ira* contra Deum; modo et adjunctis Deo et religioni revera contumeliosis! Nonne errat

---

(1) Veniale *saltem* — nam mortale esset ipsis si proferrent ex ira contra Deum, contra res sanctas, contra religionem, — quo casu, raro sane, esset ipsis blasphemia (supra, p. 580); item mortale si ut imprecationem contra seipsos, *serio animo* eam proferrent, — quo casu, rarissimo, esset ipsis imprecatio gravis (supra, p. 581).

(2) Cfr. p. 581.

confessarius qui tales docet ipsos revera non blasphemasse? »

Resp. Et graviter erraret! Sed notamus a/ non cito esse præsumendum aliquem ex ira vel odio *contra Deum* procedere: sæpe sane sic clamant irati *in homines* vel *jumenta*, rarius potius ex ira *contra Deum* (1); b/ confessarium in hoc casu *sic* debere docere: « Hæc formula ex se non est proprie blasphemia, is eigentlijk uit zijn eigen geene godslastering, neque peccatum mortale (2) sed si eam *sic* usurpas, quia vis ostendere iram tuam in Deum, etc. tamen *graviter peccas* ». Nimirum, non determinet *speciem* peccati, quum difficulter pœnitens caperet formulam simul *non esse* blasphemiam (ex se, np.), et simul *esse* blasphemiam (ob intentionem et modum proferendi).

5. « Sed esto formulam non esse blasphemiam! Semper enim manet dira imprecatio damnationis in seipsum, quæ et ipsa peccatum mortale constituit. — Nec valet hujus difficultatis solutio petita ex distinctione: Hæc *imprecatio* ubi *serio animo* fit, graviter mala est; secus autem venialiter tantum. Quæritur enim cur eadem distinctio etiam *blasphemiæ* applicari non possit ».

Responsum huic difficultati, quam inter quæstiones pro conferentiis mensis Novembris solvendam reperies, Deo juvante, infra habebis, fasc. Januarii 1909.

II. Alia sunt quæ contra praxim confessarii hac in re objiciuntur ordinis potius practici, et ad hæc præcipua reduci possunt:

1. « Sic abolentur blasphemiæ; quod ut mirum habet populus, eo magis quod rudes videntur in vita sua ordinaria talibus dictis revera indigere ».

---

(1) Unde monuimus supra confessarinm *interdum, inspectis adjunctis,* circa hanc pravam intentionem interrogare posse, puta si agitur de apostatis, socialistis, hæreticis formalibus, aliisque hominibus plane corruptis. Apud homines non omnino improbos, et apud catholicos, qui Sacramenta nondum reliquerunt, hîc pravus animus vix unquam aderit. Cfr. Aertnys, *o. c.*, p. 6.

(2) Esset nim. peccatum mortale exsecratio hæc *serio* prolata, ex intentione ut contingat; *practice* tamen passim deest hæc intentio, unde dicimus « neque peccatum mortale ». — Cfr. supra pp. 580 ss.

Resp. Sic, bene perspecta *notione blasphemiæ,* quæ eadem semper permanet, *declaratur aliquam formulam* immerito ut blasphematoriam haberi, seu notionem blasphemiæ in hac formula non verificari. Nec mirum: eam *olim* ut blasphemiam habitam, posito pessimo sensu quem ipsi tribuebant; *hodie* contra jam non ut talem haberi, posita meliori intelligentia sensus qui reipsa ipsi inest. — Nec indiget populus *blasphemiis,* sed potius eget formulis *plenis et sonantibus,* quas infeliciter nimis æquiparat blasphemiis.

2. « Tamen, quousque multi putant G. v. d. esse blasphemiam, qui eam proferet, nonne perget **dare scandalum audientibus?** non sufficienter edoctis? »

Resp. a/ Sed nonne præcise minuetur periculum hoc grave scandalum dandi, diligentiori instructione confessarii et concionatoris circa indolem non blasphemam? b/ ne confundatur, quod sæpe ab hoc objicientibus fit, verum *scandalum,* cum *admiratione* vel *horrore* quem hoc dictum apud audientes excitat.

3. « Sed mirantur boni fideles sacerdotes **hucusque falsa docuisse**; irrident mali nos per tantum tempus insurrexisse contra blasphemias, nunc autem simpliciter **eas abolere**; imo quibusdam incredibile videtur tot forte homines, ob blasphemias **damnatos,** de facto peccasse tantum **ex conscientia erronea** ».

Resp. a/ Sed nonne multi quotidie peccant ex conscientia erronea, adeo ut pro his damnari possint? b/ Hæc conscientia circa indolem blasphematoriam formulæ G. v. d. *erronea non erat;* erat enim, *ob æstimationem communem,* variis ex causis ortam, *vera* blasphemia. c/ Falso diceres blasphemias esse abolitas, quum præter illas quæ committuntur ex intentione et modo proferendi, semper maneant et eheu tot et tantæ committantur, horrendæ illæ quæ in diariis et conventibus leguntur et audiuntur (1).

---

(1) Cfr. supra, p. 573 ss.

4. « Quantum **tædium** non affert confessario tota hæc materia! Centies idem repetendum est; distracte te audiunt et oscitanter pœnitentes; audita facillime oblivioni tradunt et toties quoties eodem modo idem confitentur. Nonne pro multis, totum fere tempus debet consumere confessarius in docenda significatione: G. v. d., quod sane ubi datur concursus magnus populi, non leve creat obstaculum? »

Resp. a/ Monuimus supra (pp. 576 s.) posse *concionatorem,* clara et nitida instructione, multum conferre ad alleviandum opus confessarii b/ Utrum tædium afferre debeat zeloso confessario quidquid, etsi ingratum, conferre potest ad salutem animarum et honorem Dei promovenda? c/ Nec requiritur ut semper totam rem pœnitenti multis evolvat: ut diximus supra, pp. 580 ss., modo abfuerit ira et odium contra Deum, religionem, etc. et pœnitens non intelligat: Deus sit damnatus, practice sæpe sufficere poterit: « Hæc formula non est blasphemia; non est peccatum mortale, sed veniale tantum. Ita ipsi Episcopi Belgii docuerunt ». d/ Nec mirum tantos a confessario exigi conatus; nimis erat enim populo indita æstimatio communis quam ut facile apud singulos destruatur. Interea recolamus certo certius confessarium quemcumque *sub gravi obligari* ad pœnitentes quos forte errare putat, debite interrogandos et instruendos, et optimo modo exercere ministerium animarum, non qui cito pœnitentes dimittit, sed cui cordi est omnes suas obligationes erga pœnitentes pro posse suo perfecte adimplere.

A. Vander Heeren.

VI

Q. *Accurate describe* quomodo *facienda sint signa crucis super hostiam vel calicem vel utrumque. Breviter adde eorum* significationem.

R. I. A. *Regulæ generales.*

1. Ante omnem benedictionem sacerdos « manus

jungat ante pectus » (*Rit. celeb.* VII, 5), ut significet se prævie a Deo petere benedictionem quam daturus est (1).

2. « Cum est ad altare et benedicit oblata vel aliquid aliud, ponit sinistram [commoditatis et sustentationis gratia] super altare, nisi aliter notetur » (*Rit. cel.* III, 5). Ponitur autem sinistra « intra corporale » quando tetigit S. Hostiam (*R. cel.* IX, 1; 3); secus vero semper extra corporale, ob reverentiam erga Corpus Christi quod in corporali debet consecrari et requiescere (2).

3. Sacerdos qui signo crucis « rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei cui benedicit, ac benedicendo totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis et extensis » (*R. cel.* III, 5). Sed post consecrationem « pollices et indices non disjungit » (*R. cel.* VIII, 5) qui S. Hostiam tetigerunt.

4. Praxis autem et Auctores unanimiter docent a/ cruces faciendas esse *græcas*, quarum nempe quatuor brachia sint æqualis longitudinis; b/ directionem et longitudinem linearum mensurandas esse extremitate parvi digiti; c/ crucem ut patet constare *lineis rectis*, non vero circulis aut punctis manu saltante signatis aut quasi secatis, ut incongrue sæpissime videre est; d/ utramque lineam ejusdem crucis faciendam esse ad unam altitudinem aut planam dimensionem (sur un même plan); e/ lineas crucis nihil vel parum posse excedere dimensionem rei benedicendæ proxime præsentis.

Practice producenda est primo linea recta a puncto remotiori (vel superiori) ad punctum extremum proximius (vel imum); deinde reducatur manus seu parvus digitus ad medium hujus lineæ indeque ad extremitatem sinistram (respectu sacerdotis) lineæ transversæ; hæc deinde producitur per medium lineæ prioris versus dexteram, ita ut quatuor brachia sint æqualia.

Ad hoc punctum jam perfecta est crux, adeoque non

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 274.
(2) Ibid., t. XII, p. 116, nota.

est reducenda manus ad centrum: hoc nullibi præscribitur et solet producere incongruam manus motionem quæ crucis formam non raro in praxi destruit.

B. Quoad *applicationem regularum* adverte.

1. In signando *calice cooperto*, crucis centrum sit centrum pallæ, et ejus quatuor brachia pertingant, ex quatuor partibus, ad mediam pallæ oram et non ultra.

2. In signandis *calice discooperto* vel *sola Hostia,* efformetur crux quæ nihil vel parum calicis vel Hostiæ limites excedat.

Nota. Quærunt quidam utrum crux super sola Hostia efformanda sit ad altitudinem pallæ?

Respondetur hoc non esse præceptum, imo melius esse ut efformetur propius ad Hostiam, v. g. ad altitudinem nodi calicis. Hoc enim modo magis expresse designatur Hostia, et facilius adeoque generatim perfectius efficitur vera crux.

3. Ad cruce signandum *oblata*, seu calicem simul et Hostiam, centrum crucis ponatur in medio oræ anterioris pallæ. Linea igitur recta ducatur a centro pallæ ad oram anteriorem et inde ad æqualem distantiam ante pallam (super Hostiam) *quin manus deprimatur versus Hostiam;* transversa vero linea formetur ducendo extremitatem parvi digiti juxta anteriorem pallæ oram.

4. Fiant signa simultaneo tempore cum verbis proferendis, non ante vel post, sicut in canone notatur. V. gr. hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam, id est, dicendo *hostiam* efficiatur prima crucis linea, et dicendo *sanctam* alia linea transversa crucis.

II. Ad **significationem** autem quod attinet, non vacat singula ad trutinam revocare (1). Notum est, inde a medio ævo, acrem agitari controversiam et miram existere opinionum varietatem, signanter quoad crucis signa post consecrationem facienda.

Transsubstantiatione nondum facta, haud ægre et

---

(1) Agimus tantum de signis crucis quæ manu fiunt.

sat communiter admittunt auctores crucesignationes super oblata esse vera signa benedictionis invocativæ, quibus sacerdos, ut Dei minister, per merita mortis Christi in cruce petit ut perficiatur consecratio et sacrificium.

Transsubstantiatione autem peracta, jam non audent plurimi theologi crucesignationes, quæ fiunt in verum Corpus et Sanguinem Christi, habere ut *signa veræ benedictionis*, sed ut mera signa demonstrativa aut commemorativa, quatenus efficiuntur tantum vel ad mere designandam hostiam, vel « ad commemorandum virtutem crucis et modum passionis Christi », vel ad significandum « hostiam esse idem Corpus quod cruci fuit affixum », vel ad exprimendas benedictiones et gratias quibus Corpus Christi abundat, vel tandem hæc signa non respicere ipsum divinum Corpus, sed tantummodo eos qui Illud sunt suscepturi (1).

Verum non placet nobis illa canonis discerptio in duplicem partem illaque ejusdem signi multiplex interpretatio. Significatio uniformis, simplex, et, ut nobis videtur, vera facile deducitur ex canonis unitate, ordinatione et natura, quales supra, p. 139-140, breviter exposuimus et quibus non attenderunt conferentiarum responsa.

Ex iis quæ scripsimus apparet a/ canonem totum antiquitus habitum fuisse ut *unam orationem*, quæ sit ejusdem indolis ante et post consecrationem ; b/ eamque esse orationem præsertim *impetrationis* quacum optime quadrat signum benedictionis invocativæ seu deprecativæ ; c/ ea impetratione seu deprecatione, nomine Ecclesiæ, a Deo peti non tam ut fiat transsubstantiatio quæ ex opere operato perficitur, quam *ut per transsubstantiationem sacrificium fiat* nobis *fructuosum* et uberrime producat fructus salutares qui ex benedictione divina, per merita crucis Christi nostras dispositiones perficiente, possunt esse plus vel minus abundantes.

---

(1) Cf. H. Van den Berghe, *Ordo Missæ*, p. 99 s.

Unde crucesignationes ante consecrationem non ordinantur ad petendum ut Deus perficiat transsubstantiationem, sed ut per merita crucis Christi, « *accepta habeat et benedicat hæc † dona, hæc † munera, hæc sancta † sacrificia* », quatenus per ea transsubstantiata velit *Ecclesiam sanctam* « *pacificare, custodire, adunare* » etc., et *circumstantium vota* exaudire, nobisque Sanctorum « *meritis precibusque concedere* ut *in omnibus protectionis divinæ muniamur auxilio* » nosque « *in electorum suorum jubeat grege numerari* ». Ulterius petitur ut hanc « *oblationem... bene†dictam, ad†scriptam, ra†tam... facere dignetur ut fiat* » non absolute sed « NOBIS *Corpus et Sanguis... Jesu Christi* » (1).

Post consecrationem vero nihil obstat quominus crucesignationes sint vera benedictionis signa in ipsum Christi Corpus, quibus nempe petatur ut sacrificium sit nobis fructuosum, seu ut « *hostia † pura, hostia † sancta, hostia † immaculata* » sit NOBIS « *Panis † sanctus* VITÆ ÆTERNÆ et *Calix* † SALUTIS PERPETUÆ, et ut « quotquot... *Cor†pus* et *San†guinem sumpserimus*, OMNI BENEDICTIONE CŒLESTI ET GRATIA REPLEAMUR ». Similiter, qualiscumque sit origo horum verborum, deprecando asseritur per merita crucis Jesu [*Per quem*] Deum *hæc omnia semper bona... sancti†ficare, vivi†ficare, bene†dicere et præstare* NOBIS (2).

C. CALLEWAERT.

(1) Eodem modo intelligendum crucis signum in oratione « *Veni sanctificator...* et *bene†dic...* »

(2) Attente lege canonis argumentum quod dedimus suprà p. 139.

L'étude et l'esprit de la liturgie.

(Suite — Voir pl. h. p. 588-595).

Les divers facteurs qui ont exercé — simultanément, mais à des degrés divers — leur influence sur le développement de la liturgie catholique peuvent se ramener à quatre principaux: la doctrine théologique, le symbolisme, les raisons naturelles, le milieu historique.

Le Catéchisme du Concile de Trente rappelle aux curés que les cérémonies usitées par l'Eglise, notamment dans l'administration des Sacrements, ont été instituées à une triple fin: assurer aux saints mystères le respect religieux qui leur est dû; instruire les fidèles; exciter en eux la foi et la charité. Il en conclut que les prêtres doivent avoir à cœur de faire comprendre les cérémonies du culte (1). Si le peuple n'en saisit pas la signification, ajoute-t-il, leur utilité ne paraît pas bien grande (2).

Il va de soi que ces fins ne pourraient être atteintes si les cérémonies liturgiques ne reposaient pas sur une **doctrine théologique** sérieuse. Sans un solide fondement dogmatique, loin de perfectionner l'instruction et de nourrir la foi et la piété des fidèles, les rites sacrés ne pourraient que les induire en erreur et les porter à la superstition, comme on regrette d'avoir à la constater parfois dans certaines pratiques religieuses

(1) *Catechism. Conc. Tridentini,* p. II, c. I, t. 16.
(2) Ibid. p. II, c. II, t. 40.

populaires, qui échappent à l'influence de l'autorité ecclésiastique (1).

Le fonds d'enseignement doctrinal sur lequel repose la liturgie est merveilleusement riche. La *lex orandi* s'est toujours modelée sur la *lex credendi*. Les textes liturgiques admis par l'Eglise à travers les âges — s'ils nous étaient assez connus — suffiraient sans doute à eux seuls à établir la perpétuité de la même foi catholique. Tels que nous les possédons dans nos plus anciens sacramentaires, antiphonaires et missels ou dans des documents spéciaux comme le rotulus de Ravenne, ce sont des témoins vénérables et autorisés de la tradition. Et on peut s'étonner à bon droit que les maîtres de la théologie positive et polémique ne les invitent pas plus fréquemment à venir déposer, dans les controverses actuelles, en faveur de la doctrine traditionnelle.

Quoiqu'il en soit des textes anciens, les prières que nous récitons tous les jours ou au cours de l'année liturgique, renferment les principes d'une théologie presque complète, en même temps qu'elles fournissent la clef de bien des explications liturgiques et la raison d'être d'une foule de cérémonies.

Sans le dogme du purgatoire nous n'aurions pas les prières et les rites pour les défunts. La doctrine de la médiation universelle du Verbe incarné peut seule expliquer la formule finale de la plupart des oraisons liturgiques: « Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum qui Tecum... in unitate Spiritus Sancti... ». Ce n'est qu'en vous rappelant que le sacrifice de la Messe est le renouvellement non sanglant du sacrifice de la croix, que vous comprendrez la nécessité de la présence d'un crucifix bien visible sur l'autel (2). Et si

---

(1) Le cas se rencontre parfois aussi dans la liturgie propre à certaines églises particulières, au moyen âge: il faut attribuer ces pratiques à l'action souvent abusive des influences populaires.

(2) Voir *Collat. Brug.*, t. IX, p. 333 ss.

vous songez que cette croix n'est qu'une simple image de ce Jésus, qui est réellement et substantiellement présent dans la Sainte Hostie, vous vous direz que la S. Congrégation des Rites a pleinement raison de ne pas tolérer que la croix d'autel soit placée, exactement comme l'ostensoir, sous le trône, à la place et avec le décor réservés au S. Sacrement (1). C'est parce que la mort du Christ sur la croix est la cause méritoire de toute grâce, que l'Église multiplie les signes de croix dans ses bénédictions et ses prières (2); c'est parce qu'Elle nous enseigne que sans le secours surnaturel de Dieu il est impossible de prier d'une façon salutaire que, prêchant d'exemple, Elle commence presque toutes les prières liturgiques par Adjutorium nostrum in nomine Domini ou « Deus in adjutorium meum intende » (3). La tradition des instruments aux divers ordinands et les formules qui l'accompagnent ne font-elles pas saisir clairement la doctrine de l'Église sur les pouvoirs et les fonctions propres aux divers ordres de la hiérarchie?

Et quel admirable enseignement théologique ne se dégage-t-il pas des *oraisons* liturgiques, surtout des plus anciennes! Car ce qui distingue ces oraisons, ce n'est pas seulement l'harmonie des cadences réglées d'après le *cursus*, ou la vigueur de l'expression, ou la remarquable concision du style, c'est encore la richesse et la sûreté de la doctrine théologique. Voyez par exemple l'oraison: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a Te semper incipiat et per Te cæpta finiatur*. N'est-ce pas, en résumé, un traité sur la grâce? Avec quel art, comme nous le faisait remarquer un Séminariste, toute l'économie de notre Rédemption n'est-elle pas exprimée dans cette prière qui nous est si

(1) Ibid. t. IX, p. 337; t. X, p. 182.
(2) Ibid. t. XIII, p. 40; 629.
(3) Ibid. t. XIII, p. 41.

familière, l'oraison de l'*Angelus*, qui débute par la « grâce » pour finir par la « gloire »?

Prenez votre missel et lisez attentivement, l'une à la suite de l'autre, les oraisons de la messe : vous serez émerveillé des trésors de doctrine qu'elles renferment. Au point de vue de la morale, vous y trouverez le code d'une vie vraiment chrétienne et parfaite. Au point de vue dogmatique, les perfections divines sont admirablement traitées dans l'invocation, qui est souvent le premier membre de l'oraison; la doctrine sur la grâce et la prière se retrouve partout, mais surtout dans les collectes; les postcommunions renferment tout un traité sur la Sainte Communion. Et tandis que intelligence est éclairée, le cœur s'échauffe, les pieux sentiments surgissent, la volonté se sent affermie dans le bien et la grâce divine descend sur l'âme. *O si scires donum!*

L'Écriture Sainte et la tradition sont les sources de l'enseignement de l'Église. Or les psaumes de l'Ancien Testament, entrecoupés de lectures tirées de tous les autres livres impirés et des écrits patristiques, constituent la partie essentielle du Bréviaire et les principaux passages du Nouveau Testament sont lus pour l'instruction des fidèles dans la partie didactique de la Messe (1).

La *vie de Notre Seigneur* fournit encore à l'Église une abondante matière d'enseignement liturgique.

Rappeler au pieux souvenir des fidèles et honorer, autant que possible dans leur succession historique, les principaux faits et mystères de la vie temporelle de Jésus-Christ, afin de nous faire « revivre la vie du Christ et nous rapprocher de Lui », tel est le but et le fond principal de l'année liturgique (2). Celle-ci se développa lentement mais logiquement en groupant autour de deux centres, Noël-Épiphanie et Pâques,

---

(1) Voir *Collat. Brug.*, t. XII, p. 723 ss.

(2) Dom F. Cabrol, *Les origines liturgiques*, chap. VIII : La semaine sainte et les origines de l'année liturgique.

toutes les fêtes commémoratives des mystères de la vie de Jésus, depuis sa naissance jusqu'à sa mort, sa résurrection et son ascension avec le couronnement de son œuvre au jour de la Pentecôte. Ce processus logique fournit la raison de la place assignée dans le cadre de l'année liturgique aux fêtes plus récentes de Notre Seigneur (1).

D'autres faits particuliers de la vie de Jésus sont reproduits dans la liturgie. Ainsi toutes les cérémonies qui accompagnent l'acte de la consécration — sauf l'élévation et les génuflexions qui sont de date plus récente (2) — ne sont que l'imitation de ce que Jésus lui-même a fait à la dernière Cène. Quand l'évêque, comme faisait autrefois tout célébrant, salue l'assistance des fidèles par les mots *Pax vobis*, il ne fait que répéter le salut du Sauveur ressuscité à ses apôtres (3). Et le prêtre qui entre dans la maison ou l'appartement d'un malade en disant « Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea », accomplit à la lettre un précepte donné par Notre Seigneur à ses disciples (4).

Non contente de se conformer strictement à la doctrine de la foi, de répéter soit littéralement, soit théologiquement les enseignements de Jésus, de rappeler et d'imiter les faits de sa vie, la liturgie cherche à rendre son enseignement intuitif et persuasif, en s'adressant aux yeux et à l'imagination des fidèles, en usant largement d'un **symbolisme** qui s'inspire de l'Écriture, de la nature des choses et des usages reçus.

A l'office de la vigile de Pâques, célébré primitivement durant la nuit de la résurrection, on allume solennellement avec un feu nouveau, le grand *cierge pascal*, dont la flamme se communique bientôt à la lampe du

---

(1) Voir par ex *Collat. Brug.*, t. XII, p. 47.
(2) *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 141.
(3) Ev. S. Joan. XX, 19; 21; 26.
(4) Ev. S. Luc. X, 5.

sanctuaire et aux cierges de l'autel. C'est le symbole de la résurrection de Celui que S. Jean appelle « la vraie lumière qui éclaire tout homme » (1). Puisque le cierge, avant d'être allumé doit représenter le corps inanimé du Christ, la liturgie poussant plus loin l'idée symbolique, a figuré dans la cire les cinq plaies du corps sacré, ainsi que les aromates dont les pieuses femmes embaumèrent le corps du Sauveur. Elle a voulu encore que le cierge symbolique ne fut définitivement éteint que le jour où l'Ascension allait soustraire pour toujours le Christ à la vue de ses disciples ici-bas (2).

Rien de plus suggestif, au point de vue du symbolisme, que les *cérémonies baptismales*. Le démon sera chassé de l'âme par le baptême: c'est ce que signifient les exorcismes, rites préparatoires au baptême: ordre intimé au démon au nom de la Sainte Trinité, *exsufflatio*, impression de la croix, imposition des mains, renonciation. L'action divine, représentée dans l'Écriture comme un souffle, est symbolisée, dans le baptême des adultes, par l'*insufflatio* (3). Elle efface tout péché et donne à l'âme une innocence que l'Écriture compare à la blancheur de la neige (4). Elle infuse la grâce sanctifiante comme une disposition habituelle, qui fait du baptisé un héritier du ciel, et qui trouve son expression symbolique naturelle dans le vêtement blanc que l'Écriture attribue aux anges et aux élus (5). Enfin la vertu surnaturelle de foi conférée par le baptême, le « sacramentum illuminationis », est un flambeau qui éclaire le baptisé et en fait un « enfant de la lumière » (6).

---

(1) Evang. S. Joan. I, 9.

(2) *Collat. Brug.*, t. X, p. 400.

(3) *Collat. Brug.*, t. X, p. 668.

(4) Isaïe, I, 18; Ps. *Miserere* v. 9.

(5) Matth. XVII, 2; XXVIII, 3; Act. Apost. I, 10; Luc. XXIV, 4; Apoc. VII, 9.

(6) S. Joan. XII, 36; Eph. V, 8; 1 Thess. V, 5.

Cela suffit amplement pour légitimer le symbolisme de la robe blanche — aujourd'hui remplacée par un voile blanc — dont on revêt le baptisé et celui du cierge allumé qu'on met entre les mains du néophyte.

La cérémonie de l'*Ephpheta* (1), la percussion de la poitrine et l'imposition des cendres en signe de contrition et de pénitence, la couleur noire pour marquer le deuil, l'autel et l'évangéliaire figurant Jésus-Christ, les cierges de la Purification représentant Celui que Siméon saluait au Temple comme la « Lumière qui allait se révéler aux Gentils », la solennelle ouverture de la porte de l'église fermée pendant la procession des Rameaux pour symboliser l'entrée triomphale du Rédempteur dans l'église de la Jérusalem céleste (2), voilà autant d'exemples d'un symbolisme de très bon aloi, fondé sur des analogies naturelles et l'usage scripturistique. Et il ne serait pas difficile de les multiplier. Car l'influence du symbolisme a été considérable et s'est accentuée pendant tout le moyen âge.

Mais tandis que les anciens rites symboliques se développaient régulièrement, et que la liturgie s'enrichissait de nouveaux symboles, les liturgistes du moyen âge se sont ingéniés à trouver des interprétations allégoriques pour toutes les cérémonies déjà existantes, parfois même à l'encontre du sens des paroles qui accompagnent les actions liturgiques. Durand de Mende surtout établit définitivement et vulgarisa cette méthode qui eut son contre-coup dans la liturgie elle-même.

C'est ainsi que chez ces auteurs toutes les cérémonies de la messe, sans exception, finirent par ne plus être interprétées que comme des souvenirs de la vie ou de la passion de Notre Seigneur. Ainsi encore les ornements sacerdotaux, qui ne furent à l'origine que les plus convenables vêtements en usage dans la vie ordi-

(1) *Collat. Brug.*, t. XI, p. 103.
(2) Ibid. t. XII, p. 206 ss.

naire, symbolisèrent d'abord les vertus nécessaires au célébrant et devinrent ensuite autant de symboles représentant les divers vêtements portés par le Christ durant sa passion (1). L'exagération et la vogue de ce système d'interprétation ont fait perdre de vue qu'une foule de cérémonies ont été introduites sans aucune idée symbolique, le plus naturellement du monde.

Tout le fond principal de la liturgie étant organisé, comme nous venons de le voir, sur la base d'un sérieux enseignement théologique vivifié par le symbolisme, dans le but de mettre en valeur et de faire comprendre et estimer par les plus simples fidèles les mystères de la religion, il va de soi que la pratique du cérémonial a dû exercer à son tour une influence sur les rites et que bien des rubriques accessoires ont été introduites pour des raisons naturelles, pour des motifs de convenances, de dignité ou de logique, de nécessité matérielle ou de facilité de cérémonial.

Les rubriques, a-t-on dit, sont le code de la *politesse* envers le bon Dieu. Si on s'en souvenait toujours, on les traiterait probablement avec un peu moins de désinvolture et on les trouverait moins arbitraires. On comprendrait p. ex. qu'elles prescrivent de faire, par respect, dans diverses circonstances, une inclination de tête, c'est-à-dire une révérence, à la croix devant laquelle on passe, à Jésus, à Marie, au Saint du jour, quand on prononce leur nom, à l'évêque qu'on approche, à ceux qu'on encense, etc.; on se dirait tout naturellement que la révérence doit être d'autant plus prononcée que la dignité de celui à qui elle s'adresse est plus élevée (2). Étant admis que l'évangéliaire représente Jésus-Christ, il n'est que convenable, qu'on le porte solennellement, qu'on l'encense, qu'on le baise avec respect, et qu'on

(1) Voir sur toute cette évolution *Collat. Brug.*, t. XI, p. 551 ss. Au sujet du manipule en particulier, voir ibid. p. 547.

(2) Voir *Collat. Brug.*, t. X, p. 204 ss.

dirige vers lui les révérences exigées par le nom de Jésus (1). Il suffit de même d'un moment de réflexion pour trouver convenable et très importante cette règle cependant si peu observée : « oculis demissis ».

Les nombreuses rubriques qui prescrivent au diacre assistant de continuels déplacements à l'autel ou dans tout autre ministère, vous paraissent peut-être arbitraires et inextricables. Détrompez-vous. Songez un moment que le diacre est, comme son nom l'indique, le ministre du célébrant, c'est-à-dire inférieur en dignité au prêtre et appelé à lui prêter le concours de son ministère, partout où cela peut être utile. En règle générale donc, pendant les moments libres, il prendra une place qui marquera le rang supérieur du prêtre, c.-à-d. à l'autel, derrière lui sur un degré inférieur, en dehors de l'autel, à la gauche du prêtre s'il assiste seul, à sa droite si le sous-diacre est présent. Mais du moment où il doit effectivement aider le célébrant, p. ex. pour préparer et présenter le pain et le vin, offrir l'encens ou le goupillon, soulever la chasuble ou la chape, tourner les pages du missel, couvrir ou découvrir le calice, il ira immédiatement se placer là où le service à rendre requiert sa présence : sauf pour le missel, ce sera évidemment d'ordinaire à la droite du prêtre. A la lumière de cette idée générale si simple, les rubriques du diacre vous paraîtront logiques et faciles (2).

Vous trouvez peut-être étrange et — qui sait ? — mesquin que le clergé, au chœur, doive si souvent changer de position. Seriez-vous, par hasard, moins condescendant que l'Église qui permet de prendre, à condition qu'elle reste convenable, qu'on ne se croise pas les jambes p. ex., la pose la plus commode pendant les parties de la messe ou de l'office les moins importantes et les plus longues, comme pendant les psaumes,

(1) Ibid. t. XI, p. 548.
(2) Voir *Collat. Brug.*, t. X, p. 675.

les responsoria et les lectures à l'office, durant le *Gloria,* l'épître et le graduel, le *Credo* etc. de la messe. Ou ne trouvez-vous pas convenable qu'on s'agenouille, par respect pendant la consécration ou la bénédiction du prêtre, par esprit de mortification à certains jours de pénitence? Et si, en dehors de ces circonstances, il vaut mieux se tenir debout, ne convient-il pas de se tourner vers le milieu du chœur, pour l'encensement, le *Confiteor,* les chants où les deux parties du chœur alternent, ou pour écouter la *lectio brevis* qu'on vient y lire? Enfin, quoi de plus naturel que de se tourner vers l'autel, c'est-à-dire vers la croix, pendant les oraisons ou autres prières d'impétration, ou encore de diriger la face vers le célébrant quand il faut s'associer à ses prières ou alterner avec lui?

La nature même des choses usitées ou des rites admis a entraîné l'observation de certaines règles.

Si l'épître et l'évangile ont pour but d'instruire les assistants, il fallait bien les réciter à haute et intelligible voix, tout comme les lectures publiques doivent l'être — mais le sont si peu, hélas — de nos jours. Puisque la liturgie romaine a adopté la langue latine, il faut bien observer l'accentuation, qui fait partie de la langue; et il est absurde de chanter *Náaremus* au lieu de *Orémus,* parce que le premier terme n'a pas de sens. Pour chanter l'*Ite missa est,* le diacre s'est toujours tourné vers le peuple, puisque c'est l'assistance qu'il avertit (1). Pourquoi le prêtre ne peut-il pas garder le voile huméral pendant tout le salut du S. Sacrement? Parce que ce voile n'est pas un vêtement (2).

Plus d'un rite a été admis simplement pour *exprimer d'une façon sensible le sens des formules récitées.* Les paroles ont attiré les gestes. Ainsi s'expliquent les signes de croix pour les bénédictions, les génuflexions

---

(1) *Collat. Brug.*, t. X, p. 440.
(2) Ibid., t. X, p. 336.

aux mots « et *procidentes* adoraverunt eum », « ut in nomine Jesu omne *genu flectatur* », « venite adoremus et *procidamus* ante Dominum », l'inclination du corps à la prière « in spiritu *humilitatis* », le baiser de l'autel aux mots « ex hac altaris *participatione* » etc. (1). Vice-versa la génuflexion et le lever de l'assistance a amené les monitions du diacre: *Flectamus... Levate.*

D'autres cérémonies doivent leur origine aux *nécessités matérielles du service* on au désir de *faciliter le cérémonial.* Avant de devenir des insignes épiscopaux, la bougie et le bâton pastoral avaient été des objets d'utilité pratique. Si le célébrant quitte le milieu de l'autel pour préparer le calice, et pour l'ablution des doigts, c'est parce qu'on ne permettait pas au servant de messe de s'approcher du milieu de l'autel; au contraire, s'il reste en place pour la purification du calice, c'est qu'il lui est facile d'étendre le calice assez loin. Les rubriques prescrivent en général au célébrant qui s'agenouille, qui baise l'autel ou qui incline le corps, de mettre les mains, séparées ou jointes, sur l'autel: de cette manière il se soutient plus facilement (2).

Parmi les cérémonies que la nécessité ou la facilité du cérémonial avait fait éclore, plus d'une a acquis à la longue une signification symbolique et est restée en vigueur bien que la nécessité matérielle n'existe plus.

La chasuble primitive, la *penula* des Romains, fermée de tous côtés et descendant jusqu'aux pieds, devait considérablement gêner le prêtre toutes les fois qu'il avait à élever les bras. Tout naturellement le diacre soulevait le vêtement replié sur les bras du prêtre, à l'offrande du calice, à l'encensement, plus tard à l'élévation. Lorsque les échancrures pratiquées aux deux côtés eurent peu à peu rendu l'assistance du diacre moins nécessaire, on s'était habitué à voir dans le soulèvement de la chasuble

---

(1) Nous en avons donné d'autres exemples *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 135.
(2) *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 510, nota.

une marque de déférence, que la liturgie actuelle conserve à ce titre, bien que la routine, ayant fait perdre le sens de la cérémonie, celle-ci d'ordinaire ne consiste plus qu'à montrer la doublure de la chasuble!

C'est une raison de propreté, jointe à une idée de respect, qui introduisit la prescription rubricaire d'après laquelle le prêtre doit se laver les mains avant toutes les cérémonies qui exigent l'attouchement des saintes Huiles ou du Saint Sacrement. Tant que le prêtre devait recevoir à l'autel les offrandes des assistants, la même raison pouvait rendre nécessaire ou conseiller de répéter l'opération avant de continuer la célébration de la messe. Mais la propreté matérielle des mains devint bien vite le symbole de la pureté de l'âme requise pour l'oblation du sacrifice. Aussi l'Eglise a-t-elle maintenu à juste titre l'obligation de se laver soit les mains, s'il y a eu encensement, soit l'extrémité des doigts, dans les messes basses.

(A suivre).

C. Callewaert.

E Sacra Congregatione Concilii

Romana et Aliarum. — Dubiorum circa Decretum de sponsalibus et matrimonio.

ADNOTATIONES ad responsa data die 27 Julii 1908, quorum tenor refertur suprà, p. 597 s.

In **primo responso** solvitur dubium in varium sensum ab interpretibus Decreti agitatum, circa mutuam scil. præsentiam sponsorum cum parocho vel testibus in subsignando instrumento sponsalitio. Porro decernitur, secus ac opinati sumus suprà, p. 57, ad *valida* ineunda *sponsalia* partes teneri subsignare scripturam *simul et unico contextu* cum parocho, aut cum duobus testibus; et non sufficere ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem quæ vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat.

Contrariam sententiam vindicabat *Canonista* (R. P. Ojetti) in *Voto* (1), ac ipse etiam *Consultor*, favens decisioni datæ, fatebatur verba Decreti, prouti sonant, componi posse cum interpretatione nostra, « cum requirant tantùm scripturam subsignatam, abstrahendo a circumstantiis *quomodo*, *quando* » (2): optat tamen laudatus *Consultor* ut a S. Congregatione exigatur subsignatio uno contextu, utpote conformior spiritui legis, eo vel magis quod « si admitteretur validitas sponsalium per scripturam subsignatam diverso tempore, sponsis non compræsentibus, via facillima aperiretur fraudibus et deceptionibus ».

Secundum responsum postulat, idque valde opportunè, ut ad *sponsalium* validitatem, in scriptura appo-

(1) *Anal. Eccl.*, 1908, p. 337.
(2) *Ibidem*, p. 333.

natur *data*, seu mentio diei, mensis et anni (1). Unde deducit R. P. VERMEERSCH, *De Religiosis-Periodica*, 1908, p. 271, ad analogiam cum jure civili, ex falsa inserta data infirmari actum sponsalitium, excepto casu quo error fuerit involuntarius, et ex ipso instrumento vera data erui possit.

In **tertio responso** applicatur dispositio Decreti, sub art. IV, § 3, inserta, *matrimoniis mixtis,* quatenus deinceps, uti jam notavimus suprà, p. 65, in nota, assistentia passiva, qualis in hujusmodi matrimoniorum celebratione præscribi solet, ita sit intelligenda, ut non excludat omnem actum positivum parochi seu sacerdotis assistentis: oportet nimirum, etiam tunc, ut, ad tramites invocati articuli, parochus *exquirat et percipiat nupturientium consensum.*

Sub **quarto responso** docetur principia quæ regunt *delegationem* in re matrimoniali integra et non mutata subsistere, salva necessitate, per Decretum *Ne Temere* introducta, eam faciendi sacerdoti certo ac determinato, et restrictam ad territorium delegantis.

Integra proinde manent omnia quæ spectant validitatem et liceitatem delegationis ad universalitatem causarum vel ad casum particularem, ejusdemque perseverantiam vel cessationem, salva dicta duplici restrictione facta.

Sub **VII** tanguntur dubia ab Ordinariis Sinensibus proposita circa observationem Decreti, quam difficilem vel et impossibilem proclamant pro sponsalibus aut matrimoniis ineundis inter partem catholicam unam, et alteram paganam, vel inter catholicos sub potestate paganorum constitutos: quatenus non poterunt hujusmodi sponsalia, attentis populi moribus tenacissimis, coram testibus contrahi, nec dictæ nuptiæ coram sacerdote celebrari:

---

(1) Illa inserenda jam curavimus in specimine formulæ sponsalitiæ, juxta monitum p. 57; hucusque tamen non constabat de hujus mentionis necessitate.

Porro S. Congr. urget dispositiones Decreti etiam in Imperio Sinensi, et quidem pro sponsalibus, *absolutè*, siquidem licitè prætermitti possunt; pro matrimoniis vero illas urget *cum hoc moderamine,* ut concedendam velit Ordinariis facultatem « dispensandi a forma substantiali, pro casibus tantùm veræ necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus ».

Dubium **octavum** attingit controversiam exortam inter Episcopum Bombayensem et Damanensem, circa respectivam competentiam parochi *personalis* et *territorialis* ad assistendum matrimoniis (1). Nimirum postulatur utrum incolæ alicujus loci, qui sub jurisdictione constituuntur alicujus parochi personalis, debeant, ad valorem et liceitatem, nubere coram parocho illo personali, utrum vero id possint et valeant etiam coram parocho loci, in quo commorantur. Jamvero responsum distulit S. Congr.; consultor autem censebat matrimonia illa pro valore posse contrahi coram alterutro parocho, pro liceitate vero coram solo parocho personali.

Dubia, posita sub **V, VI** et **IX,** spectant interpretationem dandam articulo VIII Decreti, quod providet ut, si in aliqua regione nec parochus loci nec sacerdos delegatus haberi possit, eaque rerum conditio a mense perseveret, matrimonium iniri valeat coram duobus testibus, absque præsentia parochi seu sacerdotis.

Nimirum 1°/ docetur illam dispositionem art. VIII non esse applicabilem in locis dissitis, ad quæ missionarius singulis mensibus quidem non venit regulariter, sed in quibus tamen, si peteretur, haberi posset: quod cæteroquin haud obscurè ex ipso textu præfati art. VIII eruitur.

2°/ Meritò statuitur quod rerum conditio, ratione cujus impossibile est adire parochum aut delegatum,

---

(1) Cf. dubia coram S. C. C. soluta die 1ª Febr. 1908, apud *Collat. Brug.*, suprà, p. 302 ss.

censetur perdurare nec interrumpi ob momentaneum, inopinatum et fidelibus prorsus ignotum transitum per aliquem locum, a quo jam a mense missionarius abest: talis namque transitus non est attendendus, ac revera est quasi non esset.

3°/ In ultimo dubio solutio postulatur circa quæstionem momentosam valdè pro nostris regionibus, uti apparet ex suprà expositis p. 514 ss., utrum scil. et quomodo « *providere expediat casui quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quominus matrimoniis fidelium assistant, nisi præmissa cæremonia civili, quæ prætermitti nequeat, et tamen pro animarum salute omninò urgeat matrimonii celebratio.*

Nimirum R. P. Ojetti, *In Jus Ante-Pianum et Pianum*, n. 122, opinatur huic difficultati sponte provideri in ipso Decreto, quatenus articulo VIII Decreti hic applicetur, adeo ut matrimonium coram duobus testibus liquidò valeat, quotiescumque cæremonia civilis matrimonio religioso, cæteroquin urgenti, præmitti nequit, nec adeo parochus absque gravis pœnæ comminatione, nuptiis assistere potest; quam opinionem coram ipsa S. Congregatione vindicavit in egregio suo *Voto*, suprà citato; videtur autem nimium coarctare frequentiam hujusmodi casus, quasi vix aliter obtineret quam cum moribundis; aliàs enim frequenter etiam contingit, quemadmodùm suprà monuimus, p. 520 et 522, in nota, et iterùm instanter monemus.

Porro noluit S. Congreg. dubium formiter solvere, et, mutato tenore (1), respondit: « *non esse interloquendum* ». Quid autem sub hac formula evasoria intenderint Em. Patres, non liquet.

An forsitan ita implicitè approbare voluerint inter-

---

(1) Tenor dubii, a R. P. Ojetti in sensum affirmativum soluti, sic sonabat: « An, quum ex una parte lex civilis parochis impossibile reddit matrimoniis fidelium assistere, nisi præmissa fuerit cæremonia civilis, ex alia vero hæc ipsa cæremonia civilis præmitti non possit, applicari possint dispositiones art. VIII Decreti? ».

pretationem R. P. Ojetti, providè omittentes explicitam ejusdem interpretationis approbationem et applicationem, ne videantur arma suppeditare ad eludendam legem civilem, cum offensione forte potestatis sæcularis inde exorienda? Profectò non improbatur laudata interpretatio, et, stantibus argumentis quæ in ejusdem favorem invocari possunt, attenta etiam Auctoris auctoritate haud mediocri, nescio utrum ipsi deneganda sit vera probabilitas (1).

Jamvero sufficit probabilitas illius interpretationis ut in praxim ducatur: agitur enim de dubio *juris* circa existentiam impedimenti *ecclesiastici*, in quo, omnium consensu, Ecclesia certò supplet.

Quibus omnibus attentis non auderemus habere qua

---

(1) Equidem non est diffitendum quod art. VIII videatur directè et exercitè spectare casum impossibilitatis *communis*, eo vel magis quod speciem habeat sanctionis authenticè confirmantis doctrinam hucusque inter Auctores admissam de cessatione legis clandestinitatis in casu impossibilitatis generalis; atvero etiam hîc, in nostro casu, impossibilitas non est particularis, sed suo modo generalis, cum sese extendat ad integrum quoddam personarum genus, illarum nempe quæ civile matrimonium præmittere nequeunt, quarum personarum numerum haud exiguum esse novimus, uti experientia abundè liquet.

Argui etiam posset forsitan, in favorem dictæ interpretationis, ex eo quod S. Congr. non probaverit schema canonum prius propositum, (*Acta S. Sedis*, XL, p. 565 et 570) facultatem nubendi coram duobus testibus restringens ad casum impossibilitatis generalis, eique substituerit præsentem tenorem, quasi voluerit ostendere non requiri impossibilitatem afficientem omnes moraliter personas alicujus loci, sed potius impossibilitatem regionalem, afficientem aliquam regionem, quamvis nonnisi quoad partem quamdam incolarum, etiam valde restrictam. Quinimò Card. Gennari, *Breve commento*..., p. 52, eò procedit ut doceat jam sufficere, sub præsenti disciplina, impossibilitatem *particularem*.

Cæterum, uti scitè advertit R. P. Ojetti, simile dubium fuit benignè solutum in gratiam insulæ Curaçao, anno 1785 (*Collectanea* S. C. de P. F., n. 1515), ubi matrimonium coram Ecclesia non poterat celebrari ante cæremoniam civilem, sub pœna mulctæ 500 florenorum a parocho solvendæ, pro matrimonio autem civili celebrando a catholicis solvendi erant 50 floreni. Utique impossibilitas nubendi coram parocho ibidem frequentior erat et universalior quam apud nos, sed nec ibidem erat strictè generalis, cum solos passim pauperes attingeret; erat etiam impossibilitas dumtaxat moralis et non physica.

invalida matrimonia, absque sacerdotis assistentia coram duobus dumtaxat testibus celebrata, quando, ratione conditionis in nostra regione obtinentis, graviter prohibentis benedictionem matrimonii cui non præcesserit matrimonium civile, in casu impossibile, quando, inquam, tum parochus tum Ordinarius, debitè rogati, nuptiis per se vel per delegatum assistere detrectant (1).

Tali autem modo procedatur ut nullo actu positivo interveniant parochus vel Ordinarius, adeo ut ne umbræ quidem offensionis locus sit potestati civili, neque ulla ratione ansa præbeatur ad urgendam applicationem dispositionis pœnalis art. 267 : in supplici nempe libello ad parochum directo, et ad Episcopum transmittendo, exponatur matrimonii celebrationem gravi de ratione urgere, non autem posse præmitti cæremoniam civilem, et rogetur parochus, seu Ordinarius, nomine sponsorum, ut equidem nuptiis assistat, vel delegatum constituat, eum monendo quod, si renuens integrum mensem silentio prætermittat, coram duobus dumtaxat testibus ad matrimonium procedetur.

Qua praxi, si adhibeatur, ex una parte haud rarò opportunè succurri posset miseræ conditioni sponsorum, qui identidem in concubinatu sordescunt, et vehementer optarent conscientiæ suæ consulere ac legitimitati prolis per legitimum matrimonium, ab eo autem arcentur a lege civili, cæremoniam civilem ineluctabiliter prohibente, puta ob denegatum consensum parentum, si alterutra pars est minorennis ; ex altera parte efficaciter effugerent parochi graves pœnalitates a Codice Pœnali comminatas (2).

Nec adeo timendum est a nimia hujusmodi matrimoniorum frequentia, quæ abnormem inducerent statum,

---

(1) In hunc etiam sensum R. P. Vermeersch, l. c., p. 273.

(2) Non est tantùm ipsius pœnæ gravitas attendenda, sed ratio etiam est habenda variarum molestiarum, quibus sacerdos, ex capite violati art. 267, obnoxius esse potest, præsertim ex parte magistratus infensi, in ipso processu instaurando, ejusque præliminariis.

ex eo quod plura connubia existerent valida coram Ecclesia et nulla coram foro civili. Satis enim nota sunt gravissima incommoda quæ ex neglectu cæremoniæ civilis consequuntur ut meritò præsumere possimus neminem ad illud remedium recursum habiturum, nisi ad hoc fuerit urgentissima necessitate compulsus. Sufficienter etiam erit provisum publicitati talium nuptiarum, ex eo quod ad illas procedi nequeat nisi præviè constiterit parochum et Ordinarium assistentiam suam denegasse; cæteroquin ipsum Decretum *Ne Temere* in descriptis adjunctis providè disposuit ut conjuges simul ac testes in solidum teneantur ad initi conjugii transcriptionem procurandam.

E S. Congr. de Propaganda Fide

(Pro Negotiis ritus orientalis).

ADNOTATIONES ad responsum diei 15 Julii 1908, relatum suprà, p. 596 s.

Nimirum hasce præsentes instructiones componendo cum regula generali a S. C. C. data die 22 Maii 1907 (*Collat. Brug.*, t. XII, p. 487 ss.), necnon cum moderamine ab eadem S. C. C. introducto die 9 Septembris 1907 (suprà, p. 226), huc redeunt *normæ observandæ in transmittendis missis ad Ecclesias Orientales:*

A/ Licet missas mittere ad Ecclesias Orientales (1):

1°/ *per mediam S. Congr. de P. Fide* (22 Maii 1907);

2°/ *per medios Delegatos Apostolicos*, hac scil. salva

(1) Ecclesiæ Orientales intelliguntur Ecclesiæ *pertinentes ad ritum orientalem* uti supponit ipse tenor præsentis responsi, ita ut describendæ normæ non spectent Ecclesias ritus latini in Oriente situm habentes. Porro R. P. Vermeersch, *De Religiosis-Periodica*, 1908, p. 267 ss. exhibet catalogum Ecclesiarum ad varios ritus orientales pertinentium.

duplici cautela, ut nempe præfati Delegati a/ acceptas eleemosynas distribuant dumtaxat Prælatis et sacerdotibus delegationis suæ (9 Sept. 1907); et b/ moneantur quot missæ et quæ stipendiorum summa tradi debeant Prælatis orientalibus, intra cujusque delegationis ambitum existentibus (15 Julii 1908).

B/ Licet intentiones *directe* transmittere ad Episcopos habentis jurisdictionem ordinariam episcopalem in Oriente, (non vero ad Prælatos orientales, qui vel Episcopi sint titulares vel simplices Vicarii Patriarchales, nec ad superiores congregationum religiosarum orientalium), modò a/ inserviant dictæ intentiones pro necessitatibus sacerdotum dumtaxat illis Episcopis subjectorum, et b/ ii qui committunt eleemosynas alicui Ordinario orientali, certiorem faciant de numero missarum etiam Delegatum Apostolicum regionis, ad quem spectat vigilare ut missæ, ea qua par est sollicitudine, celebrentur (15 Julii 1908).

C/ Possunt *Superiores Ordinum et Institutorum* religiosorum mittere directe ad subditos suos, in Oriente degentes, intentiones missarum cum respectiva eleemosyna (9 Sept. 1907).

Aliter et per aliam viam missas transmittere ad Ecclesias Orientales, Episcopis et sacerdotibus stricte manet prohibitum.

A. De Smet.

Notæ Bibliographicæ

Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam **Synopsis** juxta Vulgatam editionem, cum Introductione de quæstione Synoptica et Appendice de harmonia quatuor Evangeliorum, auctoribus **A. Camerlynck,** S. Th. D. et S. Scripturæ professore in majori seminario Brugensi et **H. Coppieters,** S. Th. D. et S. Scripturæ professore in universitate catholica Lovaniensi. Pag. XXXVI-200 gr. in 8°. Brugis, Beyaert, 1908. Pret. 5 fr.

Sequentia circa scopum et methodum, ex operis præfatione desumpta, tradere juvat:

Multiplici ratione ita conveniunt Evangelia Synoptica ut separatim explicari vix possint. Id quidem libenter concedunt auctores qui litterariam dependentiam inter hæc Evangelia agnoscunt; sed neque negant illi qui huic dependentiæ adversantur. Ut autem collatio textuum qui Synopticis communes sunt, facili et practico modo institui posset, jamdudum consueverunt horum Evangeliorum textum ordinate juxtaponere, additis plerumque quarti Evangelii narrationibus.

Inter hujusmodi opera discernitur differentia haud exigua: alia enim quæ quatuor Evangeliorum narrationes componunt, potius ad *studium historicum Vitæ Jesu* conducunt et proprie Harmoniæ seu *Concordiæ evangelicæ* vocantur; alia e contra *litterariam Evangeliorum Synopticorum habitudinem* ostendere præcipue intendunt ut studiis exegeticis et criticis via tutò aperiatur; et libri isti rectius *Synopses* dicuntur.

Harmoniarum evangelicarum longum indicem exhibent R. Cornely, (*Historica et critica Introductio specialis in singulos N. T. libros*, Parisiis 1897, p. 278-281) et J. Azibert (apud Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, t. III, p. 211 ss.).

Opera hæc dijudicare longum foret nec hujus loci. Non ægre tamen perspicitur nonnullos auctores de quæstione litteraria Evangeliorum Synopticorum unice sollicitos esse; alios vero, in ordinanda Vita Jesu maxime intentos, ad parallelos textus componendos non satis attendere. Locus adhuc erat Synopsi quæ quæstioni de litteraria habitudine inter Evangelia synoptica investigandæ satis conduceret, et simul studio historico *Vitæ Jesu* prospiceret. Utrumque scopum, attenta præsertim studiorum in Seminariis consueta ratione, in hac Synopsi intendimus.

Synopsim græcam longe præstare eamque solam interpretationi Evangeliorum vere scientificæ convenire nemo diffitetur. At, ut hæc nostra Synopsis secundum versionem Vulgatam conficeretur, suaserunt rationes non paucæ; etiam quod, statuente et declarante Concilio Tridentino, « hæc ipsa vetus et vulgata editio... in publicis lectionibus, disputatio-

nibus, prædicationibus pro authentica » habenda sit. Textum Vulgatæ accepimus ex optima editione M. HETZENAUER *o. c.* (*Biblia sacra Vulgatæ editionis*. Œniponte, Wagner 1906) quam etiam in minimis secuti sumus. At in notis hinc inde correximus translationem Vulgatæ, si minus recta aut erronea reperitur; appositæ etiam sunt præcipuæ lectiones variantes. Ita minuitur, quantum fieri potest, inconveniens e non adhibito textu primigenio enascens.

De ordine in hac Synopsi servato pauca dicenda manent. Quum impossibile sit in schemate Evangelii Joannis tria Evangelia synoptica ordine debito inserere, — ut probant doctorum ingentes discrepantiæ — et quum ab alia parte in quarto Evangelio vix occurrant narrationes parallelæ cum narrationibus Synopticorum, visum est trium Evangeliorum Synopsim componere, et de modo quo quartum Evangelium ad ordinem Synopticorum sese habeat, in Appendice disserere; ipsum textum Evangelii s. Joannis in Synopsim non intexendum duximus.

Equidem quum Evangelia synoptica ordini chronologico in omnibus sequendo haud studuerunt, non raro eventus paralleli diversa occasione referuntur. Nonnunquam tamen dubitari potest utrum verus parallelismus inter quasdam narrationes adsit.

Si quando hoc contingit, in notis additur ratio admissi vel negati parallelismi, ita ut facile videatur utriusque opinionis valor. Verùm ubi vario tempore nec eodem loco narrationes parallelæ referuntur a Synopticis, plerumque impossibile erat statuere ubi talis narrationis nativus et primigenius sit locus. Et ne Evangeliorum ordo frequentius interrumpatur, bis vel imo ter easdem narrationes referendas duximus; sed minores typos elegimus pro narratione, quæ ab ordine et contextu Evangelii in quo occurrit, sejuncta ponitur ita ut unaquæque narratio semel saltem ordinariis typis exprimatur.

In ipsis vero narrationibus mutationes ordinis majores variis signis indicatæ reperiuntur.

Indicationes bibliographicæ parce appositæ sunt: ea tantum opera aut studia quæ quæstionibus solvendis, aut textibus intelligendis vere utilia sunt, notanda judicavimus.

Hac ratione compositam Synopsim hanc exegesi Evangeliorum prout in Seminariis institui solet, instrumentum aptum et utile fore, confidere licet. Ut adhuc melius intento fini respondeat, visum est de *Quæstione Synoptica* et de *Harmonia Evangeliorum instituenda* breviter hic disserere, non quidem ut de his quæstionibus valde intricatis omnes hypotheses propositæ discutiantur et dijudicentur, aut etiam novæ proferantur; sed ut solutiones magis probabiles præcipuis argumentis stipatæ sobrie simul et clare exponantur.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris.

—

I

Breviter exponantur præcipua systemata quæ ad Synopticam quæstionem solvendam proposita fuerunt.

II

Expone secundum mentem S. Thomæ (I, Q. XIX, a. 6, ad 1) distinctionem inter Dei voluntatem *antecedentem* et voluntatem *consequentem*.

III

Qualis requiritur intentio finis ultimi ut actus sit moraliter bonus? Explica et proba responsum.

IV

Ex ipsa notione blasphemiæ, dijudica malitiam blasphemiarum 1°/ *mere materialiter* seu *recitative*, 2°/ *jocose*, 3°/ *ficte* prolatarum.

V

Ex eadem notione explica et proba regulam communiter traditam ab auctoribus, ad judicandum de natura blasphematoria *formularum*, esse attendendum non solum proprium sensum verborum, sed et communem æstimationem in loco quodam vigentem.

VI

Prouvez que la thèse de la séparation absolue de l'Église et de l'État est fausse et pernicieuse?

Nota. Rogantur singulæ Conferentiæ ut ad aulam episcopalem tempestive mitti curent debitam habitæ collationis relationem, et ut responsa sua tradere velint sodales omnes, etiamsi sextenario numero plures sint.

Velint etiam singuli nomen suum inscribere responsis in *supremo paginæ capite*.

PROOSTENBOND. Cœtus celebrabitur Rollarii feria V, 19ª Novembris, hora 2ª.

Nuperrime prodierunt:

Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam secundum Vulgatam editionem **Synopsis,** auctoribus A. CAMERLYNCK, S. Th. D. et S. S^e prof. in Sem. Brug. et H. COPPIETERS, S. Th. D. et S. S^e prof. in Univ. Lovan. XXXVI-200 pp. gr. in-8°, Brugis, Beyaert, 5 fr.

*
* *

Das Dekret über die tägliche Kommunion von **J. Mahieu**, S. T. L., Direktor des Grossen Seminars in Brügge. In's Deutsche übersetzt von D. u. H. Rixheim, F. Sutter, 1908; in-18, 78 p.

*
* *

Exhortation de S. S. Pie X au clergé catholique. Texte latin avec traduction française, annoté par **J. Mahieu**, S. T. L., Directeur du grand Séminaire. Bruges, Beyaert, 0,40 fr.

*
* *

A. De Meester. *Règles pratiques pour l'exécution du chant grégorien d'après l'édition vaticane.* Roulers, J. De Meester, une petite brochure in-8, 35 p. F. 0,65.

Contenu. Introduction générale à l'exécution du Graduel de l'Édition officielle. — Règles spéciales pour le chant des récitatifs (oraisons, épîtres etc.), la psalmodie et l'hymnodie.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

N. B. *Tomorum I (1896), III (1898), V (1900) et XII (1907) editio exhausta est. — Aliorum verò voluminum nonnulla supersunt exemplaria.*

PIO · PAPÆ · X

OMNIA · IN · CHRISTO · INSTAVRARE
CVPIENTI
FIDEI · TRADITÆ · CVSTODI · VIGILANTI · SAGACI
HIERARCHIÆ · JVRIVM · VINDICI · INDEFESSO
ECCLESIAM
LEGIBVS · IN · VNVM · COLLIGENDIS
CONDITIS · NOVO · ORDINE · MAGISTRATIBVS
SAPIENTER · MODERANTI
CVLTVM · RENOVATO · CANTV · SPLENDENTEM
GREGEM · SANÆ · PABVLO · DOCTRINÆ
SACRIQVE · CORPORIS · CHRISTI · ALENDVM
CLERVM · DISCIPLINA · SCHOLASTICA · SCIENTIA
SANCTIMONIA · CORDIS · ZELOQVE · FLORENTEM
SOLLICITE · PROCVRANTI
ANNVM · A · SACERDOTIO · QVINQVAGESIMVM
LÆTE · COMPLENTI
AB · EPISCOPATV · VIGESIMVM · QVINTVM
FESTIVE · AGENTI
COLLATIONVM · BRVGENSIVM
CONSCRIPTORES
TESTIMONIVM · ANIMI · LÆTI · GRATI · DEVOTI
FAVSTA · QVÆQVE · ADPRECANTIS
AMANTISSIME · OBSEQVENTISSIME
DEDICANT

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Explica quinam intelligantur nomine « Herodianorum » apud Mt XXII, 16; Mc III, 6; XII, 13 coll. Mc VIII, 15?*

R. *Omissis sententiis nullo modo vel parum probabilibus, nomine Herodianorum, ut nomen ipsum dicit, ii intelligendi sunt qui a partibus dynastiæ Herodianæ stabant; qui proin ad modum factionis politicæ, hanc familiam, etsi alienigenam et moribus ethnicis satis imbutam, integro populo judaico dominari volebant. Cum Pharisæis adversariis contra Christum conspirarunt* (1).

Explicatio. 1/ *Obiter indicamus sententias nullo modo vel parum probabiles.* Ita plures auctores, maxime veteres, autumarunt Herodianos fuisse Judæos, qui Herodem magnum (2) vel ejus filium Herodem Antipam (3)

---

(1) Cf. KNABENBAUER, *Commentarius in Evang. sec. S. Matthæum*, Parisiis 1903, t. II, p. 251; ID. apud HAGEN, *Lexicon biblicum*, t. II, c. 509 s.; CEULEMANS, *Commentarius in Evang. sec. Matthæum*, Mechliniæ 1900, p. 311; VAN STEENKISTE, *Evang. sec. Matthæum*, Brugis 1903, p. 1427; VIGOUROUX; *Dictionnaire de la Bible*, t. III, c. 653 s.; BROOKE FOSS WESTCOTT apud SMITH, *Dictionary of the Bible*, London, t. 1, p. 797; SCHUERER, *Geschichte des Jüdischen Volkes*, Leipzig, 3ª ed. passim; TH. ZAHN, *Das Evangelium des Matthæus*, Leipzig 1903, p. 528, 632; SIEFFERT apud HAUCK, *Realencyclopædie für protest. Theologie*, Leipzig, t. VII, p. 769; EATON apud HASTINGS, *Dictionary of the Bible*, Edinburg, t. II, p. 362; GOULD, *St Mark*, Edinburg 1901, p. 54; ALLEN, *St Matthew*, Edinburgh 1907, p. 237; BENHAM, *St Matthew*, London, p. 4.

(2) Ita S. EPIPH. *Hær.* XX, 1, MIGNE, *P. G.*, t. XLI, c. 369; Cf. TERT. *De præscript.*, 45; MIGNE, *P. L.*, t. II, c. 61.

(3) CRAMER, *Catenæ græcorum Patrum in Nov. Test.*, Oxford 1840, p. 400.

ejusve nepotem Herodem Agrippam (1) ut Messiam a Judæis expectatum habuissent; quæ sententia omni probabilitate destituitur. — Alii contenderunt nomine illo intelligendos esse solos aulicos Herodianæ dynastiæ (2), vel etiam aulicos solius Herodis Antipæ tetrarchæ Galilææ (3), quæ sententia, attentis Scripturæ textibus, nimis angusta apparet.

2/ *Herodiani ex ipso nomine* (Ἡρωδιανοί) *sunt ii qui a partibus dynastiæ Herodianæ stabant.* Hujus dynastiæ fundator fuit Herodes Magnus, filius Antipatri Idumæi (4). Postulantibus Antonio et Octaviano a senatu romano (Pompeius a. 63 a. C. Palæstinam ditioni Romanorum subjecerat) rex Palæstinæ a. 40 a. C. renuntiatus est. Adjutus a Romanis a. 37 Jerusalem expugnavit et, occiso Antigono adversario, regno potitus est, in pluribus tamen a Romana potestate pendens. Ipse ejusque posteri, mutata interim pluries regiminis forma, usque ad a. 44 p. C., in Palæstina regnarunt. Herode mortuo (a. 4 a. C.), regnum ejus inter tres ejus filios Archelaum, Herodem II Antipam et Philippum divisum est. Tempore autem vitæ publicæ Christi partem Archelai (sc. Judæam, Idumæam et Samariam) procuratores Romani (inter quos Pontius Pilatus 26-36) administrabant; Herodes II Antipas erat tetrarcha Galilææ et Pereæ, Philippus verò tetrarcha Batanææ, Iturææ, Trachonitidis etc.

3/ *Herodiani autem erant factio mere politica,* dynastiæ Idumææ addicta, quæque filium quemdam Herodis Magni integro patris regno præficere cupiebat. Jugum enim ethnicorum Romanorum omnes Judæi ægre ferebant, male quieti et ad seditiones proni. Quamvis Herodis ejusque filiorum dominandi ratio multis esset

(1) S. Philast., *Hær.*, XXVIII, Migne, *P. G.*, t. XII, c. 1138.

(2) Ita Luther, Bleek apud Sieffert, *l. c.*

(3) Ut Gould, *l. c.*; cf. Zahn, *o. c.*, p. 632.

(4) Idumæi a Joanne Hyrcano vi submissi fuerant legi Mosaicæ; a Judæis tamen nunquam ut genuini Israelitæ habiti fuere.

exosa, dynastia tamen plures nacta fuerit asseclas. Ità Herodes Magnus Templo magnificentissime reædificando strenue allaboraverat ; ipsam Hierosolymam aliasque civitates instauraverat variisque ornaverat ædificiis ; Romanorum institutis favebat atque Græciæ artes et culturam laute spargebat.

Inde intelligitur quomodo varii generis homines dynastiæ Herodianæ fautores esse potuerint. Ità quamvis Pharisæi, dominationem quorumcumque alienigenarum ægre ferentes, factioni isti generatim oppositi fuerint, laxiores tamen illorum Herodianis connivere poterant. Etenim in dominatione Idumææ dynastiæ tutamen aliquod et præsidium quæsierint contra directum et absolutum Romanorum (1) regimen, quod ut penitus paganum, maxime abhorrebant, quodque, Christi ætate, in majorem Palæstinæ partem, per Procuratorem exercebatur.

Pariter politicæ huic sectæ Sadducæi nomen dare poterant. Quippe qui e magnatum familiis oriundi, et Legi paternisque traditionibus multo minus quam Pharisæi addicti erant, et nedum Idumææ domui græcam cultúram exterosque mores vitio verterent, ea potius sua vivendi ratione probabant (2).

Quùm tamen apud Judæos Pharisæi ac Sadducæi in omnibus placitis summopere ab invicem dissentirent, facile intelligitur haud stricto nexu Herodianos inter se fuisse conjunctos, eosque in certis tantum adjunctis dexteras ad communem scopum uniisse. Ex eo quod secta nullatenus fuerit dogmatica seu religiosa, explicatur cur tam rarò ejus mentio in Evangeliis reperiatur. Cæterùm, quum plebs Judæa rigidioribus Pharisæis adhæreret, factionem Herodianorum numero non ità multùm invaluisse opinamur.

---

(1) Romanis ergo Herodiani non faverint, at cum dynastia Herodis Romanis subdita esset, parati erant Romanis adulari, si hoc modo ad scopum pervenire possent.

(2) Ita ipsis sane faverit familia Summi Pontificis Simonis (24-5 a. C.), ex *Alexandria* oriundi, soceri Herodis M. et ab ipso Herode renuntiati.

4° *Herodiani* in 4 locis, ubi de ipsis mentio fit, *cum Pharisæis recensentur*, et duplici occasione diversa tum in Galilæa (*Mc* III, 6) tùm (1) Jerosolymis (*Mt* XXII, 16 = *Mc* XII, 13) *cum ipsis adversus Christum conspirant.* Factio tamen Pharisæorum qua talis Herodianis plane adversabatur. Attamen cùm Christo variis de causis (2) infensissimi essent Pharisæi, simultatum obliti, in Galilæa cum Herodianis fœdus inierunt: sine tetrarchi Herodis Antipæ auctoritate nihil contra Christum inire poterant. Quare eos adierunt qui ab ejus partibus erant, eosque facile adjutores habuerint, cum Christus Herodem Antipam, incestuosum Joannis Baptistæ interfectorem, severe carperet (*Lc* XIII, 32). Postea Jerosolymis iterum cum Herodianis insidias struere Christo haud veriti sunt. Quæstio enim de censu Cæsari solvendo (*Mt* XXII, 16; *Mc* XII, 13) maxime insidiosa erat: responsum expectabant quod vel Jesum plebi redderet odiosum, vel tùm Romanorum tùm Herodis iram incurreret. Christus autem utrorumque insidias sapientissime irritas reddidit.

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone quo sensu dici possit* Deus est veritas.

R. I. **Prænotandum** de notione veritatis. Non raro in scriptis recentibus inveniuntur asserta quæ ipsam veritatis notionem attingunt, illamque depravant. Totam hanc quæstionem exponere hic non est locus (3): ea tantum notabimus quæ requiruntur ut solutio propositæ quæstionis recte ac plene perspiciatur.

Loquimur de veritate prout hæc est in *intellectu* (4).

---

(1) Eo tempore tamen Herodes Antipas Jerosolymis versabatur: *Lc* XXII, 7. Cf. Zahn, *o. c.*, p. 632.

(2) Cf. Van Steenkiste, *o. c.*, p. 1425.

(3) Quædam hac de re scripsimus in *Collat. Brug.*, t. XI, p. 344 ss.

(4) Cf. S. Thomas, I, Q. XVI, a. 1 et 2; *De Veritate*, Q. I, a. 1 et 2;

Jamvero unusquisque, in proprios intellectus sui actus reflectendo, ibi detegere potest tum simplicem apprehensionem, tum judicium, tum ratiocinium (1).

Porro *judicium* est actus quo affirmatur vel negatur objectiva convenientia subjecti et prædicati: v. gr. anima est immortalis. In hoc judicio, *subjectum,* sc. anima, repræsentat rem quasi materialiter sumptam et prout in se est; *prædicatum*, sc. immortalis, repræsentat aliquam formam, aliquem essendi modum: judicio dicitur hanc formam *esse* in illa re. (In judicio *negativo* dicitur formam, repræsentatam per prædicatum, *non esse* in re repræsentata per subjectum).

Jamvero judicium est *verum* quando id quod dicitur *esse* in re, ipsi realiter *inest;* judicium est *falsum*, quando id quod dicitur esse in re, ipsi realiter *non inest.* (Pariter dicendum de judicio negativo). Inde generice loquendo: **verum** est omne judicium quo dicitur *esse* id quod *est* vel *non esse* id quod *non est;* **falsum** est omne judicium quo dicitur *esse* id quod *non est* aut *non esse* id quod *est* (2).

Quapropter veritas recte definitur *conformitas intellectus et rei,* seu, *adæquatio intellectus et rei.* Quia autem in solo judicio (non in simplici apprehensione, nec in ratiocinio) affirmatur aliquid esse, ideo in solo judicio invenitur **perfecte** ac **formaliter** veritas aut falsitas (3).

Ex dictis sequitur: 1/ **omne** judicium est necessario verum aut falsum: non enim datur medium, quum judicium sit vel conforme cum re, vel difforme a re.

Cajetanus, in I, Q. XVI, a. 1 et 2; Janssens, *De Deo Uno,* Romæ, 1899, t. II, p. 176 ss; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 86 ss.; Pègues, *Commentaire français littéral de la Somme théologique de S. Thomas d'Aquin,* Toulouse, 1907, t. II, p. 168 ss.

(1) Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 6 ss., 38 ss., 60 ss.

(2) Hoc valet de qualibet forma, aut modo essendi aut adjunctis factorum. Hoc etiam valet de judicio *composito,* de illo nempe quod æquivalet pluribus: hæc singillatim sumpta sunt vera aut falsa.

(3) Ne confundas *adæquationem intellectus* et *rei* cum *adæquata* cognitione rei. Cf. Billot, *De sacra Traditione,* Romæ, 1904, p. 78.

« Adæquatio in qua consistit ejus (h. e. veritatis) ratio non admittit gradus, utpote in hoc reposita, quod forma expressa per prædicatum convenit revera subjecto reali sicut affirmat intellectus. Et adæquatio ista vel est, vel non est. Unde judicium vel est absolute verum, vel est absolute falsum. Si est compositum resolvatur in partes et unaquæque pars erit in se vel vera vel falsa absolute » (1).

Inde si quis *judicet* (2) determinatam alicujus actionem factam esse in tali loco, alius vero judicet eamdem numero actionem factam esse in alio loco, alterutrum judicium est absolute *falsum*.

2. Veritas aut falsitas inest omni judicio, sive *directo*, sive *reflexo:* reflexum est judicium quando judicans in proprium actum reflectendo judicat se hîc et nunc aliquod judicium elicere. Sed in omni judicio, etiam tantum directo, affirmatur, actu saltem exercito, aliquid esse vel non esse: jamvero si id quod affirmatur esse, *est*, *verum* est judicium; si id quod affirmatur esse, *non est*, falsum est judicium (3).

3. Veritas aut falsitas inest omni judicio sive hoc sit *certum*, sive hoc sit *opinativum:* nam statim ac est judicium, requiritur omnino ut sit conforme cum re, vel difforme a re. — Sed hîc occurrit distinctio inter errorem formalem et errorem materialem: error, *subjective* spectatus, est deflexio a rectitudine in operatione judicii: error, *subjective* spectatus, potest esse formalis vel materialis, sicut peccatum potest esse formale vel materiale (4).

---

(1) Billot, *o. c.*, p. 79.

(2) Dico: *judicet*, quia agitur de interno mentis actu. Interpretis vero est varia adhibendo média, quæ ad hermeneuticam, sæpe difficilem, præsto sunt, discernere quodnam sit objectum judicii hominis scribentis.

(3) Cf. Cajetanus, in Q. XVI, a. 2; Janssens, *o. c.*, p. 180; Pègues, *o. c.*, p. 174 ss.

(4) Ne igitur confundatur *error* cum *falsitate:* cf. omnino *Collat. Brug.*, t. XI, p. 347.

4. Non est admittenda distinctio a nonnullis invecta inter *veritatem* formalem et materialem: ac si *formalis* esset veritas in judicio vero quod quis *firmiter* elicit et *ut suum* exprimit; materialis esset veritas in judicio quod quis tantum opinative habet et non ut suum exprimit (1). In prima hypothesi, certe habetur formalis veritas. — Sed quid dicendum de secunda hypothesi? Si agitur de judicio elicito ab aliquo homine, quodcumque sit objectum hujus judicii, et sive certum sit, sive opinativum, illud judicium est necessario *verum* aut *falsum*, ut suprà exposuimus; quum autem non agatur nisi de conformitate cum re vel de difformitate a re, est etiam absolute verum, aut falsum. Impossibile est ut hic possit esse sermo de formali aut materiali conformitate cum re. — Sed supponamus quod aliquis auctor *referat* aliquod factum, quod suo tempore narratur, quin judicet aut affirmet hoc factum habuisse locum vel non: ubi est veritas? Quatenus auctor ille judicat illud factum *narrari* suo tempore, eatenus suum judicium est *verum*, si revera illud factum suo tempore narrabatur; suum judicium est falsum, si illud factum suo tempore non narrabatur. Quatenus autem auctor ille *abstinet a judicando* utrum illud factum habuerit locum vel non, eatenus *nulla* esse potest *veritas* vel *falsitas in mente* auctoris, quia præcise non est *judicium*, in quo solo haberi potest veritas vel falsitas. — Quoad id quod narratur, objective spectatum, independenter a mente auctoris prædicti, remanet tota quæstio utrum hoc *sit*, vel *non sit*.

5. Veritas quum formaliter et perfecte in judicio sit,

---

(1) Dicebat aliquis: « S'il n'y a *formellement* vérité que quand l'auteur a l'intention d'affirmer catégoriquement une proposition vraie, il faut dire qu'il n'y a que *matériellement* vérité quand l'auteur émet une proposition vraie dont *il n'assume pas la responsabilité* ». Hæc ultima assertio implicat contradictionem, si stricte sumatur: nemo enim potest *elicere* judicium, sive certum, sive opinativum, et illud exprimere quin hoc ut *suum* habeat et assumat.

est in intellectu tantum, non in voluntate. Voluntas creata potest influere in *operationes* intellectus, imo potest intellectus assensum determinare (1), sed nec veritas, nec falsitas ab ipsa voluntate immediate causatur. — Veritas quum nihil aliud sit quam conformitas judicii cum ipsa re, non physice distinguitur a judicio.

II. His positis inquiri potest quo modo veritas inveniatur in Deo.

1. In divino intellectu non datur judicium, proprie dictum, sicut habetur apud nos: quia Deus non cognoscit componendo et dividendo; sed habetur *eminenter* judicium: quia Deus eminenter cognoscit id quod est seu apprehendit res uti sunt.

2. Cognitio divina est perfectissimus actus intellectus, cujus objectum sunt omnia cognoscibilia: cognitio divina est necessario et essentialiter *vera*.

3. Intelligere divinum est essentialiter cognitio conformis cum re, hæc porro cognitio est veritas; sed hæc cognitio, seu hoc intelligere est ipsum *esse* Dei: ergo Deus *est* veritas. Sic intelligitur quomodo Deus sit *veritas in intellectu*.

4. Sed etiam si consideratur veritas in re (veritas ontologica), quum *esse* Dei sit ipsum ejus intelligere et consequenter omnino conforme intellectui, sequitur quod Deus etiam perfectissimo modo sit veritas in re (2).

Adnotatio. 1. Quum solus Deus sit æternus, quum veritas intellectus divini sit ipse Deus, sequitur quod divina veritas est *æterna* et quod sola est æterna (3).

2. Divina veritas est veritas *prima:* a/ quia est sola *æterna;* b/ quia est *causa* omnis creati intellectus, omnisque creatæ cognitionis ac veritatis; c/ quia est etiam *mensura* omnis veritatis: in tantum enim vera

(1) Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 139 ss.
(2) Cf. Cajetanus, in I, Q. XVI, a. 5.
(3) Cf. Thomas, I, Q. XVI, a. 7.

est aliqua cognitio in quantum est similis cognitioni divinæ et ab ipsa participata (1).

J. Van der Meersch.

III

Q. Describatur influxus consuetudinis in voluntarium et liberum.

R. Influxui passionum in voluntarium et liberum solet adjungi, quia valde similis est, influxus consuetudinis (2). Licet consuetudo proprie nominet iterationem actuum in certa quadam materia, in præsenti tamen sumi solet pro habitu et intelligitur *constans inclinatio iteratis actibus comparata* seu quædam facilitas et promptitudo ad similes actus ponendos (3). Solet quidem præcipue considerari apud moralistas recentiores influxus consuetudinis malæ ; at idem valet de consuetudine bona (4).

Ad quæstionem sic responderi posse videtur :

1° Actus provenientes *unice ex consuetudine* non sunt voluntarii in se, possunt tamen esse voluntarii in causa, quando ipsa consuetudo est voluntaria.

Ratio asserti est manifesta : si enim actus proveniat *unice* ex consuetudine, jam non est actus humanus, sed

---

(1) Cf. Janssens, *o. c.*, p. 184 ss.

(2) Cf. responsum mensis præcedentis ap. *Collat. Brug.*, hoc t. XIII, p. 616.

(3) Cf. Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 332, ed. 3ª, n. 338 ; De Bock, *Tractatus fundamentales theologiæ moralis*, altera ed., Gandavi, Huyshauwer-Scheerder, 1902, n. 48.

(4) Hic obiter adverte infaustum influxum *Casuistarum* in theologiam moralem, tum generalem tum specialem, quæ quasi nomenclatura facta est et disquisitio peccatorum. Cf. *Collat. Brug.*, hoc t. XIII, p. 377. Ita adhuc hodie plures quæstiones fundamentales tractantur quasi unice in ordine ad peccata v. g. de impedimentis voluntarii et liberi, de voluntario in causa etc., imo quædam tali titulo sunt vulgatæ, ut censeres de solis peccatis sermonem esse, puta *De distinctione peccatorum*.

mere actus hominis. Hoc applica actibus tum malis (v. g. blasphemiis) tum bonis, qui sic ponuntur ex usu (routine) ut vix non mere automatice vel mechanice exerceantur (1).

2° Generatim consuetudo relinquit in actibus ex ea positis advertentiam sufficientem, ad hoc ut hi actus non procedant unice ex consuetudine: tunc *non tollit voluntarium in se, sed tamen minuit,* quia minuit advertentiam et deliberationem (2).

Insuper quando ipsa consuetudo est voluntaria, dicitur *augere voluntarium*, quia signum est voluntatis magis firmatæ in bono vel malo. Unde dicit Angelicus (1-2, q. 78, a. 2) « quod quicumque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia » (3).

Advertunt AA. idem ac de consuetudine dicendum esse de inclinationibus *hæreditate* derivatis.

Nota. Consuetudo peccandi est *voluntaria*, quando advertenter introducta fuit (quod raro accidit), vel quando post conscientiam illius nondum fuit efficaci proposito retractata, vel quando post efficacem retractationem voluntarie negliguntur media efficacia ad consuetudinem eradicandam (4).

H. Mahieu.

---

(1) Inde intelligitur monitum Pii Pp. X in *Exhortatione ad clerum catholicum,* ubi agit de necessitate meditationis: « Quamvis enim varia sacerdotii munia augusta sunt et plena venerationis, *usu tamen frequentiore* fit ut ipsa tractantes non ea plane qua par est religione perpendant ». Cf. etiam hoc t. XIII, p. 590.

(2) Inde applicatur quoad peccata dictum: *excusat a tanto, non a toto.*

(3) Habes applicationem in materia blasphemiæ apud Revmum Waffelaert, *Confessarius rite institutus ad impugnandam blasphemiam,* ed. altera (Brugis, Beyaert, 1899), p. 20 ss. Cf. etiam resp. ad quæstiones positas pro conferentiis mensis Januarii 1909.

(4) Cf. Revmus Waffelaert, *l. cit.* — Bene distinguatur inter propositum *affective* efficax et propositum *effective* efficax.

IV

Q. *Quomodo dijudicandæ sunt formulæ quædam nonnunquam in certis eventibus adhibitæ: Hoc erat fatum meum; natus sum ad infortunium; immerito tam multa patior; videtur Deus mei oblitus; et similes?*

R. Solutio quæstionis ab ipsa notione blasphemiæ petenda est. Ut nim. adsit objective peccatum blasphemiæ requiritur ut, omnibus adjunctis inspectis, adsit vera significatio Deo contumeliosa. Dicitur: *omnibus inspectis*, quia non tantum verba ipsa forte prolata sunt inspicienda, sed et apprehensio communis in loco vigens, sicut et adjuncta loci et temporis et gestus et tonus forte additi, quæ omnia possunt vel auferre vel adjungere significationem ad blasphemiam requisitam. — Dicitur: ut adsit *objective*..., quia poterit sæpe subjective non incurri reatus blasphemiæ, puta ob consuetudinem, ob ignorantiam vel inadvertentiam. — Hac notione generali præmissa, en quæ circa asserta allata notari posse videntur:

« **Hoc erat fatum meum** ». — Si verba hæc in se spectantur possent videri blasphemia hæreticalis, utpote quæ supponant fatum gentilium, illudque, non vero Deum, mundum et in specie res meas gubernare. Et dubium non esset quominus hæc verba adhibita, locis et temporibus aliis, quæ existentiam *fati* admittant, existerent vero Deo contumeliosa. Sicut dubium non est quominus qui verbis his *intenderet* significare fatum gentilium mundum regere, reatum blasphemiæ incurreret. Talis autem sensus hodie minime sive a loquente sive ab audientibus apprehendi solet, et proinde dicendum est hoc assertum prout hodie communiter proferri solet, jam non habere sensum quem verba de se sonare videntur (1). Cæterum patitur

(1) Vide infra dicenda de momento *æstimationis communis* in dijudicanda significatione alicujus dicti; t. XIV, fasc. Februarii.

assertum sensum rectum quo np. significatur necessitas consequens divinam præscientiam, etsi nihilominus jure semper dices expressionem ipsam esse minus congruam, eamque minus decere christianum qui melius dicit : Deus ita disposuit, vel, permisit.

« **Omnia mihi cadunt adversa ; Natus sum ad infortunium. Si lapis caderet de cœlo in me caderet.** » — Sensus talium dictorum potest esse pessimus et blasphemus, si quis significare intenderet Deum esse injustum, vel homines quosdam de facto creasse ad infortunium, vel partiali modo aliis favere alios insectari. Sed sensus etiam esse potest ipsa attestatio exaggerata alicujus facti : Sæpe patior infortunium. Unde etsi *posset* esse, *de se* non *est* blasphemia. Et de facto solet a loquente hoc posteriori sensu proferri, eodemque ab audientibus intelligi. Quis enim, nisi dentur specialissima adjuncta de sensu priori in his dictis recogitat ?

« **Immerito tam multa patior ; non merui tantum malum ; Deus me nimis probat, me nimis punit.** » Iterum immerito diceres talia dicta *de se* esse blasphemias. Etenim patiuntur quidem sensum malum, ac si Deum revera de injustitia argueres, sed etiam sensum rectum patiuntur : etenim afflictiones malaque hujus terræ non semper sunt punitiones demeritorum, sed etiam probationes. Cæteroquin assertum potest optime esse simplex attestatio facti : « Deus me probat plus quam ferre possum patienter » ; — vel « me probat ultra modum quo solet homines probare ». Unde etsi dicta de se *possint* esse blasphematoria, non ideo de se *sunt* talia ; ideoque res pendet ab intentione proferentis ex variis sensibus possibilibus unum præ aliis eligentis. Quod si nullum sensum apprehendat, ut contingere potest ubi quis utitur asserto quodam trito et vulgari non est sane cur sensum malum ipsi obtrudas. *De facto* autem sæpe in assertis propositis sensum malum minime intendunt, illudque non est præsumendum. — Quod si sensum malum de facto apprehenderint, mate-

rialiter seu objective peccatum blasphemiæ aderit, etsi subjective raro peccent, quoniam ex inconsiderantia, præ gravitate dolorum et pusillanimitate loquuntur (1).

« **Videtur Deus mei oblitus; Deus est mei oblitus** ». — Esset blasphemia si sensus intentus esset: « Vere Deus non omnia cognoscit; non de omnibus curam habet ». Ast iterum non unicus est hic sensus, quum possint talia asserta esse quædam attestatio facti puta: Preces meæ de facto a Deo non exauditæ sunt; non habeo partem in divitiis terræ; elongatus est Deus a me, etc. Unde res pendet ab intentione loquentis. — Qui autem sensum malum apprehenderet, poterit iterum subjective excusari a gravi propter inadvertentiam.

Quare, breviter dicta contrahendo, hæc varia asserta *in se* spectata non solum sensum blasphematorium, sed etiam rectum patiuntur; deest *æstimatio communis* illa ut blasphemias apprehendens, imo pro prioribus præsertim stat pro sensu benigniori; res ideo pendet tota a mente loquentis: et quoad hoc dicendum est fideles generatim non malo sensu intelligere hæc dicta dum illa proferunt, vel saltem ob vehementiam adversitatis et inconsiderantiam sæpe a gravi blasphemia excusari ubi sensu malo intelligerent; dicitur *generatim*, quia quandoque inveniuntur qui, ira vel tædio affecti revera scienter in Deum blasphemant.

Raro pœnitentes talia dicta confitentur, et proinde eo ipso quod de eis se accusant, sæpe signum erit eos specialem malitiam in illis advertere; quare interrogabit eos confessarius, prudenter cavens ne ipse sensum

---

(1) « Deus injuste me tribulationibus gravat; Deus injuste malos sinit esse felices in mundo », habet NOLDIN, *De præceptis Dei et Ecclesiæ* n. 206, ut blasphemiam hæreticalem, « si serio et advertenter proferuntur ». — Sed si asserta sunt de se blasphematoria, intentio contraria et inadvertentia indolem hanc tollere non valent, licet possint *subjective* a reatu excusare. Vera enim blasphemia non serio prolata, manet blasphemia, nisi intentio hæc sufficienter ex adjunctis pateat vereque tollat significationem contumeliosam.

malum, de quo pœnitens forte non cogitat, proponat, et conscientiam erroneam ubi continget dari, juxta dicta rectificans.

V

Q. *Quomodo theoretice judicandum et practice agendum circa formulam gallicam: N. d. D.?* (1)

R. I. **Theoretice.** — Ad judicandum de indole blasphematoria alicujus sic dictæ « *formulæ* », attendenda sunt sequentia:

1°/ Potest aliqua locutio esse blasphemia *ex se*, seu vi verborum (ubi de dicto vel asserto quodam agitur), seu juxta sensum proprium et nativum quem verba de se habent.

2°/ Item potest locutio esse blasphemia *ex æstimatione communi,* nonnunquam alicui dicto de se non injurioso in Deum, affingente *determinatum* sensum Deo contumeliosum (quemadmodum olim nostrates multi intelligebant formulam G. v. d. in sensu: Deus sit damnatus), vel saltem habente ipsam formulam ut *aliquid* Deo injuriosum, quin tamen sensum præcisum et determinatum apprehendant (quemadmodum multi G. v. n. d. D. habent ut Deo injuriosum).

3°/ Item potest locutio esse blasphemia ex *fine* et *modo* et *adjunctis* loquendi, ut dictum est supra, pp. 573, nota 2°, 580, 623 s.

4°/ Nec ita raro fieri experientia quotidiana probat, formulam quæ nulla ex rationibus hucusque assignatis blasphemia est, tamen a proferente ut blasphemiam « magnam » apprehendi, adeo ut, ex *falsa conscientia* proferens *subjective* reatum gravem blasphemiæ incurrat (2).

---

(1) Agimus tantum de formula non corrupta.

(2) Nec hoc ita mirum! Notionem enim et essentiam blasphemiæ, quum multi perversas omnino habent, ut notavimus supra, pp. 573 ss., blasphemiam æquiparantes formulæ longæ. plenæ, sonanti, potissimum in qua

5°/ Quod si deest undequaque blasphemia, poterit interdum — raro tamen — adesse peccatum *scandali*.

Hæc jam *applicando* formulæ N. d. D., notamus prius nos evidenter non quærere de dicto hoc in quantum posset, per modum orationis jaculatoriæ proferri, cum affectu pio et adjunctis proportionatis sed « agitur nunc de profano usu, quo ad iram, indignationem, etc., vel ex consuetudine, in adjunctis non piis hujusmodi formula adhibetur » (1). Jamvero:

1°/ Ex se hæc formula sane nil continet contumeliosi in Deum, sed est simplex pronuntiatio nominis Dei, sine debita reverentia, et proinde vana usurpatio. — Sic autem supponimus formulam scribi: *Nom* de D.; interdum autem obvios habebis qui putant sensum formulæ esse: *Non* de D., seu Deum non existere. Grammaticaliter sane correcta non est talis expressio; ast quia sensus talis in dicto hoc intrudi *potest*, qui hunc sensum intendit, patet blasphemare, blasphemia hæreticali, vel etiam hæretica.

2°/ Ex usu et æstimatione communi, fuit olim formula juratoria, vel adjuratoria, et plenius enuntiabatur: *Par le* N. d. D., vel *Au* N. d. D., qualis flandrice servata est formula integra: In Gods name. Imo videtur formula *Sacré* N. d. D., ortum habere similem, vocemque *Sacré* fuisse præpositam ratione majoris solemni-

---

nomen Dei occurrit, et distinguentes sæpe *magnas* et *parvas* blasphemias. Porro, ex alia parte, audiunt nos sacerdotes invehentes in blasphemiam ut in peccatum gravissimum — et merito quidem, — non autem sæpe satis rationem habentes diversæ terminologiæ et modi loquendi apud fideles existentis. Unde non ita mirum si multi non bene intelligant quonam motivo duce, delectus fiat inter graves — et — leves blasphemias, et sic sat facile varias formulas non blasphematorias ut graves apprehendant. — Imo si altius ascendere licet, nonne origo falsæ hac in re notitiæ populi, quærenda esset in ipsa prima — sæpe sola et certe per totam vitam influente — instructione religiosa qua in prima sua pueritia imbuuntur pueri. Num semper recte res apprehendunt, et præsertim num semper recte et prudenter docent, sive theoretice sive practico suo modo agendi, ludimagistri nostri et sorores?

(1) Ill. Waffelaert, *Confessarius rite...*, p. 27.

tatis juramenti, adeo ut sensus primitivus fuerit: Benedictum, sanctum Nomen Dei. — Ex usu autem **actuali**, jam non est formula juratoria, cum jam nemo soleat uti hac formula ad jurandum, imo ne cogitet quidem de juramento; ex alia parte neque apprehenditur communiter ut vera blasphemia, sed ut aliquid venialiter tantum malum, qualis est vana usurpatio divini nominis (1).

3°/ Poterit interdum, in casu extraordinario, esse blasphemia, attentis **intentione, modo, adjunctis** loquendi; ut si illud clamet ex odio Dei, ex ira contra Deum, post sacerdotem deferentem SS. Sacramentum (sic interdum juniores nostri operarii liberioribus ideis imbuti).

4°/ Non ita raro, præsertim apud pueros et adolescentes, occurrit **falsa conscientia**, qua putant hanc formulam sicut multas alias quas audiunt vel proferunt esse blasphemiam quod magis fiet ubi totis litteris bene pronuntient Dieu. Et huc aliquomodo reduci posset casus illius qui sensum grammaticaliter incorrectum apprehendit *Non esse Deum*.

Circa 5m nil speciale dicendum occurrit (2).

II. **Practice** hæc notanda ex dictis sequuntur:

1°/ Inutile est sive e suggestu sive in confessionali loqui de sensu juratorio qui olim huic formulæ inerat et etiam hodie in ipsa apprehendi posset. Nec enim cogitant nostrates de hoc sensu et proinde jurare non intendunt; nec ullum alium sensum determinatum (exceptis illis qui Deum se negare putant), ipsi formulæ

---

(1) Utrum unquam apud nos exstiterit communis æstimatio de indole blasphematoria, nescimus; nec aliquid pro praxi hodierna refert. Testantur *Collat. Namurc.*, t. 2, 1902-1903, p. 199 in diœcesi Namurcensi quondam viguisse talem æstimationem communem perniciosam; at ubi aliter communi consensu docuere confessarii, catechistæ et pastores, aliam item incæpisse esse communem apprehensionem.

(2) Ne, quæso, confundamus *scandalum*, cum admiratione vel imo cum indignatione et horrore quem actus quidam producere nati sint. Cfr. *tract. de Caritate*, — et dicta de *Scandalo*, apud *Collat. Brug.*, t. III.

tribuunt. Nec sunt docendi modum jurandi, ne forte frequentius jurantes, interdum ad falsa aut inhonesta aut vana juramenta deveniant.

2°/ Ubi confitentur hanc formulam se protulisse, sæpissime confessario constabit de recta pœnitentis conscientia circa ipsius levem tantum malitiam; id enim sæpe cognoscet ex acquisita per anteriores confessiones experientia; sæpe item patebit ex ipsa hac confessione, pœnitente se accusante de blasphemiis « dimidiatis » vel « parvis ». Interdum tamen apparebit vel cum probabilitate a confessario supponetur apud pœnitentem conscientia erronea, ut si pœnitens sit puer, vel vir omnino ignarus, vel adolescens. Quare tali casu erit interrogandus quid circa indolem formulæ putaverit, utrum ipsam qua « magnam » blasphemiam reputaverit, — quo possit constare de culpa subjective contracta, —, et clarissimis verbis erit docendus non esse blasphemiam, non esse peccatum grave.

3°/ Si quando occurrat pœnitens formulam intelligens: « Non est Deus », aperte indicet confessarius hunc non esse sensum dicti, sed hoc nihil aliud esse quam id quod flandrice dicimus: In Gods name! (1). Quæ etiam comparatio utiliter adhibetur ubi quis, nesciens ipse cur, formulam habet ut blasphemiam.

4°/ Nisi adsint specialia motiva dubitandi, ne interroget confessarius utrum pœnitens forte formulam protulerit ex odio contra Deum, contra religionem; satis enim raro *hanc* formulam sic adhibent. Cfr. dicta supra, p. 580.

5°/ Sunt tamen fideles ab usu hujus aliarumque similium formularum arcendi, utpote quæ semper sint peccata venialia eaque ex pejoribus, utpote contra Deum et periculosis. Talis porro prolatio pro pœnitente est

---

(1) Et *hoc casu* posset confessarius originem formulæ, qua np. *fuit* formula juratoria vel adjuratoria, exponere, quo sensum determinatum pessimum alio sensu determinato efficaciter excludat.

inanis et inutilis, et irreverentialis erga Deum. (Eccli 23, 10: Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo). Et summe indecens est, pro homine christiano, imo vel bene exculto, sic semper nomen Dei in labiis habere, præsertim in ira et indignatione. Hortandique sunt ut nomen Dei pronuntient tantum ad Deum laudandum, et de Ipso cum honore et reverentia loquendum (1). — Nec ullatenus refert talem monitionem forte pœnitentem inducturum in frequentiorem usurpationem talium dictorum, quum millies potius venialiter peccetur quam vel semel mortaliter. Cæterum hæc monitio rite facta ut supra non est nata inducere fideles in usum frequentiorem.

A. VANDER HEEREN.

VI

Q. *Sur quelles raisons s'appuie la théorie du pouvoir indirect de l'Église sur l'État?*

R. Il nous suffira d'exposer les arguments qui militent en faveur de la théorie traditionnelle de l'Église, systématisée par Bellarmin (2), tout en faisant de la

---

(1) Hæc utiliter propones in specie pœnitentibus qui nonnisi venialia confitentur; utiliter quoque e suggestu evolventur, sedulo et clare notando ibi tamen non agi de aliqua blasphemia, sed tantum de vana et irreverentiali usurpatione nominis Dei.

(2) Depuis l'article publié dans le fascicule du mois d'octobre dernier, suprà p. 583-588, a paru: DE LA SERVIÈRE, S. J. *La théologie de Bellarmin*, Paris, Beauchesne, XXV-750 p. Les articles cités de la *Revue des questions historiques*, 1907, t. LXXXII, p. 378 ss.; 1908, t. LXXXIII, p. 56 ss. forment notamment le § 5 du chapitre III de ce livre: *Pouvoir du pape dans les matières temporelles*, p. 129-151.

Le Pape Sixte V trouvant que la théorie du pouvoir indirect exposé au tome I des *Disputationes de controversiis* etc. de Bellarmin restreignait à l'excès l'autorité pontificale, inscrivit ce volume au nouvel *Index* qu'il préparait. Cette sentence fut rapportée aussitôt après la mort du pape, avant même que n'eût paru la bulle qui devait donner force de loi au nouveau catalogue. Cf. *Revue des questions historiques*, 1908, t. LXXXIII, p. 81; *Études*, 1907, t. CXI, p. 227 ss.; HILGERS, *Der Index der verbotenen Bücher*, p. 11 ss., 230 s., 524 s. Fribourg en Brisgau, 1904.

théorie plus récente du pouvoir directif, l'objet de quelques notes (1).

L'exposé de ces arguments consistera dans le développemement des deux propositions suivantes:

I. *En certaines matières temporelles la subordination d'un pouvoir à l'autre est nécessaire.*

II. *C'est le pouvoir civil qui doit être subordonné au pouvoir ecclésiastique.*

I. Si une délimitation nette des matières civiles et religieuses était possible, on pourrait concevoir et admettre un système de *coordination* (2), qui, en maintenant la souveraineté parallèle des deux puissances, chacune dans leur domaine, excluerait toute prééminence de l'un pouvoir sur l'autre. Mais, étant établi, d'une part, qu'une foule de matières temporelles doivent être considérées, de par la nature des choses ou de par les circonstances, comme un moyen ou comme un obstacle à la réalisation de la fin suprême des fidèles; et d'autre part, que toute une catégorie de causes mixtes (écoles, mariage, cimetières) intéressent tout à la fois et immédiatement l'Église et l'État, il en suit que l'application de cette théorie ne pourrait réaliser l'entente des deux sociétés, condition de la paix publique et de la tranquillité des consciences.

Si chacun des deux pouvoirs peut, sans se soucier de l'autre, réglementer ces matières qui engagent simultanément les intérêts temporels et religieux, l'harmonie des législations et l'absence de conflits résultera plutôt

---

(1) V. *Collationes* suprà, p. 584 ss.

(2) Ce système est soutenu par un certain nombre d'auteurs sans aucune hostilité à l'égard du Saint-Siège et au point de vue des faits et des situations politiques modernes. V. l'exposé de ce système dans: PHILLIPS, *Kirchenrecht*, t. II, § 115; LAURENTIUS, *Institutiones juris ecclesiastici*, 2 éd. p. 670 s. Freiburg-i-B., 1908; VON SCHERER, *Handbuch des Kirchenrechtes*, t. I, p. 54, § 14; du même, l'article *Kirche und Staat* dans le *Staatslexicon*, 2 éd., t. III, col. 467. Cette théorie a été proposée d'une façon plus accentuée par É. OLLIVIER, *La Séparation de l'Église et de l'État au Concile du Vatican*, t. I, chap. 2, p. 31. Paris, Garnier.

du hasard que de l'application de principes bien établis. Que si l'on affirme que ces matières doivent être réglées par un concordat, on peut se demander à bon droit quelle sera l'autorité supérieure qui imposera ce moyen de conciliation et tranchera les différents qui ne manqueront pas de s'élever entre les deux puissances. En fait, la raison du plus fort sera toujours la meilleure.

Admettre deux pouvoirs égaux, indépendants, c'est consacrer l'existence d'un dualisme inconciliable, qui introduirait fatalement le désordre dans le monde et le trouble dans les consciences soumises à la fois à l'État et à l'Église. Pareil état de choses répugnerait à la sagesse de Dieu auteur et ordonnateur des deux sociétés (1).

Donc il faut admettre, même en matières temporelles, la subordination d'un pouvoir à l'autre.

II. *Or, c'est l'État qui doit être subordonné à l'Église.*

A. Le principe de Bellarmin que le Pape, à raison de son pouvoir spirituel, a dans certains cas, indirectement, un pouvoir supérieur dans les matières temporelles, lorsque le salut des âmes l'exige et dans la mesure où il l'exige (2), ce principe est une simple conséquence de ces deux vérités dogmatiques : d'une part, la plénitude de juridiction conférée par Jésus Christ à l'Église en vue de diriger tous ses membres au salut éternel et d'autre part, la subordination de la fin temporelle de l'État, à la fin spirituelle de l'Église (3).

---

(1) Van den Berghe, *L'Église et l'État*, p. 27 ; Moulart, *L'Église et L'État*, p. 226 s.

